Pedralli

CONCURSUS DEI PRÆVIUS ET EFFICAX

Neceſsariò cohærens cum libero arbitrio humano à neceſſitate libero, ex Sacra Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus depromptus.

VERA ETIAM CHRISTI GRATIA

Illuminans, vocans, & efficaciter adjuvans Infideles, Excœcatos, & Obduratos, juxta mirabilem SS. Augustini, & Thomæ doctrinam propriis momentis ſtabilita, atque à Janſenii, & Queſnellii erroribus vindicata.

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

Infallibilem Summi Pontificis in rebus Fidei definiendis auctoritatem; nullitatem appellationis ad futurum Generale Concilium; vera Thomiſtarum principia, germana aliorum Theologorum placita, fideliter, & dilucidè exhibentes.

OLIM

Separatim editæ, & reſpectivè SS. D. N. CLEMENTI XII. feliciter regnanti, ac BENEDICTO XIII. Ord. Præd. ejuſdem Deceſſori dicatæ.

NUNC

In unum opus adunatæ, novo ordine diſpoſitæ, auctæ, perpolitæ: atque à Caducæi Theologici Martini Ortiz S. Theol. Licentiati, aliorumque noviſſimis objectionibus expeditæ.

AUCTORE

R. P. FR. CAJETANO BENITEZ DE LUGO

Provinciæ Hiſpaniæ S. T. M. Rm̃i P. Fr. Thomæ Ripoll Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri Hiſpaniæ Socio, Sacræ Rituum Congregationis Conſultore; Sanctæ Romanæ ſupremæ & univerſalis Inquiſitionis Qualificatore.

TOMUS I.

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

ALMA COLLEGE LIBRARY 23.4.16 B437 Alma, California

26584

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/concursusdeiprvi01beni

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

QUEMADMODUM *cum primum à me elaboratum Opus in laudem gratiæ Dei* Benedicto XIII. *Prædeceſſori tuo conſecrarem, id intendebam, meæ ſcilicet erga Sanctam Sedem devotionis, & obſervantiæ perpetuum erigere monumentum; ita dum ſecundum hoc, novô conamine,*

mine, & labore à me perfectum Opus, ſimul & me, meaque omnia, pedibus SANCTITATIS TUÆ *ſubjicio, ac ſubſterno, ſubmiſſionis, & reverentiæ erga* T*e meæ teſſeram dare cupio; hoc enim unum Scriptoribus omnibus motivum eſſe ſolet, cur* O*peribus ſuis illuſtrium Virorum nomina inſcripta eſſe velint, ut ſcilicet ſuum erga illos cultum, atque obſervantiam declarent. Accedit quoque aliud, nempe quod* T*ibi deberi Opus inſcriptum*, Vera Gratia Chriſti, *videretur, quem Deus in Cathedra* Petri *illis collocavit temporibus, quibus vera* Chriſti gratia *novos nacta eſt oppugnatores, & hoſtes, ut per* T*e, cujus in appetendis temperantiam, in agendis prudentiam, in regendis populis juſtitiam, in rebus difficillimis fortitudinem omnes ſuſpiciunt, & admirantur, defenſa, protectaque, novis relatis victoriis, novis itidem decoretur triumphis, & lauris: per* T*e, inquam, quem* C*aput* E*ccleſiæ, &* P*aſtorem, ſummum* C*hriſtianæ* R*eligionis* A*rbitrum, &* D*octorem, infallibilem in quæſtionibus* F*idei, atque*

mo-

morum decidendis Judicem, Principis Apoſtolorum Succeſſorem, demum Jeſu Chriſti *in terris Vicarium agnoſcimus, & veneramur. Tibi debetur hoc Opus, quô poſt* Janſenium *à* Queſnello *renovata neceſſitantis gratiæ, à* Clemente XI. & Benedicto XIII. *condemnata, à Te quoque execrata, rejiciuntur pernicioſiſſimè ſerpentia dogmata, contraria Catholicæ Fidei; & quod fortiſſimam quidem, ſed ſuaviſſimam ſimul Dei gratiam, quæ nos liberè facit operari prædicat; quâ dirigente, ac protegente regis, cujus efficaciâ, ut tantam ſuſtineas molem, ſolidaris, quâ jugiter aſpirante, Sedes Apoſtolica fuit, eſt, eritque ſemper unitatis centrum, veritatis ſolium, Eccleſiæ Oraculum, Spiritûs Sancti Organum, Fidei Petra, nullis unquam Hæreticorum machinis, molimine nullo concutienda.*

T*ibi debetur* Auguſtino-Thomiſticam *complectens de gratia doctrinam, quam, quia in* Auguſtino *Eccleſiæ lucidiſsimo ſydere venerati ſunt Prædeceſſores tui, Summi Pontifices* Innocentius I., Zozimus,

zimus, Bonifacius, Cœleſtinus, *& alii, ut dixi in diſcurſu Prologomeno ad* Tractatum *de gratia*: *In* Thoma, *ſapientiæ miraculo*, Joannes XXII. Innocentius V. Clemens VI. *&* VIII. Pius, *&* Paulus *ejus nominis quinti*; *in Schola* Auguſtino-Thomiſtica *laudarunt*, *ac ab adverſantium calumniis vindicarunt* Clemens X. Alexander VII. Clemens XI. *&* Benedictus XIII. *Te quoque protecturum in hoc Opere non immerito confido.*

Tibi debetur, cui Deus, & Fidem Catholicam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam commiſit, ut & prudentiâ Sanctitatis Tuæ *examinetur, & auctoritate corrigatur, quemadmodùm & Magnum Patrem* Auguſtinum, *& Mellifluum* Bernardum *olim feciſſe legimus, quorum primus* Bonifacio *Pontifici Maximo libros ſuos dedicans, cum his verbis lib.* 1. contra duas Epiſt. Pelag. *cap.* 1. *alloquitur*: Hæc ergo, quæ iſtis, *ut dixi*, duabus Epiſtolis illorum, iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere Sanctitatem non tam diſcenda, quam

quam examinanda; & ubi forſan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui. *Alter verò Epiſt.* 190. *ad* Innocentium *ita fatur*: Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei, ubi non poteſt Fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua? *Hæc ſanè ſunt*, Pater Beatissime, *officii, obſequiique mei vivida, & efficacia incitamenta: ſed non me minus urgent, quæ me totum in Tui admirationem, & cultum rapiunt, Virtutum tuarum dignitas, & claritas eximia, ut publicam ſub nominis Tui auſpiciis lucem ſubire geſtiam. Verùm hìc eſſem meliori animo, ſi mihi adeſſet tanta orationis copia, quantam Majeſtas tua, Divinæ proxima, poſtulat, ut deprædicare, quâ par eſt facundiâ, poſſem, quæ quotidie omnium objicis oculis, ac ſubminiſtras admirationi, digna ſanè Tuo nomine, digna nobiliſſimo genere, digna pietate tua. Quis enim tantâ verborum, ac ſententiarum abundantiâ præ-*

ditus

ditus eſſe poterit, ut dignè valeat celebrare ab antiquo deductam proſapiæ tuæ Nobilitatem, illuſtris Familiæ tuæ ſplendores, tot magna virtutis, ac ſapientiæ agnomina? Imò quis, vel unicum è nobiliſſimo Genere tuo, ac magnorum Virorum propagatrice Familia oriundum, omnis virtutis, ac ſanctitatis Heroem, Sanctum inquam Andream Corsinum, *dignè, ac pro meritis valeat celebrare? Qui heroicitate virtutum ſupremum veræ gloriæ faſtigium occupans, omnem ſupergreſſus eſt laudem, ſuperavit eloquentiam.*

Quæ facultas orationis commemoret ampliſſimas elevati judicii Tui dotes, eximiam Prudentiam Tuam, & ſingularium conſiliorum fœcundam mentem, in ſumma poteſtate manſuetudinem, in tantæ Dignitatis faſtigio ſubmiſſionem, profuſam liberalitatem, animi candorem, Benignitatem, Clementiam, quæ omnium noſtrum raptant admirationem, quibuſve omnium attrahis amores!

Quæ lingua enarrabit, qualiter ſub ſuavi Prudentiæ Tuæ regimine ad hono-

rem

rem Dei, Populorumque tibi commiſſorum, tum ſpiritualem, tum temporalem utilitatem cuncta collimant; non enim alia Tibi imperandi regula eſt, niſi Divini honoris cura, Catholicæ Fidei propagandæ zelus, Subditorum, ac Patriæ incolumitas: cùm non aliam agnoſcas Pontificiæ dignitatis gloriam, quam Divini cultûs propagationem, Populorumque felicitatem!

Quæ vox retexere valeat tot, tamque inſignes, tam longe, lateque patentes, omnium opinione præclaras, Sapientûm judicio immortalitate dignas, res à Te geſtas; tot ſacroſancta largitate tuâ reſtituta, noviſque acceſſionibus, ac ſacellis, inter quæ illud magnificum Divo ANDREÆ CORSINO *ſacrum, ampliata, & ornata templa, in quibus ad majeſtatem exornandis ultra ævi Tui terminos pietatem extendis; oſtendiſque, templis ſubminiſtrare Sanctos, ac viciſſim Sanctis conſtruere templa, ac aras, utrumque* CORSINORUM *eſſe. Quis enumerare valeat tot ſuperba, ac ſplendida ædificia, publicos fontes, ſtrataſque Urbis vias, quas nec ſine ſolatiô,*

nec ſine voluptate videmus: quibus & pietatis, & laudis tale Tibi erigis trophæum, ut ſi aliquando probroſô ſilentiô (quod abſit) mortalium linguæ in Te laudandô deficerent, CLEMENTIS XII. *gloriam, & laudem muta ædificia, & ſaxa proditura ſint, jucundamque ad poſteros tranſmiſſura Pontificatus Tui memoriam.*

At non ſe patitur SANCTITATIS TUÆ *Auguſtiſſima ſpecies operoſo commendationis noſtræ amictu veſtiri, quæ ſuo magis ſplendore illuſtris venerationi eſt omnibus, & amori. Hæc loquantur illi, quibus uberioris eloquii flumen tributum eſt. Sufficit mihi de* CLEMENTE XII. *abſque ullâ adulationis ſuſpicione dici poſſe, Illum zelo Religionis in tutanda, conſervanda, ac propaganda Fide, conſtantia in tuendis Summi Sacerdotis juribus, ſollicitudine in reducendis ad unum ovile errantibus, fortitudine in ſuperandis difficultatibus, cum antiquis illis Pontificibus (quos mirabiles, non imitabiles dicere ſolemus) conferri poſſe; eumque verè implere, quod*

ei

ei in Petro *injunctum eſt* Joann. *cap.* 21. Paſce agnos meos, paſce oves meas, confirma Fratres tuos. *Etenim* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam: *hoc eſt* Petrum *rurſus in Sede ſua reſidere, aut* Petrum *in* Clemente *Eccleſiam Dei gubernare, quô certè nihil gravius, nihil laudabilius de Supremo Eccleſiæ Hierarcha dici poſſe arbitror, præſertim dum non tam mea, quàm omnium hæc vox eſt.*

Volitet ergo, Pater Beatissime, *per ora Poſteritatis fama, & gloria Tua; ſoſpitem, & incolumem Te ſervet Deus Eccleſiæ ſuæ, & nobis. Te Sedis Apoſtolicæ clavum tenente, faciat Deus Omnipotens, à quo eſt omne bonum perfectum, & datum optimum, ut omnes, ſicut Tuæ convenit pietati, hoſtium Eccleſiæ manus diſſolvantur, ac conſilia deſtruantur, inſtantium bellorum metus evaneſcat, Fidei Orthodoxæ cultus magis, magiſque augeatur, curæ, & cogitationes tuæ præclaræ pro Eccleſiæ utilitate ad felicem exitum*

perducantur, ſintque æterna cum gloria conjunctæ. Dumque Ordo noſter beneficiorum tuorum minimè expers pro Sanctitatis Tuæ *incolumitate, ac proſperitate ſine intermiſſione ad Deum preces effundit; ego omnium minimus ad pedes* Sanctitatis Tuæ *provolutus, ac Paternam tuam expoſtulans benedictionem, me, opuſque meum, eâ, quâ par eſt, reverentiâ & ſubmiſſione V. D. C.*

Sanctissime Pater

Sanctitatis Tuæ

Humillimus & obſequentiſſimus ſervus & filius

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo
Ord. Præd.

San-

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII.

PONT. OPT. MAX.

CUM *Te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica ad Orbis, & Urbis felicitatem, noſtrumque eximium decus collocaverit, decebat maximè, ut Tractatus iſte, quem* in laudem gloriæ gratiæ Dei, *ut verbis utar Apoſtoli ad Epheſ.* 1. *v.* 6. *elaborandum ſuſcepi, is qualis, qualiſve ſit, ad Sanctitatis Tuæ pedes ultrò, citòque convolaret; non eo communi tantum nomine, quod* SANCTITATI TUÆ *omnes devoventur*

amo-

amores, omnium animi, & omnium ſtudia conſecrantur, quia omnium ingeniorum conatus, & lucubrationes, & provocas ſapientia, & amplecteris clementia; ſed eò potiſſimùm, quia nulli, ſi quid hujus laboris mei eſt pretii, niſi Tibi debetur; quem, verè, & ingenuè fateor hujus cogitationis meæ auctorem, hortatorem, & juſſorem, dum in litteris Demiſſas preces, *quas pro Tua benevolentia deſtinavit pietas Tua ad Fratres Ordinis Prædicatorum, nedum elucet magnus, & ſingularis erga D. Thomam amor, in S. Doctoris laudes excurrens; ſed etiam ejuſdem Angelici Doctoris Doctrinæ vindicationem inſtanter nobis his verbis commendas:* Pergite porrò Doctoris veſtri opera Sole clariora, ſine ullo prorſus errore conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſti mira eruditione clarificavit inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam Chriſtianæ Doctrinæ regulam ſacroſanctæ Religionis veritatem, incorruptæque diſciplinæ ſanctitatem tueri, ac vindicare. *Hæc inſignis animi tui ſignificatio ſufficit, ut diuturnum noſtrum ſilentium reſolvat in panegyrim. Detrahit D. Thomæ laudibus quiſquis Te ſic præcipientem audit otioſus. Quare depulſo timore, excuſsâ dubitatione, documentum in Te meæ ſubmiſſæ voluntatis edere conſtitui, ut quam doctrinam, de gratia præſertim, per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeterminatione ad gloriam, quam*

Verbo

Verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & PP. dictis conſonam eſſe prædicas; hanc ego pro meo erga SANCTITATEM TUAM *amore, evidentiſſimis Sacræ Scripturæ, Summorumque Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. teſtimoniis, eiſdem conſonantem oſtenderem, ut hæc D. Thomæ Doctrina, quæ Te in Eccleſia regnantem habuit laudatorem, ſua à Diſcipulis in poſterum non fraudetur commendatione.*

*Scriptionem hanc elegi, & hoc mirabilis, profundiſſimi ſecreti argumentum arduum, labore, & periculo plenum, quod & Apoſtoli mentem tranſtulit in ſtuporem, & admirationem ad Rom.*11. O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? *Non quod ſingulare quid in me agnoverim, ſed quia tractandis curioſis quæſtionibus non eſt tempus his, qui ſaluti, & Eccleſiæ utilitati ſtudere debent; quod ſanè rebus gravioribus impendere, neceſſarium dixit Auguſtinus de Geneſ. ad litt. lib.* 2. Quibus ineundis, atque tractandis, nec jam mihi tempus eſt, nec illis eſſe debet, quos ad ſalutem ſuam, & Sanctæ Eccleſiæ neceſſariam utilitatem cupimus informari. *Nefas ergo eſſet ſilere me his miſeris temporibus, quibus pugna hujus Doctrinæ incaleſcit magis; dum à plurimis, S. Doctoris, voluntate propriâ, in examen*

Do-

Doctrina vocatur; oppugnatur falſitate, nè dicam, obruitur; & dum tot refractarii fervidi Janſenii Diſcipuli, ut eadem odioſa, & hæretica conſectaria ſuſtineant, adverſus Sedem Apoſtolicam injurii, & impudentiſſimi calumniatores, non ſolùm inconſideratas voces intrepidè emittunt; ſed etiam ſchiſma in Eccleſia, ſua à Summo Pontifice ad Concilium Generale appellatione concitare intendunt. Jure ergo optimo, SANCTISSIME PATER, *in hoc rerum eventu, & opus hoc elaborandum duxi, & illuſtri, ac æterno Nomini tuo inſcribendum decrevi, quem omnis veneratur Orbis ſupremum omnium fidelium Magiſtrum, ac infallibilem credendorum regulam, quem Oriens, & Occidens omni proſequuntur laudum genere, & qui ad meridiem, & ſeptentrionem vergunt, Te eiſdem feſtivis acclamant laudibus, ut opus hoc, quod tenuitate ingenii mei obſcuriſſimum ſemper erit, fulgore tui clariſſimi Nominis colluſtretur; & quod ob mei imbecillitatem, auctoritate penitus eſt deſtitutum, ad aliorum profectum, firmiſſimo benevolentiæ tuæ præſidio roboretur, quem Deus donavit nobis ad univerſum Ordinis noſtri ſolatium, incrementum, & felicitatem.*

Oh felix, nimiumque felix Prædicatorum familia, quæ Te *ſummo, vetuſtiſſimoque Dynaſtarum genere natum, atque in ipſo juventutis flore ab ampliſſimæ Ditionis dominio, ad quod naturæ jure vocabaris, refugientem, inter ſuos Alumnos adſcivit,*

& in

& in quo uno vitam, quam primus illius Parens D. Dominicus Napoleoni Urſino majori tuo è vivis jam ſublato effuſis ad Deum precibus impetravit, tanquam in Patre, pro ſingulari, quo flagras erga eam amore, proque tantis eidem collatis beneficiis, ſibi reſtitutam gloriatur. Felix, iterum dico, Prædicatorum Ordo, qui Te jam ſedentem in Apoſtolico Throno adorat ut Patrem. Invitus, SANCTISSIME PATER, *tantæ dignitatis faſtigium aſcendiſti. Pontificii Solii præeminentiam, & honorem reſpuiſti omni ardore, omni ſtudio electioni pro virili repugnans, ad exemplum illius Summi Pontificis Gregorii Magni, quem totis viribus renitentem Clerus, Senatus, Populuſque Romanus ſibi concorditer, ſe indignum tali honore clamantem, Pontificem elegit; & cum ex fuga naſcatur honor, hoc Tibi, & Gregorio Magno honorificentius fuit, honorem fugere, quàm præſumere ſummi Sacerdotii vindicare gradum. Jam in hoc ſupremo ſplendoris Eccleſiæ meridie ſedes; ſed in Te miramur Summorum Pontificum Prædeceſſorum tuorum explicatam virtutem; in Te deſcriptum illorum religionis, & diſciplinæ zelum, vigilantiam, ſapientiam, & rectitudinem, quibus per ineffabilem prudentiam, his, quæ ad diſciplinam, & ſalutem pertinent, ſolertiſſimè provides; & publicam utilitatem, necnon maxima, ac ardua negotia curas, promoves, perficis. Non ſuccedere voluiſti dignitati, niſi in eandem Præ-*

deceſſorum tuorum ſuccederes etiam pietatem. Sed quid dico pietatem? Quinimò cæteras virtutes, quæ Chriſti Vicarium decent, Tibi antea familiares ad ſupremæ Dignitatis faſtigium evexiſti, ac veluti Solii tui aſtitrices, & comites habuiſti. Quis namque dicere queat animi tui candorem, benignitatem, morum ſuavitatem, ſtudium juvandi cunctos, lædendi neminem? Grande, atque indubium virtutis, probitatiſque documentum! Cum enim dignitate ſuper alios emineas, virtute ad aliorum demiſſionem SANCTITATEM TUAM *inclinas. Quis regendarum animarum curam, zeli in miniſtrando rectitudinem, in perferendo Paſtoralis officii labores, magnanimitatis conſtantiam; aſſiduam, verèque admirandam, quam præſtas operam, nunc in Sacris peragendis, Templis, Altaribuſque conſecrandis; nunc in frequentiſſima Sacramentorum adminiſtratione; nunc in Eccleſiaſticis Ordinibus conferendis, & Sacris Epiſcoporum Unctionibus celebrandis, Concionibuſque habendis? Quis numerare valeat, quot Sacris Ordinibus initiaſti; quot Sacerdotes Aris, & Eccleſiis Pontifices; quot Deo Templa, Altaria pietati, quas Cœleſtibus aras conſecraſti, erexiſti, dotaſti, ornaſti? Et, omnia ſine intermiſſione, abſque faſtidio, immo alacri animo, ex mera dilectione, & fidei ardore; ita ut quod aliis ſupra naturam, & incredibile penitus videtur, Tibi familiare ſit, quia, ut dixit Auguſtinus,* in eo quod amatur,

tur, aut non laboratur, aut labor amatur.

Contemplor in Te ſingularem illam, prorſuſque admirabilem animi Tui moderationem, ut magiſterium religioſæ temperantiæ Orbi Chriſtiano, & futuris ſæculis exhibeas, ad exemplum Innocentii III., de quo ſcripſit Rainaldus ad annum 1216. *num.* 15. Quia verò ſuperfluitas multa nimis abundat in ſæculo, maximè in Prælatis, ut eos corripere poſſet liberiùs, & corrigere, illius exemplo, qui cœpit facere, & docere, ad talem ſe mediocritatem reduxit, quòd vaſa aurea, & argentea in lignea, & vitrea commutavit: pelles armellinas, & griſeas tranſtulit in agninas. Menſam ſuam tribus ferculis voluit eſſe contentam, & Cappellanorum ſuorum duobus, niſi magna ſolemnitas, aut aliqua urgens neceſſitas ampliùs poſtularet. Remotiſque laicis, viros religioſos adhibuit ad quotidianum miniſterium menſæ, ut ei à perſonis Regularibus honeſtius ſerviretur; conſuetis tamen officiis viris nobilibus reſervatis, qui feſtivis diebus ſecundùm morem deſerviebant in eis. *Admiror effuſam, & ſtupendam in omnes ubique charitatem, immenſas in pauperes largitiones. Neminem pauperem videns, quem non ditare velis; tuam laudabilem pietatem, quam etſi totius populi vox in unum ſe conglutinet, minimè referre poterit. Si taceant homines, loquentur ſaxa. Illud*

magnificum Sancti Gallicani Xenodochium ad publicam utilitatem fundaſti, ſtatuens Tibi immortale, tam pietatis, quàm munificentiæ monumentum: at in his ejuſdem Innocentii III. colorem, animumque obſtupeſco, qui quantum eleemoſynis fuerit prodigus, refert Rainaldus anno 1201. *n.*31. *&* 32. *dicens*: Univerſaſque oblationes pervenientes ad pedes ejus, ſecundùm antiquam conſuetudinem accipiebat Eleemoſynarius erogandas: & omiſſis cæteris ejus charitatis monumentis, Xenodochium Sancti Spiritus, quod omnium toto Orbe Xenodochiorum opulentiſſimum eſt, & excipiendis hoſpitibus, miſerabilibuſque maximè obvium, conſtruxit.

Claret, & in Te elucet maximè carnalium propinquitatum, affectuumque abdicationis incomparabilis ſpecimen; abrenuntiatis cunctis ſanguinis nexibus, non in ſacris reſpicis neceſſitudines naturæ: & quamvis clariſſimorum progenitorum tuorum ſanguine tot procerum, tot magnatum familiæ toto terrarum orbe clariſſimæ emineant; non pluris humanam hujuſcemodi gloriam feciſti, quàm ſi erga omnia, quæ hujus ſæculi ſunt, omni ſenſu careres. Sed etſi careres, minor longè tibi gloria eſſet; non enim magnum eſt, quòd Princeps domos, quòdve ex eiſdem intima Tibi cognatione conjunctas perſonas, nullo non decore aut ſplendore conſpicuas, neſciveris; ſed quòd eaſdem ignorare noveris: illud

enim

enim negligentis; hoc ſe ſuperantis eſt. Perpendiſti ſummam Sacerdotii tui dignitatem omninò cœleſtem, ac Solis inſtar omnibus æqua beneficentia ſalutarem: & tanto munere non ſatis Te facturum vidiſti; niſi Sacerdotis Melchiſedech ſequereris exemplum, quem ſine patre, ſine matre, ſine genealogia reddidit Sacrorum Principatus. Ideo noluiſti, quin & horruiſti, in ſanguinibus ædificare Sion; quam certè qui ſpiritualibus non ædificat, deſtruit: atque ad glorioſiores in hac parte Prædeceſſores tuos oculos convertiſti; ut quod illos futuris in ævum ſæculis glorioſos effecit, in Te transferres, immò eorum memoriam magno virtutis tuæ exemplo renovares. Quis enim horum conſcius ſpiritum in Te non agnoſcet Summorum Pontificum Adriani IV. Clementis IV. Martini IV. Clementis VI. Vrbani V. Alexandri VI. Marcelli II. qui de eorum Conſanguineis, & propinquis exaltandis, vel promovendis nullatenus curavêre? Nimirum ſic aſpicis vetera, ut futuris ſæculis Te eorundem nitidiſſimum exemplar exhibeas.

Sed & Fides Catholica quot quantaque per Te lumina protulit Eccleſiæ? Vnum commemorare ſat eſt, quod omnium prædicatur ore, cuique ſi quid valerem, laborem, & ſudorem meum ſacrificare optavi. Scilicet indigebat Gallia, quæ ſinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulſit,

fulſit, *ut dixit Arnulphus Lexovienſis Epiſcopus Epiſt.* 19. *ad Alexandrum Papam, poſt tot diſcordiæ procellas Papâ, qui paterna charitate compreſſis provida diſpenſatione turbinibus, diù pacem deſideratam, depulſa impietate, reduceret: hoc Tibi totis orationum, & curarum Viribus annitenti, Deus per religioſam patientiam, non enim fatigatur adverſis rebus fides, conceſſit: quare Tibi gratulari, & in tuam laudem dicere liceat, quod Arnulphus in dicta Epiſtola de Innocentio*: Benedictus Deus, qui Eccleſiam ſuam, immaculatam ſcilicet ſponſam dilecti Filii ſui, mirabili ſemper benignitate diligit, & conſervat. Licet enim aliquibus ipſam aliquando vexari patiatur injuriis: facit tamen cum tentatione proventum, ut poſſit ſuſtinere: nec unquam portas Inferi adversùs eam prævalere permittit, &c. Prævaluit in athleta Dei veritas falſitati, & Deus dejecit hæreticum, &c. Dominus ſublimavit cornu Chriſti ſui, ut in eo unitas Eccleſiæ reformari poſſit, & Regnum ipſius omnibus dominari. *Sed dum Orbis intenta in Te ora tenet, expanſaſque manus, ut hanc, quæ reliqua eſt, diſcordiæ ſcintillam extinguas; liceat etiam & nobis ſignificare Tibi, quæ dictus Arnulphus Alexandro Innocentii Succeſſori ominatus eſt*: Redibit ſerenitas, & modica hæc ad radios veri Solis nebula diſſolvetur: redintegrata unitate Catholica ab

omni

omni parte pedibus veſtris univerſitas fidelis occurret, &c. *Ita*, SANCTISSIME PATER, *auguramur Tibi. Fidei integritas immaculata ab omni contagione ſervabitur; ad compagem corporis ſui, reliqua, quæ adhuc diviſa ſunt, membra, redibunt; ut, quæ per Dei noſtri opem benè correcta ſunt, ipſo adjuvante, per omnia compleantur.*

Contueor tot alios Summos Pontifices, quos Deus ornavit donis, decoravit luminibus, & virtutibus ſtabilivit; at nihil à Te neglectum, nihil à Te præteritum aſſevero; cùm Te mirentur omnes in orationibus, & vigiliis, & in Divinis Officiis, tùm diurnis, tùm nocturnis audiendis, vel recitandis aſſiduum; in Hymnis, & laudibus Dei ambulantem; quibus Divinum Numen non ſemel iratum placatum reddis, jejuniis crebrioribus in pane, & aqua corpus affligentem, ſupra naturam fortem, ſupra imitationem eximium, ſupra invidiam admirandum. Sic Prædeceſſorum tuorum laudes trahis in compendium, ut tot alia ſileam indelebilis tuæ gloriæ monumenta, quæ in Summo Pontifice ſunt æternitatis opera, & quibus eò altius aſcendis, quò verecunda eloquentia, repreſſo figurarum volatu, vix audeat admiratione adſpirare; cùm eximiis virtutibus tuis verborum pondus non poſſit ad æquitatis lancem reſpondere. Sit ergo SANCTITATIS TUÆ *hoc opus, quod tot titulis feciſti tuum: ſit & publicum amoris, & gratitudinis meæ nun-*

quam

quam intermorituræ indicium ; cujus maximæ erga Te obſervantiæ ſi pignus interpretari velis , quod in votis meis eſt , & humiliter rogo ; cauſa erit mihi gaudendi , atque ſatis præmii , ſi legentes ipſum , intelligant , BENEDICTUM XIII. *me eſſe ſua benevolentia complexum . Deus ergo , Te regnante, publicam Eccleſiæ ſalutem , & tranquillitatem reſtituat ; plenè gratia ſua greſſus tuos dirigat , & perſeverandi tribuat Tibi delectabilem perpetuitatem , & inſuperabilem fortitudinem , ut hujus gratiæ beneficio , qualem Te inter mortales meritò tenere gaudemus , tali etiam eſſe loco inter Sanctos perpetuò videntes gratulemur .*

BEATISSIME PATER

Ad pedes B. V. humillimè provolutus

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo
Ord. Præd.

IN-

INTRODUCTIO.

1 CUM gratia Dei ſit radius ab excelſo, & incomprehenſibili ejus Throno procedens, non viſibiliter lucens, neque materiali, localique curſu peragens diem; ſed inviſibilis lux, quam Deus in cordibus hominum liberaliter, & miſericorditer infundit, ut repentino, & efficaci ſuo ſplendore mentis diſſolvat tenebras; incomprehenſibile prorſus, humanoque intellectui inſcrutabile eſt Divinæ gratiæ myſterium: necnon obſcuriſſimum, implicatiſſimumque eſt omnes ejus ſinus in uno Opere, vel in pluribus explicare. Solis profectò claritatem ægris oculis intueri conatur, qui Divinæ gratiæ voluerit inveſtigare divitias. In rebus Divinis caligat ingenium mortale; & denſiſſimis obtectum tenebris, imbecillitatem ſuam humiliter confiteri tenetur, exclamans cum *Salviano* lib. 3. de Gurbernat. *Homo ſum, nec intelligo: ſecretum Dei inveſtigare non audeo*. Quarè *Apoſtolus*, quamquàm raptus in tertium Cœlum audiiſſet quædam arcana recondita, ubi ſermonis progreſsus cogitationem illius propiùs perduxiſſet ad aditum Divini conſilii, protinus obſtupeſcens exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quàm.. inveſtigabiles viæ ejus!* Miraberis ergo, erudite, & ingenioſe Lector, quòd tot laboribus diſtractus, ut ad alia nullum ſit otium, adhuc infatigabili aſſiduitate in hujus Divinæ gratiæ ſcrutandæ ſtudio perſeverem; ſed amori puriſſimæ SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ parcendum, cui nihil difficile,

nihil arduum, nihil impervium eſt. Volat, ſi quò aliter pervenire non poteſt. Ea enim eſt vis hujus eximiæ, & Angelicæ doctrinæ, ut quò ſæpiùs, ac preſſius inſpicitur, magis ac magis placeat; honeſti quippè nulla eſt ſatietas. Præterquam quod tractandis curioſis quæſtionibus tempus non debet eſse iis, qui ſuæ ſaluti, & Eccleſiæ utilitati ſtudere debent, ut ait S. *Auguſtinus* de Geneſi ad litteram lib. 2. cap. 10. Verſans enim quæſtionem de motu Cœli à nonnullis fratribus excitatam, utrum Cœlum ſtet, an moveatur? His reſpondet: *Quibus ineundis, atque tractandis, nec jam mihi tempus adeſt,* NEC ILLIS ESSE DEBET, *quos ad ſalutem ſuam, & Sanctæ Eccleſiæ neceſſariam utilitatem cupimus informari*: quod & repetit cap. 16. ſequenti num. 34. *Sed dicant quod volunt de Cœlo, alieni à Patre qui eſt in Cœlis: nobis autem de intervallis & magnitudine Siderum ſubtilius aliquid quærere, talique inquiſitione rebus gravioribus & melioribus neceſſarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit.* Quarè non ignarus, quàm periculi plenum ſit de rebus ineffabilibus loqui, incomprehenſibilia ſcrutari, de longè ſemotis à captu noſtro pronuntiare, poſtremam manum addere, & ſub limam revocare Opus, quod jam pro virili, proque temporis ſpatio, quantum fieri potuit minus malè, luci dedimus; illud nunc emendatius, multòque locupletius dare aggredior: quo enim fiet ſæpiùs, hoc plus erit lucri Lectori.

2. Hæc attentiùs cogitabam, cùm ecce præter omnem expectationem proſiliit in medium liber, vero nè, an falſo nomine, parum intereſt, nomen, & titulum proferens: *Caducæus Theologicus, & Criſis pacifica de Examine Thomiſtico. Opus elaboratum operâ, & ſtudio D. Martini Ortiz Sacræ Theologiæ Profeſſoris. Matriti anno* 1733.: quô Opere inſurgit Auctor adverſus tot eruditiſſimos Heroas, conſecrata ad omnem poſteritatis memoriam nomina, Illuſtriſſimum *Montalban*, *Maſſoulié*, *Graveſon*, alioſque eruditiſſimos Thomiſtas, ſi me excipias, quorum vult eſſe Cenſor: ad quem verè pertinet, quòd de Bono Viduitatis dixit S. *Auguſtinus* cap. 15. eſſe *quoſdam, qui ſibi docti non videntur, niſi alienos labores non judicando conentur diſcutere, ſed lacerando conſcindere.*

Pro-

Proprium nomen diſſimulat; &, ut fatear, nomen, & cognomen ſcire vellem: primò, ut ſciam, cum quo certem; acuit enim ingenii vim Antagoniſtes inſignis: ſecundò, ut poſthàc puderet neminem eorum, qui ejus doctrinæ adhærent, publicè eamdem profiteri; ſi enim veritate fulcitur ejus doctrina, publicum ſit nomen ejus. Et tandem, nè in rebus graviſſimis alios eamdem fallendi, aut circumveniendi artem doceat, quomodò ante omnium oculos impunè volitare poſſit. Sed quid nomen quæro? Occultum, tectumque maneat nomen ejus. Quid namque ille ad tales laudatos, eximios, ac præſtantiſſimos Viros? Quid Opus hoc, quaſi expoſititium, & temerè fortunæ commiſſum, ad talia ſapientiſſimorum Virorum Opera, quorum memoria nunc meritò honori eſt omnibus, ſive ſpectes doctrinam, ſive vitæ probitatem? Quis apud cordatos, & harum rerum intelligentes, imprudentiæ, aut potiùs temeritatis notam effugere valeat, qui in quæſtione iſta, tàm variis inter ſe eruditiſſimorum hominum agitata contentionibus, arbitrum ſe, ac judicem idoneum profiteri audeat; & *Caducæi* ſumere perſonam, ut capitis ſententiam proferat in libros alienos, & maximè Virorum, quorum eruditio maxima non poteſt ulli malitioſæ voluntatis ſuſpicioni eſſe obnoxia? Quid arrogantiùs, & elatiùs, quàm ſub illo *Caducæi* nomine velle Theologum videri? A titulo tàm arroganti abſtineat *Ortizius* infeliciter eruditus, ſi ad cæteros Scholæ ſuæ Magiſtros conferatur; cùm res ipſa clamitet etiam Scholæ ſuæ plurima ignorare principia.

3. Enimverò unde nobis venit *Caducæus* iſte? Non profectò ille è Cœlo delapſus, aut è Cœlo miſſus, qui perſpicuè veris fidem detrahit, incredibilibus probabilitatem conciliare conatur, veteres opiniones Scholæ ſuæ evertit, novas inſerit. Nihil tàm certum, tàmque exploratum eſt, quod ille ſuo præclaro artificio non in dubium vocare, nihil tàm abſurdum, quod non *Caducæi* ſui auctoritate obtinere, ac perſuadere velit, & contra expreſſas Eccleſiæ definitiones defendere. Quarè cùm prodiiſſet in lucem, cenſebant plurimi, nihil eſſe reſpondendum; ſtultum quippè videbatur eis accuratè velle refellere, quod attentè legiſſe, refelliſſe eſt. Alii quàm

accuratiſſimè reſpondendum fuerunt in conſilio, nè liber iſte fumis, ac præſtigiis ſuis facilè poſſit Lectori minùs ſapienti imponere; nec cuique tantum eſt otii, ut conferat quid ego dixerim, quid ille reprehendat, & quàm violenter SS. PP., aliorumque Theologorum teſtimonia adversùs Scholæ noſtræ Magiſtros torqueat. Anceps ergo, dubius, & incertus hærebam animo, perſuaſus quàm maximi laboris ſit, & quàm ſcopuloſo, & periculoſo in loco verſetur ſuſceptum Opus. Si namque de omnibus, quæ ſcripſit, verba faciam, & plura, quæ minùs rectè ſcripta leguntur, proferam in lucem. Maledici convitiatoris officio potiùs functus videbor, quàm modeſti, & Chriſtiani Scriptoris. Si de omnibus his penitùs taceam, modeſtiæ laudem fortè conſequar; ſed non ita ſilendum, ut non agnoſcant alii, quàm diſſimili nos pro veritate, atque ille pro falſitate ratione pugnemus. Quid ergo fieri poteſt? Hoc unum arbitror, nè ſcopulum illum incurram, & alienus à modeſtia Inſtituti, quod profeſſus ſum, jure accuſer. Ipſe ſe deferat, ipſe ſe indicet; cùm non adverſus illum accuſatore opus ſit.

4. Enimverò, an è Cœlo miſſus ille, qui pag. 35. num. 58. ſequentia ſcribit: *Caſus verò allegatus Martini de Prado* [Theologi Dominicani] *ſatis eſt notus, circa quæſtionem videlicet Suarii, quæ priùs ſiniſtrè delata juſſa eſt deleri, & poſtea ab ipſomet Pontifice deducta ad praxim, totius facta eſt jam praxis Eccleſiæ?* Praxim Eccleſiæ dicit ſententiam, quam *Clemens VIII.* 20. Junii 1602. velut falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, docerique prohibuit ſub pœna excommunicationis, quòd per litteras fieri poſſet confeſſio: quod *Clementis* Decretum *Paulus V.* per aliud Decretum die 12. Julii 1605. confirmavit, prohibens, nè unquam *tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*; quam tamen *Caducifer*, oppoſitum cenſens, & ſentire ſe profitens, ut praxim totius Eccleſiæ extollit, ab ipſoque Summo Pontifice ad praxim deductam aſſerit. Ille, qui pag. 323. num. 122. inquit: *Auxilium verò ſufficiens infideli collatum tale eſſet, ut, ſi conſentiret ſalvaretur, vel in fide explicita Chriſti, ſi ei annuntiaretur, vel cum im-*

implicita ſolius Dei remuneratoris; cùm ſequentem propoſitionem damnaverit *Innocentius XI.*: *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii*, *non autem explicita remuneratoris*: niſi enim fidem explicitam de remuneratione haberemus, remunerationem certò ſperare non poſſemus; cùm ſpes Chriſtiana certitudinem non habeat aliam, niſi derivatam à certitudine fidei. Ille, qui novum prorſus, ac inauditum apud Catholicos dogma nobis proponit pag. 368. num. 209.; accedens enim ad modum, quo Deus in tertio ſigno creaturam rationalem mirabiliter gubernat, ſequentia ſtatuit: *In tertio Deus eam creaturam rationalem ſive innocentem, ſive cadentem, ſive ſurgentem mirabili prorſus, & inſcrutabili ſapientiâ gubernat*, *& adminiſtrat per vias occultiſſimas*, *& ſæpè pro noſtra tenuitate contrarias*, *alias ducens mirabiliter ad æternam felicitatem*, *alias verò ad barathrum ſempiternum*. Quid ergo? Deus, mirabili, & inſcrutabili, ſapientiâ creaturam rationalem gubernans, eâdem mirabili, & inſcrutabili providentiâ alias ducit ad æternam felicitatem, alias ad *barathrum ſempiternum*? Ille, qui neminem creavit, ut perderet; qui non vult aliquos homines perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, ut dicitur 2. *Petri* cap. 3. v.9. & teſtatur ipſe *Ezechiel* 18. dicens: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii*, *dicit Dominus*, *& non ut convertatur à viis ſuis*, *& vivat*? Qui omnes ad pœnitentiam invitat, teſte *Iſaia* 30. v.18. *Expectat Dominus*, *ut miſereatur veſtri*. An ille, cujus Divinæ miſericordiæ ſuperabundantia plus nobis dat, quàm petimus, & ſpes noſtras donis ſuis vincit, mirabilia in animis hominum per gratiæ ſuæ omnipotentiſſimam efficaciam operans, per vias occultiſſimas modo prorſus mirabili creaturas aliquas deducit *ad barathrum*? Vereor, nè totum hoc ſit repugnans ſapientiæ, bonitati, & miſericordiæ Dei.

5. An, iterùm dico, de Cœlo delapſus, qui nedum effrænem probabiliſmi opinionem laudat, ſed calumnioſè Doctoribus, eam conſtanter, ac verè rejicientibus, hæreſim *Janſenii* affingit? Ita *Caducifer* pag.245. num.19. *Igitur generatim loquendo pro ſententia probabiliſmi præmittendum eſt primò*, *hujus ſententiæ impugnationem nonniſi ex Janſeniſmo ori-*

originem trahere ; *cùm enim doctrinæ Janſenii ſtare non poſſent* , *ſi uſus opinionis probabilis prævaleret* , *cœpit Lovanii* , *teſte Caramuele ibi tunc Profeſſore* , *Soboles Janſeniana* . Benè citat *Caramuelem* , ut ſciamus hæc deſumpta eſſe ex damnato Opere , cui titulus : *Joannis Caramuelis Apologema pro antiquiſſima* , *&* *univerſaliſſima doctrina de Probabilitate*. An nè ante *Janſenium* licitus erat uſus opinionis probabilis , ſeu potiùs laxiſmi , qui adversùs moralem Chriſtianam , & diſciplinam Eccleſiaſticam erupit ? Errat ille turpiter , ſub odioſo iſto nomine accuſans ſanctam, & ſalutarem Evangelii, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantiam , quam *Chriſtus* Dominus in Scripturis , quam & SS. PP. unamini conſenſu ſemper tradiderunt , velut neceſſariam ad ſalutem ; & noviſſimis hiſce temporibus renovarunt SS.*Carolus Borromæus*, *Thomas à Villanova* , *Franciſcus Saleſius* , aliique ſapientiſſimi Theologi , deplorantes quòd hâc noſtrâ ætate , nimiâ aſſentatione pereat infidelium infinita multitudo; quodque Eccleſiam Dei hodie perdit Confeſſariorum , & Paſtorum blandiens adulatio , nata de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocat , & quæ in pernicioſum , ac piis omnibus deplorandum abuſum convertitur. Quod ſatis evincitur ex his, quæ ſummô veritatis , & Religionis zelô in defenſionem moralis Chriſtianæ , ac verè Evangelicæ ſcribit Emus Card. *Aguirre* in præfat. collect. Concil. Hiſpaniæ num. 18. *Sanè non aliter expleremus partes officii noſtri* , *ſive hujus eximiæ dignitatis* , *ad quam occultô Dei judiciô* . . . . *exiguitatem noſtram evexit ſanctæ memoriæ Pontifex* , *&* *rerum geſtarum gloriâ clarus Innocentius XI. Cùm enim Cardinales ex vi muneris ſui ſint intimi Conſiliarii & Coadjutores Romani Pontificis* , *non in ordine ad bonum regimen* , *aut reformationem unius Provinciæ* , *aut Regni tantùm* , *ſed totius Orbis Chriſtiani* , *debent omnes pro virili laborare* , *opere* , *verbo* , *ac ſcriptis* , *in eundem ſcopum* , *ac ſtudium* , *&* *curam ſuam* , *doctrinamque ſalutarem* , TUTIOREM, *imitationi Chriſti aptiorem*, *ſacris Canonibus conformiorem* , *ac proinde ſeveriorem porrigere* . . . . *Ut proinde poſt Apoſtolos* , *Romanos Pontifices* , *ac præcipuos* , *&* *primarios Eccleſiæ Doctores*, *in Cardinalibus ſpeciatim locum habeat*

ſen-

ſententia illa Chriſti Domini, VOS ESTIS SAL TERRÆ, *quam Chryſoſtomus Hom.15. in Matth. ita exponit: Non enim illos Palæſtinæ Doctores eſſe dicit, ſed totius terræ, nec ſimpliciter Doctores, ſed ſeveros, ac terribiles. At cur ſeveros? cur terribiles? Subibunt enim odium hominum ferè omnium, quibus mollis & laxa doctrina placet, ſevera autem, & auſterior horrori eſt. Verùm timorem hunc ſtatim eximit Chryſoſtomus ipſe ſubdens*: HOC ENIM MIRABILE OMNINO, QUOD NON ADULANTES, NEQUE PALPANTES, SED EX ADVERSO, SALIS INSTAR UTENTES FERE OMNIBUS SE TAM DESIDERABILES REDDIDERUNT. *Quod ipſum contigit non ſolùm priſcis illis Cardinalibus in Conciliis .... ſed etiam poſterioribus, quotquot ferè ab ineunte hac ſecunda Chiliade annorum æræ Chriſtianæ floruerunt ſanctitate, & doctrinâ. Exempló ſint Cardinales Sanctiſſimi Petrus Damianus, Bonaventura, Carolus Borromæus*. Hæc ille: quibus addo decretum *Alexandri* VII. die 24. Septemb. 1665. *Sanctiſſimus D. N. audivit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. Quarè nè ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem SS. D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in ſemitam rectam revocaret*, &c. Turpiter ergo hallucinatur *Caducifer*, dum *Janſeniſmi* larvam objicit, ut licitum eſſe probabilitatis uſum perſuadeat.

6. Eâdem pag. in fine: *Jam ergo, quod neceſſe non ſit ad praxim, opinionem eſſe probabiliorem, ſed ſufficere ſolùm probabilem .... conſtat pluribus rationibus hìc breviter delibandis.*

dis. Prima: quia requirere probabiliorem inducit pertinaciam judicii, ſocum hæreſum, & vehementiſſimè deteſtandam.... 4. Quia hæc ſententia non in angulis, ſed in primis Theatris, & Academiis edocta, permiſſa à Deo non fuiſſet per integrum ſæculum homines tot culpis lethalibus oneraſſe; interea tum Doctoribus, tum Epiſcopis obdormiſcentibus, ſoliſque Janſeniſtis invigilantibus, ut talia non ſerperent.... 6. Quia probabilioriſmus timidis onus, ſpinas, ſcrupulos, laxis verò relaxationem adducit.... Quia quoties lex aliqua prohibens manet incerta ex prudenti probabilitate, licèt minori, de exiſtentia legis, aut obligatione ipſius, non poteſt dari certa obligatio.... 20. Quia in rebus Fidei controverſæ, ſicubi ſunt opiniones utrimque probabiles, ſequi licet utramque.... 24. Denique, quia videtur probabiliſmus eſſe clara, & plana doctrina Theologorum, ſacrorum Canonum, & deducta ad praxim à Sanctis Patribus, & Pontificibus. Et ut ampliùs firmet probabiliſmum à Summis Pontincibus approbatum, dicit pagin.249. num.24. *Verumtamen prætermittamus modò glorioſos Pontifices Gregorios, Paulos, Syxtos, Pios, Alexandros, & quotquot ferè à Societatis ortu exaltati ſunt, qui eam* (Societatem) *pro bona fruge, & amplis meritis in Eccleſiam mille Bullis, privilegiis, Congregationibus, Collegiis, Provinciis locupletarunt*, &c. Hæc ille, acſi omnes illi Pontifices approbaſſent probabiliſmum. In quo inſigniter fallitur *Caducifer*, aut fallere vult, ut enim oſtendit P. *Tyrſus Gonzalez* de probabiliſmo in introduct. Lect. num.2. *Cœpit hæc opinio tradi, ac Typis vulgari vergente ad finem ſæculô proximè ſuperiore*, ſcilicet decimô ſextô. Porrò Pontifices, qui majoribus privilegiis Socios ornarunt, ut *Paulus* III. & IV. *Pius* IV. & V., *Gregorius* XIII., *Syxtus* V. obierunt ante finem illius ſæculi: hic ſcilicet 1590. Quarè me penitùs fugit bonitas hujus illationis: *Summi Pontifices approbárunt Sacrum Societatis Jeſu Inſtitutum: ergo approbárunt probabiliſmum*. Exponat ergo nobis, quomodò hoc ſit intelligendum. Quid Inſtituto hujus Sacræ Societatis, ad probabiliſmum?

7. Notabile rursùs eſt, quòd circa hanc materiam dicit pag.245. in fine num. 18. *Theologiam moralem laxiorem fortè fuiſſe*

fuiſſe præteritis ſæculis, quàm præſentibus: ſiquidem ſemper oportuit, ut quandiu liberiora eſſent jugula, jugum eo eſſet laxius: cumque in anteactis temporibus, non tantâ legum multitudine in Civilibus, & Eccleſiaſticis premerentur (quippe hæc indies augentur)... groſſiori filo texebatur in moralibus regula, & amuſſis operationis; cùm è contra hiſce temporibus, ubi cuncta ſunt præciſa ſubtiliter, & jugi diſciplina ferè cuncta legislata.... ſtrictiſſima eſt Theologia moralis, & tertio quoque paſſu lex lata, quæ prohibet. Unde quemadmodum humanæ corruptioni juſtiſſimè occurrendum fuit per totidem leges; ita humanæ vitæ innocenter agendæ conſulendum fuit per totidem benè inſtructas acies Doctorum, qui in præſenti casûs tortura legem extenderent, aut temperarent. An non hæc omnia, ſi publici rigore juris metiamur, plectenda veniunt ſeveriore cenſurâ? Quis hæc propugnare poteſt, niſi apertè bellum indicere velit pietati, charitati, veritati, bonæ fidei, & morum candori, & pertinaciter ſuſtinere moralem, Evangelicis oraculis, Sanctorumque Patrum, & Sacrorum Canonum documentis, Diviniſque, atque Eccleſiaſticis præceptis adverſantem, tantô omnium plauſu, ut pernicioſam, rejectam: quam non ſacræ leges, ſed earum prævaricatio; non Divina, vel Eccleſiaſtica traditio, ſed hominum ab ea degenerantium corruptela (Eccleſiâ non probante, ſed potiùs gemente) invenit: quâ non depravatis hominum moribus ſalutaria remedia, ſed blandimenta potiùs, atque operimenta ſuggeruntur: & quâ promoventur laxitates, quibus mundus in præceps ruit, latiſſimam ingrediendo viam, quæ ducit ad perditionem. Et, quod magis eſt, hanc probabiliſmi licentioſam doctrinam incredibili audaciâ Summis Pontificibus tribuit; cùm tamen *Innocentius* XI. 2. Martii 1679. eam damnaverit in hac propoſitione: *Generatim, dum probabilitate, ſive extrinſeca, ſive intrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Hæc amicè, fraternè, placidè, amanter, dolenter obſervare placuit, ut ſciat Lector, quid de his ſentiat Eccleſia, quid habeat bona doctrina; nè noſtra aut reprehendatur patientia, aut culpetur negligentia. Fe-

rendus eſt diſputator errans in aliis quæſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plenâ Eccleſiæ auctoritate firmatis; at non tantùm progredi debet Scriptor, ut tam apertè veritati detrahat, ac etiam Decreta Apoſtolica quatere moliatur. Sed ad rem veniamus, Thomiſtam è Cœlo miſſum diceres *Caduciferum*, cui nihil glorioſiùs, quàm adhærere D. *Thomæ* Angelicæ doctrinæ, quam pag.37. num.59. ſplendidis, & mirificis laudibus effert, dicens: *Præter quorum amorem mihi alius verè latitat in præcordiis, quô tenerrimè affectus in Divum Thomam, utpotè Eccleſiæ lumen indeficiens .... quippè in tota ejus Theologica Summa, imò in omnibus ejus operibus celeberrimis, quid eſt niſi videre .... ſolidiſſima, & peralta principia, fundamentaliſſimè jacta, planiſſimè ſibi cohærentia ....? Quid niſi diſcretè ramificatas, & exinde deductas infinitas, & mirificas quæſtiones .... curioſitate graviſſimas, pietate ſolidas, diſquiſitione perſpicuas, methodo incomparabiles, reſolutione firmas, conciſione preſſas, ac demum vindicatione fortiſſimas?* &c. Et num.60. *In hoc ergo, de quo dicta ſunt admodum pauca; & de quo modò coactus ſum perloqui, non auſus ſum, niſi ejus imploratô auxiliô, accedere ad codicem .... Quod ut fidem faciam, tanti Doctoris opem imploro, Ildephonſianam illam erga Deiparam precationem accommodans, & in hæc verba prorumpens:* O Beate Thoma! *O Doctor meus, atque Dominator meus, dominans mihi, Doctor Doctorum meorum, Servus Filii Dei, miraculum Factoris mundi, te oro, te quæſo, ut habeam ſpiritum Dei mei, ut de te vera, & digna ſapiam, vera, & digna loquar .... Tu enim es Doctor electus à Deo, aſſumptus à Deo, viſitatus ab Angelo in præcinctis lumbis, ſalutatus ut Angelus, benedictus ut Angelus, beatificatus ut Angelus, nitidus in ſermone, profundus in cogitatione, ſtupefaciens in operatione, admirans in dictorum annuntiatione.*

8. Hæc legens quis non crederet, quòd ille, ut ſtrenuus ſui Magiſtri defenſor, eloquenti, ac mirabili verborum ornatu, mirâque rerum mirabilium copiâ in arenam deſcenderet, ut putida mendacia, & calumnias refelleret, evanidaque demonſtraret argumenta, quibus ſiniſtram de ejus doctrinæ opi-

opinionem ingerere conantur turbulenti homines? Nulla unquam uberior dicendi materia: nulli facilior eſſe, quàm viro iſti erudito poterat executio: cui genus dicendi eſt non remiſſum, aut languidum, ſed ardens, & concitatum; phraſiſque non vulgaris, ſed lecta. Sed audiendus jam ille pag.43., ubi de D. *Thomæ* præconiis num. 70. *Primum ergo eſto pronuntiatum iſtud*: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA, *quod de Imagine Crucifixi proceſſiſſe narratur, verumtamen huic ingenuæ objectioni*, QUAM HISTORIA CONFECIT, *eadem hiſtoria reſponſionem parat ingenuam, quatenus ex ea conſtat, ſolos quoſdam articulos, ad myſteria Corporis Chriſti attinentes, & tunc temporis à D. Thoma proximè ſcriptos, fuiſſe eó ſacró oraculó comprobatos*. Rursùs pag.44. *Secundum eſt illud teſtimonium, ſeu pronuntiatum, quod dubiá citatione circumfertur .... Num Innocentio V. vel VI. ſit adſcribendum .... unde circa hoc pronuntiatum ſunt, qui dubitent .... nec enim fixum eſt, quod vagatur. Tertium eſt Clementis VIII. ad Neapolitanos ſic ajente*: TESTIS EST INGENS LIBRORUM NUMERUS, QUOS ILLE .... SINE ULLO PRORSUS ERRORE CONSCRIPSIT: *ſimul cum oraculo, teſte Gerſone, de eo quod in D. Thoma*, TOT SUNT ARTICULI, QUOD MIRACULA. *Quæ quidèm ambo effata liberè ex me pergant, atque feliciter, ſed diſcretó intellectu: per primum enim id datur intelligi*, QUOD EO USQUE TEMPORIS NIHIL ERRONEUM, IDEST APERTE PUGNANS CONTRA SCRIPTURAM, CONCILIA, ET DOGMATA IN TANTA VOLUMINUM COPIA INVENIRETUR. Pergit num.72. *Quartum denique levius eſt, & compingitur ex dicto S. Doctoris ad Reginaldum*, QUOD QUIDQUID SCIRET NON TAM STUDIO, QUAM DIVINITUS ACCEPISSE: *& ex S. Vincentio Ferrerio ajente*: ANGELOS, ET APOSTOLOS DIVI THOMÆ NODOS DUBITATIONUM RESERASSE. *Verumtamen prima verba pluribus SS.Doctoribus communia ſunt .... Verba autem poſteriora, quæ privata ſunt præconia, idem probant, atque columba, quæ viſa eſt per Diaconum adſtitiſſe Gregorio, & Paulus, qui Chryſoſtomi auribus adhærebat; Auguſtinuſque, qui Vazquio noſtro quaſi ad aures pingi ſolet. Igitur cuncta hæc encomia .... ideo tacta ſunt, ut in eis de*

doctis nemo INSISTAT, *de indoctis verò nemo hìc deſideret.*

9. Non ſatis. Paginâ 182. num. 253. ponit partem tractatûs extantis ad calcem Magiſtri ſententiarum *Petri Lombardi* inter articulos Pariſiis condemnatos; qui tamen habetur de facto in Indice prohibitorum. Pag. 273. num. 49. cenſurat diviſionem à S. *Thoma* traditam, ſcilicet libertatis, quæ dicitur *voluntatis*, & illius, quæ dicitur *liberi arbitrii*. Hanc diſtinctionem attribuit P. *Maſſoulié*, qui verè eam tradidit; dicitque *Caducifer*: *Qui modus dicendi videtur mihi periculoſus*. Sed Mag. *Maſſoulié* oſtendit hanc diviſionem eſſe S. *Thomæ*, ab eoque traditam; nedum implicitè, ſed in terminis formalibus, ut vocant. Verba *Maſſoulié* ſunt pag. 265. col. 2. tom. 1. *Cæterum, ut eam diſtinctionem non inſinuatam ſolùm leviter, aut verbis ambiguis, ſed apertiſſimis etiam terminis à D. Thoma expreſſam demonſtrem, referenda ſunt ea, quæ habet q.24. de verit. art.1.... ubi quærit, Num homo ſit liberi arbitrii ... & vigeſimo ita ſibi opponit: Liberum neceſſitati opponitur; ſed reſpectu quorumdam voluntas hominis neceſſitatem habet; de neceſſitate enim vult Beatitudinem: ergo non habet reſpectu omnium libertatem: & ita non eſt liberum arbitrium quantum ad omnia. Reſpondet vero.... ac diſtinguit duplicem libertatem*, VOLUNTATIS, *quæ fini adhæret, & libertatem* ARBITRII, *vel* JUDICII; *quæ circa media verſatur, & ea, quæ ſub electione cadunt. Dicendum, inquit, quòd cùm electio ſit quoddam judicium de agendis, vel judicium conſequatur, de hoc poteſt eſſe electio, quod ſub judicio noſtro cadit. Judicium autem in agendis ſumitur ex fine, ſicut de concluſionibus ex principiis. Unde ſicut de principiis non judicamus ea examinantes, ſed naturaliter eis aſſentimur, & ſecundùm ea omnia alia judicamus: ita & in appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio diſcuſſionis, vel examinationis, ſed naturaliter approbamus: propter quod de eo non eſt electio, ſed voluntas. Habemus ergo reſpectu ejus* LIBERAM VOLUNTATEM, *cùm neceſſitas naturalis inclinationis libertati non repugnet ſecundùm Auguſtinum 5.de Civit.Dei, non autem* LIBERUM JUDICIUM *propriè loquendo, cùm non cadat ſub electione*. Hæc autem legit ipſe *Caducifer*,

cùm

cùm ea referat *Maſſoulié* loco à *Caducifero* citato : imò *Caducæi* Theologici Auctor refert ea ipſa verba Sancti *Thomæ* pag.271. num. 45. & quòd reflexerit ibi à S.*Thoma* tradi duplicem iſtam libertatem verbis apertis, ex eo conſtat, quòd To LIBERAM VOLUNTATEM, & LIBERUM JUDICIUM impreſſerit diſtincto caractere ; & tamen num. 49. ſtatim ſequente dicit : QUI *modus dicendi videtur mihi periculoſus* : & licèt addat ſtatim : *Non ſecus ac præfata diviſio ipſi* D. *Thomæ eſt manifeſtè contraria*, illa additio non deſervit, niſi ut ſecuriùs, & abſque periculo cenſuræ poſſet per latus *Maſſoulié* impetere, & cenſurare D. *Thomam*. Et ut cætera alia omittam, à pag.47. incipit dehortari à ſequela doctrinæ S.*Thomæ*, adductis exemplis variorum veterum Scriptorum, ut *Ægidii* Romani, qui fuit Diſcipulus S.*Thomæ*, *Capreoli*, *Hervæi*, *Paludani*, &c., qui floruerunt eo tempore, quo doctrina S. *Thomæ* non erat adhuc tam ſolemniter à Summis Pontificibus approbata. Hæc ſunt, quæ *Caducifer* poſt imploratam ſeriò, ut apparebat, S. Doct. *Thomæ* opem, applicatâ eidem oratione *Ildephonſianâ* ad B. Virginem, de eodem Eccleſiæ Doctore auſus eſt effutire.

10. Quis hìc non miretur admirabilem fidem, & obſervantiam Diſcipuli erga Magiſtrum ? Aut potiùs, quis tam hebes, & obtuſæ mentis, hæc legens, non videat, involutum eum in tegumentis diſſimulationis ſuæ, potiùs fictè, quàm ſincerè in maximam D.*Thomæ* laudem illa pronuntiâſſe ? Annè admirabilis illa, & veriſſima laudatio, quam S. *Ildephonſus* in honorem Sacratiſſimæ Virginis protulit, honestè ac verè alteri Sancto accommodari poteſt ? Parnè, atque eadem poteſt eſſe laus, ut quæ data eſt Sacratiſſimæ Virgini, in laudem alterius Sancti poni debeat ? Pleniore ore profectò laudandus eſt D. *Thomas* ; at laudandus veris, ac propriis ſui generis laudibus. Rurſus : Laudet hunc S. Doctorem eximiis, ac veris illis præconiis, quibus ab Eccleſia celebratur : at turpe, quòd tam eleganti ironiâ, ac diſſimulantiâ eum in Cœlum laudibus efferat, & poſt tantum de ejus laudibus detrahat, ut ea, quæ jurgantis animo profert, apertè ſignificent contra ea, quæ prius in ejus laudem protulerat, non vero, ſed potiùs

ficto

ficto vehementer amantis affectu diſſimulanter fuiſſe adducta. Quid apud legentes momenti habere poteſt tam aliena laudatio? An non ironiam dixeris, ſic in laudem alicujus loqui, ut alia quis dicat, alia ſentiat? Orationem ergo illam, quâ ſpecioſiſſimis, & glorioſis verbis tanti Doctoris Diſcipulum ſe profitetur, non modò non laudo, verum etiam vitio dandam puto. Obturatum eſt à *Chriſto* Domino os Dæmonis dicentis, Luc. 6. *Tu es filius Dei*, ut conſtat ex ſequentibus verbis: *Increpans non ſinebat ea loqui*. At cur ita? Et cur ex confeſſo Divinitatis honore laus ei non redditur: ſicut *Petro* dicenti, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, reſpondit *Chriſtus*: *Beatus es Simon Barjona*? Utriuſque una, & eadem erat vox; una, & eadem Divinitatis confeſſio. Cur ergo confeſſionem illius rejicit, & *Petri* nedum approbat, ſed impensè laudat? Reſpondeat *Auguſtinus* lib. 3. de Sacram. cap. 13. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Hoc dixit Petrus, & audivit: Beatus es Simon Barjona. Hoc dixerunt & Dæmones, & audiérunt: Obmuteſce. Una vox eſt; ſed Dominus interrogat radicem, non florem. Petri* verba à corde fideli prodibant; non tamen Dæmonis confeſſio, ut inquit D. *Athanaſius* orat. 1. contra *Arianos*: *Et Diabolus quoque loquebatur è Sacris Litteris; ſed tamen æquè illi os obturatum eſt à Salvatore. Si enim ea, quæ dicebat, animo ſenſiſſet, numquam excidiſſet è Cœlo*. Quid ergo mirum, quòd tam jucunda & grata fuerit *Chriſto* in *Petro* Divinitatis confeſſio, quæ tam ingrata, ac inanis fuit in Dæmone, ut falſa nimis? Obmuteſcat ergo & *Caducifer*, etiam dum ita ſplendidè Magiſtrum ſe noſſe D. *Thomam* profitetur; ſi enim ea, quæ dixit, animo ſenſiſſet, numquam à tam eximiis, ampliſſimis, ſinceriſque S. Doctoris præconiis excidiſſet, tantumque de ejus laudibus detraxiſſet. Non fumos illos vaniſſimos ſubjeciſſet, quibus ſub ſpecie pietatis, & affectûs erga Magiſtrum obtecta, & obſcura maneret ejus adverſa intentio. An juratus S. *Thomæ* hoſtis poterat modo magis ſarcaſtico, & deſpectuoſo S. Doctorem in ſcenam producere? Pudeat ergo *Caduciferum* iſta perfrictâ fronte aſſeveraſſe. Non approbationem *Crucifixi* hiſtoria confecit: illa eſt oraculo S. *Pii V.* roborata, qui hanc magnificam laudem S. *Thomæ* tri-

tribuit: *Quòd Scriptoris Angelici doctrina Salvatoris Crucifixi ore mirabiliter probata fuerit*. Univerſaliter loquitur Summus Pontifex de ejus doctrina, quam nullatenus reſtringit, ſicut ille animo minùs æquo fecit, ad ſcripta de Euchariſtiæ Sacramento. Roborata ergo eſt approbatio *Crucifixi* Sedis Apoſtolicæ ſacratiſſimo oraculo; ut ea ſunt, quæ de S. *Ignatio* in Breviario legimus, & de quibus *Caducifer* ipſe dubitare neminem ſineret. In reliquis non immoror, quibus neceſſe non eſt ſpecialiter reſpondere; cùm omnia æquè infundata ſint, & frivola, quàm hactenùs confutata. *Ea enim, quæ à veritate non veniunt, plerumque, & nullo impellente, ſeipſa ſubvertunt*; ut dicit S. *Auguſtinus* de Civit. Dei cap. 19.

11. Æquè injurioſus ille fulgentiſſimo Catholicæ Eccleſiæ lumini D. *Auguſtino*, dicens pag. 333. num. 138. *Nihil reverentiæ detrahi D. Auguſtino (ſi ejus oraculis ſtandum ſit) aſſerendo, eum multis locis more Platonico, profundèque ſubobſcuro aliqua tetigiſſe*. Annon hoc falſum, improbabile, & abſurdum, contumelioſè renovans, quod injurioſè pietati, & doctrinæ huic firmiſſimæ Eccleſiæ Catholicæ columnæ dixit alter, cujus nomini parco: *Auguſtini* doctrinam impeditiſſimam eſſe, & ſecum ipſam pugnantem: ipſius libros tenebris, nubibuſque ita obductos eſſe, ut abſque profunda meditatione diſcerni nequeat, quid doceat, ut dubium, quid ut certum; quid adverſarios impugnans, quid ſua defendens? Hoc nimis abſurdum, temerarium, maleſonans, piarum aurium offenſivum, inſinuat iterum *Caducifer*. Sed quid eſt, quod *Caducæus* talis, cùm ſemel frontem perfricuit, aggredi non valeat?

12. Quas non etiam ſubdolas Scholæ Thomiſticæ criminandæ rationes ipſe commentus eſt; perſuaſus fortè, quòd modo loquendi lepido, & vanis hominibus capiendis apto diſjicere poſſet Scholæ Thomiſticæ de gratiæ efficacia doctrinam? Pudet profectò ea tam miſera referre, quæ ex impotenti obtrectandi ſtudio ad invidiam Scholæ noſtræ conflandam inverecundè confixit, in rebus tam ſeriis offenſionem religioſarum aurium minimè pertimeſcens. Pag. 179. num. 251. ait: *Neque ulterius eſt prætereundum diſcrimen ſupra tactum, quod in-*

intercedit inter Academias donatas PP. Dominicanis, & donatas PP. Societatis: nam hæ expreſsè ipſis conceſſæ ſunt pro doctrina Societatis ſuſtinenda, & amplificanda, illæ vero illis conceſſæ ſunt ad prælegendam doctrinam S. Thomæ, non tamen expreſsè ad ſuas novas prædeterminationes, quæ non ſunt ingenua ſoboles D. Thomæ. Pag. 282. lin. 9. *In Scholis multi ſunt termini, qui pro tempore controverſiæ naſcuntur legitimi; ſed paulatim uſurpantium multitudine, adulterantur non ſecus ac medicinæ .... Atque etiam hoc modo quoque Prædeterminationem phyſicam olim forte innocenter, imò & opportunè inventam, modo novis armaturis obduruiſſe contuemur.* Et pag. 287. n. 71. lin. 10. *Sed ad hos angiportus miſeri ſe recipiunt cum ſua phyſica Prædeterminatione ad velificandum, qui per mare Regium philoſophandi eam* TUTO *ductare non poſſunt.* Sic ille in Scholis Thomiſtarum, ad quas Summus Pontifex omnes, ut accedant, hortatur, omnia ſuſpecta reddere, & adverſus eorum ſcripta circa efficaciam gratiæ legentium commovere animos intendit. An hæc ſcribens remediis cauſticis ſit dignus, eorum, ad quos pertinet, judicio relinquo.

13. Pergit inſuper, & gratiæ per ſe efficaci ad ſingulos pietatis actus adeo implacabile bellum indicit, ut eam velut *Calvinianam* perſequatur; defenſores velut *Calviniſtas* traducat; & abſque fronte *Calviniſtas* depingat velut Catholicos. Sic ille pag. 298. num. 86. *Aliqui Jeſuitarum in vi argumenti* dicunt, *non alium ſenſum compoſitum, & diviſum uſurpare videri Thomiſtas, quam Calviniſtas ... Alii vero Jeſuitæ .... declarant ſenſum diviſum, & compoſitum Thomiſtarum eſſe diſtinctum à Calviniſtico. Et hoc eſt verum, ſive ſcholaſticè loquendo, ſive dogmaticè. Scholaſticè quidem:* (nota benè) *quia cum Calviniſtæ non renuant diffiteri veram, & expeditam poteſtatem, & gratiam ſufficientem conſtitutivam veræ libertatis adhuc ſub prædeterminatione, quam Thomiſtæ uſurpant, & tradunt, non conantur eludere id, quod effrontes pernegare non erubeſcunt.* Igitur tota differentia erit, quòd Thomiſtæ conantur eludere, nec audeant negare, quod Calviniſtæ pernegare non erubeſcunt? Quid ad hæc eloquar? Quis Catholicus auderet talia ſcribere, vivente adhuc Ponti-

ſice

fice illo, qui recentiſſimè Scholam Thomiſticam tot laudibus, & beneficiis cumulavit; & non ſolùm cenſuras, ſed quidquid calumniantium cenſuras, in Scholam Thomiſticam jactas promovere valeret, aut firmare, ſub Canonicis pœnis, & obedientiæ præcepto prohibuit?

14. Ad id firmandum laudat *Caducifer* pag. 12. num. 21. cenſuram intruſam in operibus Eminentiſſimi *Cardinalis Bellarmini*, illius doctiſſimi viri, Orthodoxæ eruditionis, quem *Caducifer* auctoritate ſuâ *Doctorem Eccleſiæ* conſtituit, pag. 563. num. 154. dicens: *Obſerva ſecundo circa poſtremum, eumque graviſſimum hominem Societatis, &* DOCTOREM ECCLESIÆ *Robertum Bellarminum &c.* Cenſura talis eſt: *Hæc opinio* (Thomiſtarum) *videtur mihi eſſe omnino eadem cum errore Calvini, & Lutheranorum, aut parum ab ea diſtare.* Quam cenſuram *Bellarmini* non eſse, inde invincibiliter, ut cætera omittamus, probatur; quòd *Bellarminus*, *Leſſio* in reſp. ad cenſuram Lovanienſem, *Germano Philaletæ*, ſive *Jacobo Platelio* in auth. contra præmot. phyſicam num. 15. *Hennao* de Scientia media ſect. 175. tribus ſcilicet Jeſuitis fatentibus, ſententiam de gratia per ſe efficaci *Lovanii* publicè docuerit. Hic etiam Eminentiſſimus in Appendice vitæ ſuæ propriis manibus, Superiore jubente, ſcripta ita teſtatur: *Circa librum Molinæ de Concordia primò admonuit P. Generalem, antequam lis ulla exoriretur, eſſe in Molina multas propoſitiones male ſonantes; & ſcriptas illi exhibuit. Eas P. Generalis miſit in Hiſpaniam: & inde ſecuta eſt nova editio P. Molinæ, in qua propoſitiones illas mollire conatur; & dicit ſe diſputativè, non aſſertivè locutum.* Quam Appendicem, cujus hic fragmentum exhibeo, R. P. *Mutius Vitelleſcus* General. Soc. P. *Sacchinus* Secretarius, & P. *Andreas Eudemon-Joannes*, omnes Profeſſi dictæ Societatis, tactis pectoribus ſub juramento recognoverunt, piæ memoriæ Card. *Bellarminum* ſcripſiſse propriâ manu. Ita atteſtatur, & fidem facit pro D. *Sylveſtro Spada Franciſcus Meula* ſubſtitutus die 28. Octobris 1622. Invenitur in Bibliotheca Caſanatenſi. Deinde ipſe Eminentiſsimus *Bellarminus* in lectulo mortis, ut referunt *Allegambe*, & *Sotuell* in Biblio. Societatis, *Bartholi* lib. 2. de vita *Bellar-*

mini cap. 16., *Fuligatus* cap. 41. conteſtatus ſit, ſe *nè de Divinis quidem auxiliis aliter morientem ſentire*, *vel umquam ſenſiſſe*, *quam in controverſiarum libris docuiſſet*; ſivè numquàm in hoc puncto mutaſse ſententiam: *Nè ho mai mutato opinione*, ut loquuntur duo ultimi Scriptores. Si ergo *Bellarminus* circa gratiæ efficaciam, numquam ſententiam mutavit; ſi *Lovanii* gratiam per ſe efficacem publicè docuit; ſi ſemper idem ſenſit, prout in Controverſiarum libris docuit, neceſse foret in his legi ſententiam eamdem, quæ tamen modò ibi legitur cenſurata; ſed intrusâ haud dubiè cenſurâ.

15. Laudat pariter *Caducifer* pag. 293. n. 79. ſimilem Patris *Suarii* cenſuram, referens ejus verba: *Talem phyſicam præmotionem*, *gratiam ſufficientem*, *libertatiſque uſum de medio tollere*, *ac proinde Hæreticis hujus temporis favere: ideoque dignam eſſe*, *ut per Eccleſiæ cenſuram damnetur*, *vel potius jam damnata declaretur .... Nam licèt non ſub ea voce*, *ſub aliis æquivalentibus jam damnata eſt*. Quæ verba, ſi modò *Suarez* viveret, nuſquam ſcriberet, ſi tamen unquam ſcripſit. Opus namque illud præfert quidèm nomen *Suarez*, ſed à *Theophylo Raynaudo* editus eſt Lugduni [ut teſtatur *Vincentius Baronius* tom. 1. Theol. moral. pag. 7.] qui, qualis ſit Scriptor, omnibus ſatis notum eſt.

16. Pag. 306. num. 97. adducit *Caducifer* longam auctoritatem *Bail* Pariſienſis: ſed ſi auctorem illum benè noviſſet, abſtinuiſſet, credo, ab emendicando ejus ſuffragio. Inſpiciat noſtrum *Piccinardi* tom. 3. de approbat. doctrinæ D. *Thomæ*, videbit hominem illum nunc confundere Thomiſtas cum Calviniſtis; nunc fateri. quòd *Thomas non erat cum eis* (Calviniſtis) *ſicut nec ignoravit Calvinus*. Inveniet ignorantem, quòd Commentaria D. *Thomæ* in Magiſtrum ſententiarum non in tractatus, ſed per diſtinctiones ſint diſtributa. Deprehendet tutantem, quòd *Fauſti* Semipelagiani libri ſint Catholici. Unde *Piccinardus* noſter verba quædam, quæ ipſe *Bail* in alios effuderat, jure meritiſſimò ei reſtituit: *Multi*, inquiens, *Cenſorum munus ſibi arrogant*, *qui rem*, *de qua agitur*, *ſatis perſpectam non habent*, *nec ipſam intimè*, *ac penitiſſimè*, *ut dicitur*, *pervadunt: prius enim*, *quàm judi-*

cium

cium de cauſa feras, temperandum eſt ab affectibus, & ejus diſcuſſioni, ac introſpectioni diligenter inſiſtendum, ut de Scriptoris mente, non ex angulis aliquot detruncatis, ſed ex textura totius ſcriptionis pronunties, nè in perverſitatem calumniandi aliena ſcripta incurras. Sed hôc omiſsô ad fraudem *Caduciferi* accedamus. Ejuſdem *Bail* verba contra Prædeſtinationem hæreticam, ſeu Janſenianam dicta, aptat, & dicit intelligenda de prædeſtinatione Thomiſtica: verba *Caduciferi* num.97.pag.cit. *Bail Pariſienſis Theologus, qui in Bibliot. concionatoria anno 1666. Pariſiis impreſſa, dum in illius Anteloquio tam de prædeſtinatione, quàm de gratia Hæreticos redarguit, ejus mentem à pag.2. uſque ad 4. ſatis contra Thomiſtarum gratiam oſtendit (quam tamen ab Hæreticis diſtinctam, & diſtantem agnoſcit in Anteloquio pag.118. & nos abundè concedimus) & ut magis conſtet, pura ejus verba referamus ....* „ Ac primò quidèm, inquit, Heretici opinione ſuâ
„ de prædeſtinatione, ut illam cum ſuis appendicibus vendi-
„ tant.... ſuccidunt omnes nervos prædicationis. . . . Quod ſi
„ inſuper annunties *Chriſtum* ſanguinem ſuum fudiſſe tantùm
„ pro illis paucis prædeſtinatis; & cæteros nullam partem in
„ illo habere, nec ab ipſo reſpectos, quantum hoc horrori
„ eſt! Quòd ſi id exaggeras ex diſcrimine ſtatûs innocentiæ,
„ in quo conditus eſt primus *Adam*, & ſtatus naturæ corru-
„ ptæ, poſt ipſius peccatum: quòd in primo illo ſtatu gratia
„ ſubdita erat voluntati: at in poſteriori gratia ſic ſibi ſubji-
„ ciat voluntatem, ut numquam illi reſiſtat, ac neceſſariò
„ ejus ductum ſequatur? Quis non inde concludat, &c. „
Ex his clarum eſt *Bailium* loqui de prædeſtinatione Janſeniana; nullus enim Thomiſta ita loquitur de Sanguine *Chriſti* effuſo, aut differentia ſtatûs naturæ innocentis, & lapſæ; ſed *Janſenius*. Immo cùm ipſe *Bail* ſtatim ab initio dicat, ſe loqui de Hæreticis; tamen *Caducifer*, pro ſua humanitate (vult enim humaniſſimus videri) dicit, ex illis verbis colligi poſſe, quid de prædeſtinatione Thomiſtica ſenſerit. Nonne qui ſic loquitur, indicat eamdem eſſe Thomiſtarum, & Hæreticorum ſententiam? Nec refert, quòd ſub parentheſi dixerit, ſe abundè concedere diſtinctas eſſe doctrinas; talis

quippe ſimulatio fraudi eſt conjunctior, quàm honeſtati; nec enim in ſpecie fictæ ſimulationis, veritas eſſe poteſt: quarè dulcis ac ficta illa clauſula non excuſat, ſed magis aggravat injuriam, additô ludibriô ignominioſiſſimô.

17. Rursùs pag. 349. num. 361. exſcribit partem quamdam concionis *Henrici Helmeſii* contra prædeſtinationem Lutheranam, quam intorquet in Thomiſtas. Id ut efficiat, reſcindit quædam verba, quæ ſignificabant agi contra *Lutherum*. Sic enim habet *Cadacifer*: *Hanc autem ſic mihi veram eſſe perſuadeo, quòd Deus omnia propter ſuam gloriam non ſolùm operetur, ſed etiam ab æterno operari decreverit: at nihil magis ad gloriam Dei, quàm bonos præmiô, malos ſuppliciô afficere*. Sequentia omittuntur aſtutè: *E contra illi inglorium eſſet, ſi hoſtes, ſi peſſimi, & rebelles ejus curiæ deliciis fruerentur*: quæ indicant agi contra *Lutherum*, qui ſuos, prætextu quòd eſſent prædeſtinati, idque fide Divinâ credere ſe profitebantur, hortabatur ad audacter peccandum, tom. 1. Epiſt. edit. Jenæ fol. 345. *Eſto peccator, & pecca fortiter*; & de Captiv. Babylon. tom. 5. fol. 404. in cap. 2. ad *Galat*. *Vera cognitio Chriſti, ſeu fides, non diſputat, utrùm feceris bona opera ad juſtitiam, aut mala ad damnationem, ſed ſimpliciter ita ſtatuit: ſive feceris bona opera, non ideo juſtificaris, ſive feceris mala, non ideo damnaris*. Contra hunc errorem declamabat *Helmeſius*; ſed *Caducifer* non pacificus, ſed doloſus incedit: hæc dicit dicta de prædeſtinatione Thomiſtica; ideo omittit ultima verba. Et quid tandem dicit iſte *Caducifer*? Conſiſtit ſubſtantia tota in eo, quòd ex Thomiſtarum ſententia deſperatio oriatur, ſuccidatur nervus prædicationis: & quid non? Sed omnibus illis verbis, quibus *Caduceator* integram, & ampliùs, paginam implevit, audiant *Bailius*, & *Ortizius Auguſtinum* de prædeſt. Sanct. c. 22. ſic detonantem: *Hæc atque hujuſmodi cùm dicuntur, ſive paucis Chriſtianis, ſive multitudini Eccleſiæ, cur metuimus Sanctorum prædeſtinationem, & veram Dei gratiam, id eſt* (Nota) *quæ non ſecundùm merita noſtra datur, ſicut eam Scriptura prædicat, prædicare? An verò timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo; non autem deſperaret, ſi eam*

eam in ſe ipſo ſuperbiſſimus, & infeliciſſimus poneret? Et ibi c.17. *Videant quale ſit, quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis, quàm exhortationis afferri. Hoc eſt enim dicere, tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſe ipſo, ſed in Deo didicerit ponere; cùm tamen Propheta clamet:* MALEDICTUS HOMO, QUI SPEM HABET IN HOMINE. Audiant S. *Thereſiam* apud *Caducifer.* pag.15. *Infelix ego, Domine, ſi penes me eſſet, veſtram voluntatem impleri, ſicut in Cœlo, & in terra.* Audiant ergo S. *Franciſcum Saleſium*, qui Epiſt.8. apud *Cubillas*, diſtinguens triplicem ſententiam circa prædeſtinationem, ſcilicet, primam Patrum ante S. *Ambroſium*, ſecundam *Auguſtini*, & *Thomæ*, & tertiam illorum aliorum, quæque adeo nec ſit Patrum ante S. *Ambroſium*, nec *Auguſtini*, nec *Thomæ*, dicit poſſe in unaquaque iſtarum ſententiarum benè tractari partes patheticas, ſeu loca affectiva. Audiant Em̃um S.R.E. Cardinalem *Alanum*, virum doctrinâ, & pietate clariſſimum, inſuper Societatis amantiſſimum, ut teſtatur *Robertus Perſonius* Jeſuita in Apologia pro Seminariis fol.6. verſ. *Et aliis*. Quid ergo vir ille ſummus? Teſtatur *Balduinus Rithovius Regius*, & Ordin. S.T. Profeſſor *Duaci*, illius quondam diſcipulus, in reſponſ. ad P. *Joann. Deckerium* Jeſuitam, ſibi *fide dignó teſtimonió* conſtare, laudatum Eminentiſſimum, à Cathedra Remenſi ideo prohibuiſſe quoſdam, quia contrarium prædeſtinationi gratuitæ, *uti didicerant, docturi etiam fuiſſent.* Cui ergo magis credendum: an *Bailio*, an *Auguſtino*, & *Thomæ*, totque ſanctiſſimis Viris?

18. His profectò concinunt, quæ ſcribit *Caducifer* pag.303 punct.6. num.93. de Mag. *Graveſon*, & de me loquens: *Qui ambo Auctores .... ut optimi ſuæ Religionis pugiles meritò ad arma retractanda viſi ſunt ſe accinxiſſe, eo quod congredi cum hæreticis res ipſa domeſtica poſtularet: quippe quæ, occaſione Decretorum Eccleſiæ, ab hæterodoxis eſſet plurimùm impetita.* Et in fine ejuſdem numeri addit ſequentia: *Verùm cùm damnationes, proſcriptioneſque Pontificiæ, quæ à Summo Capite Eccleſiæ, aliquot abhinc annis contra Bajum, Janſenium, Queſnellium intentæ ſunt, ad fovenda potius arma Catholica*

Je-

Jeſuitarum, qui iſtiuſmodi hæreticis è diametro oppoſitum bellum gerunt, magis inclinatæ fuiſſe videantur; quodammodò hi nuperi auctores ſeſe cogi arbitrantur, ut cum Jeſuitica cohorte prælia renovent. Cùm tamen præſtantius non ſit, ſicut in hoſtem, arma vertere in commilitones ſuos, qui fæliciùs & glorioſiùs illum obtruncant; ſed ſatius foret, dum vident eos, eſſe ſuô genere armorum magis ovantes, ipſis ſeſe adjungere, atque eorumdem arma facere ſibi communia. Hæc omnia immeritò, & gratis ſcripta ſunt. Ecquis enim Thomiſta Scholæ ſuæ dogmatibus timere poterat, ob fulminata contra recentiores errores anathemata, ubi ipſi Romani Pontifices, fallere, & falli neſcii in dogmatibus, doctrinæ Thomiſticæ puncta caracteriſtica abundè à damnatis erroribus ſecernunt; Dominicanos, ut inſiſtant avitæ doctrinæ, ut contemnant calumniantium aculeos, hortantur; privilegiis ornant, quò indies magis ac magis Scholæ eorum frequententur? Ergo hæc, aut nulla ſunt, aut digna, ut omnium irriſione ludantur. Quod verò aſſerit, *Graveſonium*, & me arma vertiſſe in commilitones ſuos, velut in hoſtes; ſi intelligat de armis defenſivis contra eos, qui fratres ſuos, ſive occultè per inſidias, ſive publicè tanquam hoſtes invaſerunt prius, id ultrò fatemur: ſed tales eſſe commilitones deſinunt.

19. Fateor inſuper, quòd hinc inde, occaſione oblatâ, etiam offenſiva quædam arma tractaverim contra alios, ſemper tamen ſalvâ charitate Chriſtianâ, quibus, intra metas tamen debitas, & Scientiam mediam, ejuſque confectarias opiniones rejeci, gratiæque intrinſecam efficaciam propugnavi: at hoc poſtulabat tempus, ratioque operis, quod non ſolùm pro Scholis Catholicis, in quibus debita obedientia præſtatur Conſtitutioni, *Unigenitus*, fuit elaboratum; ſed contra eos, qui noviſſimâ factâ *Queſnellii* damnatione, poſuerunt in Cœlum os ſuum, blaterantes, ut nunc etiam blaterare non ceſſant, Conſtitutionem, *Unigenitus*, clave errante prodiiſſe, ſtudio partium, & ex prava, ac falſa ſuggeſtione Patrum Societatis, qui hôc artificiô ſuas exaltare de Scientia media opiniones, & Scholæ Thomiſticæ ſententias de Prædeſtinatione gratuita, & efficacia intrinſeca gratiæ deprimere conati ſint,

ſint, quòd nonnulli ex eis aſſerebant, à quibus non multùm diſtat *Caducifer*, dicens: *Verùm cum damnationes, proſcriptioneſque Pontificiæ, quæ à Summo Capite Eccleſiæ aliquot abhinc annis contra Bajum, Janſenium, Queſnellium intentæ ſunt, ad fovenda potius arma Catholica Jeſuitarum.... magis inclinatæ fuiſſe videantur*. Non arma facere communia opportunum judicavi, ut, diſſipatâ hâc illorum calumniâ, ſimplices Chriſtiani, qui ad hanc petram ſcandali hucuſque impegerunt, Conſtitutioni *Unigenitus* ſe ſubjicerent. Ceſſarent quoque Miniſtrorum *Calvini* calumniæ, qui ſimplicem populum hâc arte dementant, & in hæreſi continent; quòd dicant, Romanam Eccleſiam Pelagiana dogmata (hôc nomine appellant placita *Molinæ*) ſectari. Præſtat unum, aut alterum ex illis Calvinianis audire. 1. eſt *Leydeckerus* Theſi 1. de Janſeniſmo dicens: *Nos quidèm non ægrè ferimus has Jeſuitarum artes; quin vellemus Romanam Curiam ipſorum conſiliis aſſentiri, quo pateſceret amplius inſanabilem eſſe Babelem, jure factam à nobis ex ea ſeceſſionem, Pelagianiſmum eſſe Papatûs fidem, nec poſſe coli cum Italica Sede communionem ab illis, qui quodammodò gratiæ guſtum habuerunt*. Addamus & alterum ejuſdem ſectæ Scriptorem, quô evidentiùs dicta pateant, Min. *Jurieu* in libro, cui titulus, *Judicium de ſeverioribus, & laxioribus methodis*, ſect. 18. occaſione doctrinæ Molinianæ, quam in Eccleſia Romana permiſſam obſervat, dicentem: *Non id dico quaſi Pelagianiſmum in Eccleſiis Proteſtantibus permitti velim, ut illum in Eccleſia Romana permiſſum obſervo: abſit*. Hæc cùm ita ſint, rogo modò: An facilior eſſet *Calviniſtarum*, *Janſeniſtarum*, & *Queſnelliſtarum* ad fidem converſio, ſi eorum errores confutaret is, quem doctrinâ Societatis teneri captivum viderent? cùm tota eorum querela ſit, quòd per Societatis potentiam, per importunas preces, falſiſſimos, & calumnioſiſſimos prætextus à Sede Catholica extorta fuerit Conſtitutio *Unigenitus*. An crederent illi poſtremam inventionem Scientiæ mediæ, qualem illam proponit nobis *Caducifer* pag. 94. num. 134. his verbis: *Cujuſmodi nulla alia ab exordiis Eccleſiæ meruit eſſe in poſterum ſcientia approbationis*? An ut illi à noxiis doctrinarum ſuarum

pa-

paſcuis ad paſcua doctrinæ ſalutaris accederent, opportunum argumenti genus contra eos eſſet, aſſerere, quòd ſcientia media his poſtremis ſæculis nonniſi ope *Spiritûs Sancti videatur inducta*; quòd jam illa non eſt *ſub lite*, ſed *ſub Canone*, de qua jam opinari minimè licet, prout nobis annuntiat ibi *Caducifer* num. 135.? Non ſine riſu hoc legerent, & vehementer obtupeſcerent, quòd contra Sedis Apoſtolicæ mentem audeat quis hujuſcemodi fabulas dictitare, atque in vulgus ſpargere. Et tandem, num proponendum eis erat, quod *Caducifer* ſcripſit pag. 86. num. 126. circa medium: *In hæreticis oſoribus Romanæ Eccleſiæ totum crimen ſitum eſt in foco morboſiſſimo vetuſtatis*? An non triumpharent illi, quibus, ſicut & omnibus, venerationi eſſe debet veneranda doctrinæ canities; potiùſque caſtigandam crederent ſic loquentis ſtultitiam? Hæc, ſi loqueremur, ſuſpecta nimis Novatoribus eſſent. Non ergo jam ſtupeat *Caducifer*, quòd dum calamum contra eorum venenata dogmata ſtrinxi, arma non fecerim communia. Sola Thomiſtarum doctrina ſufficit ad terminanda diſſidia cum iis, qui ſub pio, & religioſo prætextu Diſcipulorum SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* perverſam ſuam intentionem obnubilare maximè curant. Nihil profectò hoc ſapientiùs pro finiendis diſſidiis: nihil erga Sanctam Sedem, ejuſque Decreta, & Conſtitutiones reverentiùs: niſi velit *Caducifer*, quòd etiam crimen ſit Conſtitutiones Apoſtolicas juxta Thomiſtarum doctrinam intelligere.

20. Injurioſum etiam nimis dicerem Scriptorem iſtum Sedi Apoſtolicæ, qui de SS. D. *Benedicto* XIII., quem virtus ſuis omnibus numeris abſoluta commendat, & quem magnitudo extra telorum jactum poſuit, ſequentia profert pag. 458. *Nota tertiò .... in quarum litterarum revocatione, ut credi poteſt, includitur illud Breve ab eodem Benedicto XIII. RR. PP. Dominicanis, quod incipit: Demiſſas preces. Quippe ex quo circa puncta ſpeculativa doctrinæ inter Academias, & Doctores diſſidia non modica permanârunt.* Quid enim? Siccine ex Decreto Apoſtolico in materia doctrinæ diſſidia, ac per conſequens ſcandala permanârunt? An Scholæ diſcere ab Apoſtolica Sede non tenentur, quid credere,

re, quid tenere, quid docere debeant, & ad illam ſcripta ſua, & doctrinas examinandas, & emendandas dirigere, ut nullus adversùs *Petri* auctoritatem ſententiam ſuam defendat? Nulli privato fas eſt Apoſtolicæ Sedis Decreta temerare, ſive pro fide, ſive pro diſciplina, ſive pro interdictione malorum futurorum lata, ut declarat Concilium *Romanum* II. ſub *Leone* I., & Concil. *Senonenſe* cap.6.; eorumque offenſores cenſuræ ſubjectos pronuntiat *Nicolaus Papa* in cap. *Si quis dogmata*, cauſ.25. quæſt.2. ibi dicens: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica Fide, vel Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apoſtolicæ Præſide ſalubriter promulgata, contempſerit, anathema ſit.* Et quis major Sedis Apoſtolicæ Decretorum contemptus, quàm ea reprehendere, ut occaſionem diſſidii, & ſcandali? Sacratiſſima nempè oracula, quæ ob ſuam ſanctitatem, & æquitatem populorum omnium ſibi conciliare debent venerationem, & ſubmiſſionem; & quæ proponuntur omnibus tanquam ſacratiſſimum ſpeculum, ut in iis quiſque videat, quid ſequi, quid tenere debeat; quæ ideo irretractabiliter obſervanda, & accipienda ſunt tamquam ipſius *Petri* Divinâ voce firmata; cùm è contra defectu exactæ obedientiæ, & debitæ ſubmiſſionis arma præbeant hæreticis, filiiſque ſæculi, ut ea ludibrio vertant, & ut vana rideant? Quarè *Caduciferi* aſſertum cenſoriè notandum, & reprehendendum eſſe, diffiteri nemo poteſt. Sed hoc relinquo quorum intereſt.

21. Rursùs, de eodem Summo Pontifice *Benedicto* XIII. ait pag.425.n.190. in fine: *O quàm verum eſt, quòd excelſo excelſior eſt alius! Immortuus namque eſt Sanctiſſimus ille (Benedictus XIII.) ſanctiſſimè: litteræ, quæ in favorem ſui Ordinis emanarunt, ſunt revocatæ*, &c. Si majori cultu proſequimur mortuos, quàm vivos, tunc enim eorum virtus, fortitudo, ſapientia, reliquæque dotes celebrantur ab omnibus, hìc profectò Scriptor iſte inſultat mortuo Pontifici: illi, qui ſupra omne dignitatis mundanæ faſtigium evectus, Dei perſonam ſuſtinuit, qui clavum in Eccleſiæ Navi tenuit, & à cujus nutu in terris pendebant leges. Mortuus ille ſecundùm naturam; at

non ſecundùm auctoritatem, ut eam ſubſannet, & in deriſum vocet, dum aſſerit, quòd *excelſo excelſior eſt alius*. Non mortuo *Benedicto* leges, & decreta promulgata muta manent; ſed unâ, eâdemque voce Sedis Apoſtolicæ omnibus ſemper, & ubique loquuntur. Quòd ſi *Caducifer* unum Pontificem alteri comparet, turpiter hallucinatur, cùm loquendo de Summis Pontificibus aſſerit, quòd *excelſo excelſior eſt alius*; omnes enim Summi Pontifices, debitè electi, *Petri* ſunt Succeſſores in Apoſtolica Sede cum æquali poteſtate, & eadem auctoritate, ut eſt conſtans omnium Catholicorum ſenſus, fundatiſſimâ Eccleſiæ traditione fundatus. Et expreſsè dixit *Zozimus* Summus Pontifex ad *Africanos Epiſcopos*: *Ex ipſa quoque Chriſti Domini promiſſione . . . par poteſtatis data conditio in eos, qui Sedis hæreditatem, ipsô annuente, meruiſſent.* An hoc eſt revereri, ut oportet, legitimam Eccleſiæ poteſtatem, in vivente Pontifice reſidentem, aut potiùs reddere illam contemptibilem, dum *excelſo excelſior eſt alius*? Num licentior iſte, & diſſolutior ſcribendi modus congruat fidelium pietati, & obſervantiæ erga Sedem Apoſtolicam, totum hoc aliis judicandum relinquo.

22. Subit hìc pariter mirari æquè infundatam, atque injuſtam calumniam, ac criminationem, quam loquitur Auctor iſte adversùs viros officio venerabiles, pietate, & ſcientiâ celeberrimos, Rm̃um P. Fr. *Vincentium Bandellum* totius Ordinis Præd. Gener. Magiſtrum, & Rm̃um P. M. Fr. *Bartholomæum de Spina* quondam Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, quos pag. 42. num. 68. erroris inſimulat, imponens primo, quaſi ſcripſerit: *Sententia D. Thomæ fundantis ſe in Sacra Scriptura, præferenda eſt determinationi Sedis Apoſtolicæ, aut Concilii Generalis*, nullô indicatô locô, ubi hæc dicat. Item Rm̃o *Spina*, ac ſi dixiſſet: *Dicta Patrum in Sacris Scripturis præferenda ſunt Conſtitutis Summorum Pontificum, immo præferuntur determinationi Concilii*, nullô rursùs locô citatô. Verùm, cùm præſentiret ſe poſtulari poſſe calumniæ, eo quòd non citaſſet loca iſtorum Auctorum, in Indice, verbo, Fr. *Vincentius Bandellus*, dicit id ſcripſiſſe lib. 1. cap. 37., & lib. 2. part. 2. in titulis 2. viæ. tit. 4. & 6. Sed liber hujus Auctoris

ctoris ſic diviſus nullibi extat : unde recurrit tandem ad hoc ; *Utriuſque tamen verba , prout relata ſunt , extant in Archivo Complutenſi Societatis Jeſu in gravi & antiqua ejuſdem Apologia.* Mordax potiùs, quàm vera cenſenda videtur hujus Scriptoris aſſertio. Cui enim argumento poteſt eſſe Apologia illa, abſcondita, vel vera, ut tam inverecundè evulgare valeat fideliſſimos iſtos D. *Thomæ* Diſcipulos non adhæſiſſe S. Doctoris doctrinæ , quam expreſsè firmat 2.2. quæſt.1.art.5.? An nulli juſta , aut ſufficiens eſt dubitandi ratio, quòd ſimilis Apologia in Archivo Collegii Complutenſis ſit reperta, ut in re tam gravi temeritatis , & calumniæ effugiat notam ? Dicat enim , amabò , ſi quis eôdem obtrectandi animô (quod ab omnibus abſit) publici juris faceret aliquid , quod apertè vergeret , & tenderet in detrimentum honoris Scholæ ſuæ, eo nempè, quòd legeretur in libello quodam in impervia aliqua Bibliotheca reperto, quam fidem huic inſtrumneto adhiberet ille? An non fureret adversùs eum , qui hoc arbitrario nixus fundamento hiſce ſimilibus dicteriis religionem ſuam afficeret ? An non omnibus ſui *Caducæi* tibiis ubique terrarum inſonaret *Ortizius*, quòd inſignis eſſet calumniator, & quòd omnes metas pudoris tranſiliens , omnemque impudentiam prætergrediens, temerè ille calumniam hanc evulgaverit? Audiat ergo *Auguſtini* conſilium tom. 5. ſerm. 108. deverb. Evang. *Luc.* 12. dicentis: *Vide , quomodò iraſceris , ſi quis de te malè loquatur . Quomodò iraſceris alteri, quando de te malè loquitur : ſic iraſcere tibi , quando de altero malè loqueris :* ut deſinat hôc hactenus inauditô , aut plus quàm inviſô teſtimoniô adversùs ſupremum Ord. Præd. Caput , & eximium Sacri Palatii Magiſtrum inſurgere ; in mentem ſemper habens , qualis , quantaque ſit in Ordin. Prædic. erga Sedem Apoſtolicam obedientia ; cujus alumni ejus tot illuſtria dederunt teſtimonia ; nec uſquam ulli adversùs eam , in furorem veluti acti , in impias haſce voces erupêre : ſuper quo conſulat *Chriſtianum Lupum* Epiſt. Apolog. de attrit. cap.5. Emin. *Card. Noris* vindic. Auguſt. cap.6. & *Vincentium Baronium* opuſc. part.4. lib.1. ſect.2. & 5. §.7. Sed parcatur illi : non attendit quid diceret , ſed quod diceret . Quæſo te jam , Religioſe Lector , perpendas , an hæc

omnia à *Caducæo* relata ex parte reſpondeant magnificis, humaniſſimis, ac pacificis ejus verbis, quibus ſuum animum in Prologo ad Lect. declarat: *Conditum autem eſt opus ſine pipere, & forſitan ſine ſale: hic enim etiam aliquando mordere non deſinit, quod refugio maximè; nemo enim, quem demereri ſtudet, & in ulnas trahere, ſpiculis imprudenter transfodit. A reculis, verbulis, & hiſtoriolis abſtinendum putavi*, &c. Magis crederetur ei, ſi non ſcripſiſſet, aut ſcripſiſset aliter. Hæc argumentorum Capita annotavimus dumtaxat Lectori vel occupato, vel *Caducæum* non habenti, quæ ſufficiunt, ut hujus Scriptoris ſuaviſſimè ſibi placentis intemperantia demonſtretur; & ut caveat ille, ne per trabem ſuam, feſtucam aliorum videat; ut monuit *Rufinum Hieronymus* lib. 1. contra *Rufinum*.

23. Hæc dum ſcriberem, ecce defertur tomus 1. Curſûs Theologici R.P. *Joſephi de Araujo* Soc. Jeſu, impreſſus Ulyſippone 1734., quem cùm levi oculo percurrerem, incidi in paginam 332. num. 455. ubi ſic contra me expoſtulat, ac ſi limites honeſtatis in ſcriptis meis exceſſiſſem: *Vellem tamen*, inquit, *benigniori animo, ut virum aliunde Religioſiſſimum decet, ſuam proponeret, noſtramque doctrinam, amotis cenſuris, impugnaret*. Nonnè decuiſſet, ut ipſemet obſervaſſet, quæ in me gratis deſiderat? Et tamen ipſe pag. 240. num. 540. doctrina Thomiſtica, poſtquàm recentiſſimè à Romanis Pontificibus, tot Litteris probata, laudata, commendata eſt, ut videatur eſſe doctrina Sedis Apoſtolicæ, dicere non eſt veritus: *Prædefinitio omnino independens à Scientia media .... in noſtris principiis certum eſt libertati repugnare, ſicut decretum prædeterminans*. Verùm quàm infundata ſit hæc prima accuſatio, teſtatur pro me D. *Martinus Ortiz* in ſuo Caducæo Theologico. Nam loquens de primo Opere meo pag. 238. num. 9. etiam laudibus, quibus tamen non delector, ornat, ſcribens: *Hic ergo Author doctè, modeſtè, graviter ... hoc Opus elaboravit*. De ſecundo verò ita lego pag. 545. num. 120. in fine: *Digna profectò ſparta proli Dominicanæ, & quæ proinde in fronte Operis à multis Regularium calculis approbetur. Quibus, & perlibenter calculum quoque noſtrum*

ſtrum adjungimus, tametſi nihili valiturum: dum videmus hominem . . . alienis caſtris morigerum certatorem, neque aliter quàm modeſta, & Religioſa manu ſua prælia tractantem. Hæc ſufficiant pro depellenda illâ primâ accuſatione.

24. Mittit deinde ibidem Lectorem ad duplicem Tomum, quem P. *Levinus de Meyer* ſcripſit adverſus Magiſtrum *Serri*, ut videat confutationem eorum, quæ ſcripſi. Ego quoque hortor Lectorem, ut *Levinum* iſtum adeat; non ut videat ſcripta mea ſolidè confutata; fruſtra enim hoc ibi quæreret; ſed ut videat varias propoſitiones *Molinæ*, omnium penè conſultorum, in famoſiſſimis illis de Divinis auxiliis Romæ habitis diſputationibus, calculo condemnatas: doctrinam verò Thomiſticam de gratia per ſe efficaci, ac prædeterminatione phyſica, inſuper de prædeſtinatione gratuita ad gloriam, totidem votis abſolutam à calumnia, ac Catholicam declaratam. Quapropter cenſores illi, uno ferè dempto, digni habiti ſunt pro gratia Dei per ſe efficaci calumniam pati, ſcilicet, quia præfatus *Levinus*, latens ſub nomine *Theodori Eleutherii*, eos ut *partiales*, *ſtupidos*, *ſtipendiarios*, *ignorantes*, *præcipites* traducit. Dixi omnium penè; nam inveniet ibidem P. *Antonium Bovium* ſolum conſtantem in abſolvendo *Molina*; quod evidentiſſimum eſt ſignum, illum non fuiſſe Stipendiarium Dominicanorum. Inveniet quoque Epiſtolas Archiducis Auſtriæ, ac Matris ejuſdem, variorum aliorum Regum, ac Principum pro opinionibus *Molinæ*, nè condemnarentur: nihil tamen ſimile pro ſententia Thomiſtarum. Ex quibus æquus Lector inferre poterit, quodcumque, omnibus ritè perpenſis, judicaverit per legitimam conſequentiam inde ſequi. At concludat, ut voluerit: nihil metuo cauſæ Thomiſtarum, dummodò Lector judicet depoſitâ omni partialitate. Perlegat libros illos, qui longè plus facient apud eos, qui materias de prædeſtinatione, & gratia non intelligunt, quàm quidquid de hoc negotio ſcripſerit, doctiſſimè licèt, *Lemos*, & *Alvarez*, & *Reginaldus*, & *Maſſoulié*, & *Graveſon*, aut quicumque Thomiſta. Horum enim teſtimonium circa illas facti quæſtiones poſſet aliquando eſſe ſuſpectum: at P. *Levino* facilè credetur, dum contra ſe, ac Scholam ſuam teſtimonium dicit.

25. Rur-

25. Ruſus incidi in pag. 287. ubi col. 1. legitur: *Rejicitur cogitatio P. Benitez innixa Tridentino*: quod dictum mihi, fateor, mirabile viſum eſt. Quid, inquiebam, rejiciet ſententiam innixam Tridentino? Hinc me converti ad videndum, an liber foret debitè approbatus; neque enim cogitabam fieri poſſe, ut liber approbaretur, qui rejiceret ſententiam Tridentino innixam. Sed inveni me deceptum. Approbationes reperi ampliſſimas, ex quibus meritum Authoris clarè pateſcit. *Sapientia, veluti Divina*, inquit R. P. Fr. *Antonius à S. Maria* Ordinis Excalceatorum S. *Auguſtini*, *ſplendet ergo Author hujus Theologici Curſus; ornatur enim omnium votis, & exclamationibus intellectu, ac ſapientia propè Divina, dum de Deo, rebuſque Divinis, quæ obſcura prius erant, nobis plana facit. Neque mihi hoc mirum, arduum, difficile, impoſſibilevè apparet, cum ſit meæ dilectæ Societatis filius; omnes quippe iſtius inclytæ Societatis filios, & alumnos*, QUASI DEOS VENEROR, AMPLECTOR, ET ADORO; *de illis enim jure optimo, & ſine cæcitatis labe à quodam Rege propheticum dictum intelligo*: EGO DIXI, DII ESTIS, ET FILII EXCELSI OMNES. *Iſti ſunt*, DII ILLI HOMINIBUS SIMILES FACTI, (*vix quia in ipſis apparet humanitatis umbra*) *qui ad nos è Cœlo deſcenderunt, ut orthodoxam fidem laboribus, exemplis, & ſanguine ſcriberent, firmarent, univerſumque terrarum Orbem lingua, verbo, & calamo edocerent, inſtruerent. Nemo mentis compos hoc negabit, quin ſtatim vel manum ferulæ ſubjiciat, vel celeriter ſupplicio negantium prima principia afficiatur. Veritatem iſtam proclamat, buccis crepantibus, Orbis litterarius; illam vero ſæpe ſæpius, ſæpiſſimèque prima veritatis Regula innumeris propemodum diplomatibus, ſi non de Cathedra, tamquam primus Doctor, cenſuit, judicavit, decrevit. Audeat igitur quiſquam in arenam deſcendere, ut hanc obnubilet veritatem, & ſtatim emeritas temeritatis, ſi non amentiæ, hæreſiſvè politicæ, pœnas luet acerbiſſimas. Statim magnanimus, & maximus Rex noſter, iſtius voluminis inclytus, & Regius Protector, juſtitiæ gladium evaginabit, ut tamquam reos Majeſtatis læſæ, audaces delinquentes, & temerarios parvulos ſæverioribus afficiat ſuppliciis, linguaſque eo-*

eorum non modo coerceat, ſed & refrænet. An hæc dixerit Approbator ille ad timorem injiciendum, ac ſic abſterrendum quoſcumque, ab impugnatione præfati operis, ignoro. Unum ſcio, ſcilicet, quòd potentiſſimus, ac æquiſſimus Portugalliæ Rex haud ægrè ſit laturus, ſi ego, ſervato juſto moderamine, defenderim ſcripta mea adverſus objectiones, quibus in laudato opere impugnantur. Et quidem ſi liber ille contineret doctrinam ſolidam, tutiſſimam, inconcuſſam, canitie venerabilem, in Sanctis Eccleſiæ Patribus fundatam, tum facilè conſentirem cum Approbatore illo, concederemque, quòd qui auderet talem librum invadere, brevi experturus eſſet, quòd Reges non ſine cauſa gladium portant. Si, inquam, nudam, ſinceram S. *Thomæ* doctrinam contineret, de qua ipſe *Ludovicus Molina*, in Dedicatione Commentariorum ſuorum in 1. part., *Philippum* Hiſpaniarum Regem Catholicum alloquens, dicebat: *Congeſſit in Theologicam Summam illud pulcherrimum Dominicanæ Familiæ, atque adeò Reipublicæ Chriſtianæ Aſtrum, quidquid ſtudió quæſitum, ingenió elaboratum, induſtriá perfectum, Religione ſanctum, bonis mortalibus uſui futurum videretur: at ita congeſſit, ut eam Theologiæ Summam, in qua Summa ſunt omnia, ſcitè in tres partes diviſerit; ac ſi ipſa diviſionis ratio, additæque deinde additiones protenderint, fore ut Europam, Aſiam, Africam, additumque poſtremò novum Orbem Chriſtianæ doctrinæ radiis illuſtrarent. Cui ergo primam hanc Summæ partem, niſi primo in prima Orbis parte, ac ſummo Regi conſecrarem? Cui diſſeminandam toto Orbe Doctoris Angelici doctrinam offerrem, niſi ei, cui tres Orbis partes magná ex parte obvenerunt?* Sic loquebatur *Molina*, credens ſe ſub umbra D. *Thomæ* (cujus doctrinam, proh pudor! eo ipſo opere oppugnabat) ac potentiâ Catholici Regis tutum futurum. Hoc tamen non obſtante, Hiſpaniarum Monarcha tantùm abeſt, ut ægrè tulerit *Molinam* à Dominicanis oppugnari, ut contrà Magiſtros *Lemos*, ac *Alvarez*, *Molinæ* adverſantes præmiis decorârit. Aliter ſanè Reges, aliter privati de rebus, & negotiis judicant. Hi ex motivis privatis, particularibus, ac infimis plerùmque procedunt: illi per altiores cauſas omnia dijudicant;

Re-

Religione potiſſimùm, quæ baſis, & fundamentum eſt Regnorum omnium. Quidquid ergo Religioni conſonum, ac cohærens eſt, id eis gratum; quidquid ab ea declinat qualitercumque, non gratum, ſed ſæpius eis abominationi eſt. Sed ad inſtitutum revertamur.

26. An non ridiculum, & ſatis profectò toti Ordini probroſum eſſet, ſi temporibus noſtris falsò inſimulari ſineremus doctrinam, quam antiquitus à SS. Patribus ſuſcepimus, ac hæreſis ſuſpectam reddi? An Scholam noſtram, quæ ſemper toto Orbe terrarum habita eſt fœcundiſſima virorum omni ſapientiæ, & doctrinæ laude præſtantium Parens, pro libito cujuslibet Scriptoris iſtâ tam præclarâ, tam magnificâ laude, quæ ad hanc diem crevit, & floruit, ſilentio noſtro decreſcere, ac deflorere patiemur? Ipſis ſanè ſuo de controverſia iſtâ judicio præcipiti ſententiâ contraria dogmata damnantibus accommodari poteſt illud Epiſt. D. *Judæ* verſ. 20. *Hi autem, quæcumque ignorant, blaſphemant*: vel quod dicit D. *Auguſtinus* lib. 12. Confeſs. cap. 25. num. 34. *Nec noverunt Moyſis ſententiam, ſed amant ſuam, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt*. Poſtulat ergo juſtæ defenſionis titulus, ut totis viribus huic fallaci ſuggeſtioni reſiſtamus, & falſis eorum ratiunculis veritatis clypeum opponamus: non quidem contumeliis, ſed eâ, quâ par eſt erga viros, aliàs Religioſos, reverentiâ, ut ſuadet *Apoſtolus* ad *Rom.* 12. v. 21. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*: & S. *Auguſtinus* lib. 1. contra Litteras *Petiliani* cap. 19. *Sine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſevitia pro veritate certate*. Quod ſi aliquando arguens, reprehendens, & condemnans aliqua, nimis inofficiosè dicta, ſeverioribus utor verbis, non ex hoc me violatorem fraternæ charitatis judices: *Habet quoque*, juxta mirabilem *Nazianzeni* ſententiam, *ſpiritus manſuetudinis, & charitatis ſuam vehementiam, ſuam iracundiam*: unde *Paulus* 1. *Timoth.* 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*. Non morabor in omnibus, minutâ quâdam, & anxiâ curioſitate ad calculos vocans omnia, quæ nobis objiciuntur: aliis hunc inofficioſum carpendi omnia laborem dimitto; nam omnibus reſpondere, præterquamquòd infiniti eſt negotii, nec ad-

admodum ex hujus operis qualitate fore video, nec operæ pretium ullum intelligo. Solùm diſſeram de his, quæ majoris momenti ſunt, & quibus vellem, ſi poſſem, breviter reſpondere, etiam omiſſis Adverſarii verbis. *Sed niſi*, ut inquit *Auguſtinus* lib. de perfect. juſt. homin. cap. 1., *illa commemorem*, *quibus reſpondeo*, *quis poterit*, *quemadmodum reſponderim*, *judicare*? *Conabor tamen quantum valuero*, *adjuvantibus me apud Domini miſericordiam etiam orationibus veſtris*; *ut non ultra*, *quam neceſſe eſt*, *meus ſermo percurrat*. Habes ergo, Lector ingenioſe, in cauſa hac expoſitas cogitationes meas, & vota pectoris mei. Si tibi pium, Chriſtianum, & utile videtur opus, quod interruptis, ut potui, horis, in commune Scholæ meæ bonum (quo nihil mihi pulchrius) elaboravi; viciſſim ad legendum pios oculos afferas; neque enim ambio, ut quiſquam libros meos in gratiam meam legat, ſi non invitat utilitas. At ſi quid fructûs ex labore noſtro excerpſeris, me piis votis *Chriſto* commendes, à quo uno ſolidum iſtius laboris præmium exopto.

MONITUM

Operi, *Concurſus Dei prævius &c.* præmiſſum.

STUDIOSO LECTORI.

QUINAM ſit ſcopus, quodnam argumentum hujus Tractatûs, quem oculis tuis, judicióque, Candide, & Studioſe Lector, expono, vel ex ipſo titulo tibi abundè patet. Argumentum eſt ſublime, & profundum myſterium, quod non ſermonis eminentiâ, mundanæve ſapientiæ faſtu innoteſcit. Hìc ſubjiciendus, frangenduſque eſt intellectus in ejus obſequium, ne ſi ultra modum videre intendat, in ſtultitiam deficiat immoderatus ſapiendi ardor, ut dixit *Hilarius*, pro hoc, & aliis dogmatibus intelligendis de Trinit. lib. 10. *Excedit itaque humanam mentem Dei poteſtas, ad quam ſi ſe infirmitas protendet, magis infirma reddetur, dum hoc ipſum, quod obtinet, amittit, potiore ad obtundendam eam rerum Cœleſtium naturâ; quia omnem ejus conſectantis ſe pervicaciam ipſa complexu ejus major infirmat. Ut igitur Sol ita videndus eſt, ut poſſit videri: tantuſque excipiendus lumine eſt, quantus admittitur; nè ſi plus velimus expectare, minus quoque quàm poſſumus, conſequamur: ita & ratio Cœleſtis intantùm intelligenda eſt, inquantùm ſe permittit intelligi: intantùm expectanda eſt, inquantùm apprehendendam ſe dedit; ne ſi contenti indulgentiæ moderatione non ſimus, amittamus indulta. Eſt ergo in Deo, quod percipi poteſt: eſt planè, ſi modò, quod potes, velis. Sicut enim eſt in Sole, quod videas, ſi hoc velis videre, quod poſſis: amittas autem quod potes videre, dum quod non potes, niteris; ita & in rebus Dei habes quod intelligas, ſi intelligere, quod potes, velis. Cæterùm, ſi ultra quàm potes, ſperes, id quoque, quod potuiſti, poſſe non poteris.* Et iterùm ibi: *Quod ſi contuentibus Solis claritatem, virtus intenti luminis obſtupeſcit, ut ſi quando cauſam radiantis lucis ſolertiùs acies curioſæ contemplationis inquirat, uſque ad emortuum videndi ſenſum oculorum natura revocetur: accidatque nitendo magis videre, nè videas; quid nobis in Dei rebus, & in Sole juſtitiæ expectandum eſt? Nonnè incumbit volentibus ſuperſapere ſtultitia? Nonnè ipſum illud acre intelligentiæ lumen, ſtupor hebetis deſipientiæ occupabit? Non enim natura inferior cauſam naturæ potioris intelliget, nec ſubjacet humanæ conceptioni ratio Cœleſtis.* De hoc primò, Candide Lector, te monitum volo, ne ultra modum intelligere velis, cùm credi magis, & adorari à nobis debeat argumenti profunditas; nè ſi infirmitas noſtra ad illud perſpiciendum intemperanter, & ultra modum nitendo ſe extendat, amittat, quod de illo poteſt intelligere, & id quoque, quod poteſt, jam poſſe non poſſit.

At licèt myſterium hoc ſit ita ſublime; mihique ſatis cognitum, ac per-

perſpectum ſit, non deeſſe ad ſui intelligentiam generis hujus libros ab eruditiſſimis Viris conſcriptos, & non me eâ præditum eſſe eruditione, & auctoritate, ut in Urbe tot eruditiſſimis hominibus copioſa, ac florenti quid dignum Sapientûm oculis offerre poſſim; attamen Tractatum iſtum inſtitui; quia nempe poſt exortas hæreſes, vetus doctrina, quam per antiquos Theologos à Sanctis Patribus acceptam didicimus, & docemus, validiùs, luculentiùſque confirmari debeat; quarè nihil novum, nihil arbitrarium, nihil ab antiquis alienum, nihil diſſonans Scholæ principiis dicimus, aut admittimus; cùm principia Scholæ noſtræ ſint adeò inter ſe connexa, ut neceſſe ſit omnia, vel ſuperſtare, vel extingui; nam reciſâ quâlibet parte, perit funditùs tota doctrina, quæ nec vel minimum falſitatis (ut mihi perſuaſum eſt) retinet, vel admittit. Impreſſa solùm ab aliis ſapientiſſimis Theologis veſtigia ſequitur. Quæ ab iſtis copioſiùs, & elegantiùs, ſubtiliùſque ſunt conſcripta, & ſparſim diſputata, ad majorem doctrinæ explicationem, non tenui labore conjunximus; ſicut fecit aliquando *Cicero*, qui ad fratrem *Tullium* ſcripſit: *Non ut aliquid ex eis novi adjicerem, ſed ut ea, quæ in re diſperſa, atque infinita viderentur eſſe, oratione, & diſtributione, ſub uno aſpectu ponerem*. Hoc & ego feci; ſatiùs namque duxi, modò ignorantiam fateri, quàm erudito Lectori, quid minus dignum proponere.

Nihil auctorem facias; in minimis ponatur ejus doctrina, cùm nullâ gratiâ, & auctoritate ſit florens, nec æſtimatione dignus; audiendus ſolùm D. *Thomas Aquinas* in eo, cujus eſt fideliſſimus diſcipulus; Angelus ille, ſub cujus patrocinium convolant Orbis univerſæ Academiæ, ut omnem excipiant ſapientiam. Audiendus ille Doctor Eccleſiæ, quem Summi Pontifices *Joannes* XXII. *Clemens* VI. *Innocentius* VI. *Urbanus* V. S. *Pius* V. *Clemens* VIII. *Paulus* V. *Pius* IV. & *Benedictus* XIII. tot præconiis celebrant. Audiendus Doctor ille, de quo Eccleſia in ejus officio canit: *Norma, limes, lex morum omnium Orbis decor, dux, lux fidelium, lumen Eccleſiæ, & illuſtriſſimum Chriſtiani Orbis decus*. Audiendus Doctor, quem admirantur Sancti, & primi nominis Theologi. S. *Vincentius Ferrerius* eum vocat *illuminationem totius mundi*. S. *Antoninus*, *abyſſum capacitatis, humilitatis, & charitatis*. S. *Philippus Nerius*, *venam Spiritûs Sancti*. S. *Franciſcus Saleſius*, *Doctorem Maximum, qui uſquam fuit*. *Titelmannus* ipſum acclamat, *Theologorum Theologum, alpha litterarum omnium, veritatis unicum artificium, architectum omnium litterarum, ſcientiarum omnium delicias*. *Syxtus Senenſis* de eo ait, quòd eſt *Theologorum, ac Philoſophorum Princeps, univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum*. Illuſtriſſimus *Caramuel*, quòd eſt *Dei potentiſſima, & clariſſima vox, quem lex eſt, ſine lege laudare; & Sapientiæ Dei Theſaurum* nominat. P. *Petrus Labbè* Societ. Jeſu, quòd eſt *adverbium filii, ſicut filius verbum Patris*; &, *loquens de Deo, quaſi vidiſſet*. P. *Henricus Henriquez* ejuſdem Societatis, quòd eſt *Doctor ille, cui ſoli nomen Doctoris Theologi reſervatur in Eccleſia Latina*. Et tandem *Ægidius* Romanus Cardinalis de ejus Ope-

ribus teſtatur, *ſcripta ejus veritate plena eſſe, & ſpiritu veritatis ſcripta*. Sed quid hæc commemoro? Audiatur doctiſſimus *Antonius Boucat*, fideliſſimuſque S. Doctoris Diſcipulus, diſſert. 4. de concord. libert. ſect. 2. ſequentia ſcribens: *Ecce defunctus iterùm, & ſine fine loquetur Magiſter Angelicus, immittet velut imbres eloquia ſapientiæ ſuæ, & licèt tumuló concluſus, vivas tamen, & immortales edet voces uſque in ſæcula. Ecce hic ampliſſimum Thomiſticæ theatrum gloriæ, Sacroſancta Synodus Tridentina nihil definire videtur, niſi priùs S. Thomæ auctoritatem conſultam haberet. Quæritur, an in ultima cœna Apoſtoli impreſsó caractere Sacerdotes initiati ſint? Patres quæſtionem ad mentem Angeli Scholæ citò definiunt. Poſt hæc, quâ ducuntur temeritate qui è plebe Litteratorum vix exorti, D. Thomæ doctrinam ad examen revocant, & pro Tribunali ſedentes, & ut ingenioſè dicit quidam auctor, S. Thomas Aquin. de Polyt. Chriſt. l. 2. cap. 2., in eam Judices ultronei tamquam erroribus ſcatentem damnant, quam Eccleſia tanti fecerat in Conciliis ſuis Oecumenicis, quam ipſe Chriſtus laudaverat, approbaveratque Divinis ſuis verbis, Bene ſcripſiſti de me Thoma? Sed illud imprimis obſervandum videtur, inquit idem* l. 2. cap. 6., *tantam fuiſſe Concilii Tridentini erga D. Thomam, ipſiuſque doctrinam reverentiam, ut non dubitaverit ſummam ejus inter primas Fidei regulas ſuper altare collocare, ut omnibus notum foret, quòd ſi caſu obſcurum aliquid in Scripturis occurreret explanandum, non aliò eſſe refugium, quàm ad Doctoris Angelici interpretationem, cui Deus dederat ſcientiam Sanctorum, quique in verbis ſuis hæreſum monſtra placare debebat. Cernebatur ergo hic liber juxta Sacra Evangelia poſitus, & quanto emolumento eo uſi ſint Patres, non modicè exponit hujuſce Concilii Orator, ſicut & Baronius, qui aſſerit vix quemquam enarrare poſſe quot encomiis celebratus fuerit Angelus Scholæ, & quantùm à SS. PP. in Sacroſancto Oecumenico Concilio Tridentino conſiſtentibus fuerit acclamatus*. Hic ergo maximè audiendus, cui ſanè, ſicuti & M. P. *Auguſtino*, credere par eſt, affulſiſſe illa veritatis lumina, quibus implicata hæc quæſtio definiri debeat; & nè quis velit tanti Doctoris doctrinam traducere, ideo juſtæ defenſionis neceſſitas me Diſcipulum impellit, orthodoxam Scholæ ſuæ doctrinam manifeſtam facere.

Si methodum hujus elucubrationis attendas; non hìc verborum floſculos, ſententiarum copiam, dicendi elegantiam invenies. In rebus Theologicis non ſpecimen eloquentiæ quærimus: voces proprias Scholaſticas eligimus: quippe qui majorem profeſſi ſumus in Theologiæ, quàm in ſermonis articulis religionem, attendentes, quod ſcribimus, non quali cum amænitate dicatur, ut luculenter, & egregiè ad rem iſtam dicit M. *Cano* lib. 2. cap. 8. *Ipſæ Scholaſticæ res formas dicendi ſcholaſticas rapiunt, & quæ vocabula Scholarum conſuetudo diuturna trivit, ea Latini nobis condonare debent; nec enim tam ſermonis ornatum, quàm diſputationis lucem ſequimur*. Et iterùm ibi: *Nec enim Scholæ vocabula etiamſi minùs latina ſint, averſari debemus; ſed malle, quod Auguſtinus ait, apertos, quàm nitidos habere ſermones*. Et lib. 5.

cap. 5.

cap.5. *Permittant Sapientes, cum noſtris noſtra loqui; nam ſi ornatiùs, quàm hi ſolent, nos plerumque diſſerimus, ſed nonnunquam quas ſententias à Scholaſticis accepimus, eiſdem verbis efferre volumus; ne dicendi formâ immutatâ, diſceſſiſſe ab Schola videamur: quare & linguam Scholarum in quæſtionibus diſputandis uſurpandam duximus, SS. Patrum, & Theologorum latinitatem retinentes.*

Cæterùm ſtylo, & ratione procedendi non admodùm ſumus Scholaſticam formam aſpernati, ſed potiùs vigori Dialecticæ ſtuduimus, quæ non eſt Theologo noxia, ſed ſummè neceſſaria. Nam quomodò fallaces Hæreticorum argutias refutare poſſumus, niſi arguendi, ac refellendi artem proſequamur? Quô pactô judicium, & ſententiam ferre poteſt Theologus de his, quæ perſpecta, & cognita ipſe non habet? Dum diſcernere nequit voces, quæ in diſputationibus offeruntur ancipites, & quibus illi eludunt, ut eludamur. Neceſſe eſt ergo Theologis perfectiſſimè Theologiam Scholaſticam addiſcere. Quod ut firmius hæreat animis, hìc referre opportunum duximus, quod Magiſter Fr. *Dominicus Soto* ad Sanctos Patres *Tridentinæ* Synodi in ſua nuncupatoria præfatione ad librum de natura, & gratia ſcribit, ponderans, quàm odioſum ſit Hæreticis Scholaſticorum nomen, his verbis: *Tametſi haud neſciam, quàm ſit Scholaſticorum nomen Lutheranis inviſum, & infame. Nam quid non iſti ab initio deſignarunt, ex quo bellum hoc Eccleſiæ inferre cœperunt? Porrò ut quoſque hominum ordines plurimùm metuebant, ita eoſdem, quo eorum adversùs ſe auctoritatem defringerent, maximis cœperunt inſectari odiis, conviciis proſcindere, & maledictis acerrimè inceſſere: atque ideo quaſi ſuſpectos hoſtes è ſuis colloquiis, congreſſibuſque abigere. Hac de cauſa Scholaſticos Theologos, velut publicam perniciem exſibilant. Quoniam, ut in fabula eſt Demoſthenis, non poſſunt pecuarii canes, quòd gregis ſint propugnatores, non eſſe lupis inviſi. Atqui, ſi Superis placet, ac ſi eſſent ipſi, qui jura deberent ponere Orbi, ita ſunt inter Catholicos multi, qui eos audientes, quæſtionarios poſthabent, Philoſophiam abjiciunt, & ſolis volunt linguarum ferculis convivium inſtrui: utpote quarum cognitione, & ſubſidiô arbitrantur abſque Theſeo per ſe poſſe, cùm Sanctorum Patrum, tùm etiam Sacræ Paginæ adire volumina. Cui profectò malo (idquod coram Veſtra Sanctitate in publica Synodo declamavi) niſi obviam publicitùs occurratis, & univerſitates meliùs ſibi, & bono publico conſultum properent, totum brevi Chriſtianum Orbem errores ebullire dolebimus. Quidni? Ut quiſque impenſiſſimè ſtudet trilinguis evadere, tanquam fabulosô illô fonte proluiſſet labia, ita maximâ auctoritate inter Sacrorum myſtas Triſmegiſtus prodit. Nihil ſanè eſt, quod huic meæ infacundiæ prætexere velim. Namque, & ingenuè fateor, aliâ me ratione ſtudia inſtituiſſe, quàm ut linguas accuratiſſimè excolerem: & ſi alterum optandum foret, mallem in præſentiarum ſpiritum Chriſtiano propinquum, quàm eloquentiam Ciceronianæ proximam mihi dari. Neque verò diffiteor linguarum peritiam, & cultum, cui noſtro ævo diligentiùs incumbitur, ſacris intelligendis Bibliis magno*

uſui

uſui eſſe, id cujus nos 2. de doctrina Christ. admonet Auguſtinus. Verùm hoc tamen viciſſim perſuaſum contendo, quòd uti oculus opthalmia laborans non protinus cerebro eruitur, ſed Collyriis propter ejus optimam uſuram curatur: ita ſi res Scholaſtica amputanda, & à Sophiſmatum quidèm nugis, & à Methaphyſicorum vanis portentis repurganda: quibus eſt ſordibus apud nonnullos Auctores indignè fœdata: detur tamen ſumma opera, ne penitùs depereat, ſed inſtauretur potius, niſi plurimos volumus habere nomen: rariſſimos tamen, re eſſe Theologos. Et rursùs: *Et quando poſt illam ætatem fuiſſet in Scholas Theologorum recepta, ecquid ejus negotium eſt, ſi viâ, ratione, & modò inſtituatur, niſi ut fides per hanc artem ſaluberrima (quod ait 14. de Trinit. Auguſtinus) gignatur, nutriatur, defendatur, & roboretur? Nam quæ poteſt perſpicacior eſſe, commodiorque ratio interpretandi, cùm Sanctorum dicta, tùm maximè Sacrorum eloquia, quàm, dum locus unus in quæſtionem mittitur, unde materia ſubjecta ex ſuis cauſis explicata verus depromitur ſenſus? Veluti eſt apud S. Thomam, S. Bonaventuram, & reliquos perſpicere. Eſt enim homo rationale animal, qui nullâ idcirco vi magis, viaque pollet, ad eruendam undecumque veritatem, atque ex ſuis cauſis deducendam, quàm ratiocinatione, & diſcurſu. Atque adeo ut rerum cauſas, naturaſque diſquirat, conſequentia judicet, conciliet contraria, incognitum denique quidvis ex penitiſſimis latebris in lucem prodat, nullâ re magis adjuvatur, quàm congreſſibus, ſi ordine fiant, cæteriſque Scholaſticis exercitiis.* Et infrà: *Verum quàm eſt (auctore Paulo) neceſſe hæreſes eſſe, tam neceſſarium exiſtimaverim, Philoſophiam inter Theologos confovendam eſſe, quâ ſint juxta verbum Petri, paratiores ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe. Eſt enim naturalis Philoſophiæ munus, ſupernaturalia Fidei myſteria, non quidèm demonſtrare (quippe quæ ex ſolis ſint Divinis teſtimoniis recepta) ſed tamen explicare, & contra Philoſophos aſſerere: dum eorum enervat, defringitque argumenta: oſtendens, nihil adversùs nos evinceee. Unde & Paulus Epiſcopum admonet, ut fidelem habeat ſermonem, quò potens ſit exhortari doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Et ſanè Auguſtinus, quantò ſua dialectica, & philoſpobia majus exhibuit Eccleſiæ negotium, dum erat Manichæus, tantò fuit ei poſtea adversùs Hæreticos utilior. Theriacam philoſophiam cenſete, Circumſpectiſſime Senatus, quæ earumdem medetur Viperarum morſibus, ex quarum conficitur carnibus. Et quò ſemel finiam, quinam linguas, quàm Germani, excultiùs polivere? Qui Auguſtino, & id genus Patribus legendis plus temporis inſumpſerunt? Qui pluries Sacram Paginam evolverunt; Quid ergo reſtet illis cauſæ tam plurium errorum, quàm quòd Theologiam Scholaſticam neglexerint? Ex cujus ignorantia omnes dimanaſſe facile erit rem perpendenti conjicere. Profectò ſimul apud eoſdemque cœpére, & linguarum cultura, & Scholaſticæ rationis contemptus, & Hæreſum turba. Neſcio, viri Patres, quò me longiùs, quàm putâram, ſurripuerit dicendi calor. Boni tamen pro veſtra clementia conſulite,*

quo-

quoniam paucioribus effari nequivi, Scholaſticis traditionibus de medio ſublatis, quantùm rei timeam Theologicæ. Ne vos tamen, Viri Sacri, hâc meâ ineptâ perloquendi prolixitate diutiùs obtundam, hoc qualecumque munuſculum accipite, perſpicite, caſtigate, & pro ſumma auctoritate reformate. Nam cui alii, quàm vobis Eccleſiæ lumina, veſtrorum apologiam decretorum nuncuparem? Agite, ut cœpiſtis. Sic Patribus Concilii *Tridentini* neceſſariam Theologiam Scholaſticam perſuaſit Sapientiſſimus iſte Magiſter; cujus arguendi principia, tam certæ, tam perſpicuæ, tam æternæ, & incommutabilis veritatis ſunt, ut verum à falſo facillimè, & certiſſimè diſcernatur; & eâ extinctâ, neque vera doctrina poſſit eſſe ſuperſtes. At quoniam multi nauſeant ad ſermones veritatis, & utilitatis copiâ refertos, niſi quôdam facundiæ candore condiantur; ideo eorum amori obſequendo, & meliore, quô potui, ſcribendi modô; ſeu potius convenientiori, quàm ipſius argumenti natura poſcebat, methodo ſcribere ſtudui, ut doctrinam eô ordine proponerem, qui faciliori intelligentiæ maximè conveniret, & ut proponendam in Scholis veritatem addocet D. *Thomas* Quodlibet. 4. art. 18. *Quædam verò diſputatio eſt magiſtralis in Scholis, non ad removendum errorem, ſed ad inſtruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, & tunc oportet rationibus inniti inveſtigantibus veritatis radicem, & facientibus ſcire, quomodò ſit verum quod dicitur; alioquin ſi nudis auctoritatibus Magiſter quæſtionem determinet, certificabitur quidam auditor, quòd ita eſt, ſed nihil ſcientiæ, vel intellectûs acquiret, & vacuus abſcedet.*

In enodanda diſputatione iſta, tam ſubtilitate, quàm objecti obſcuritate difficillima, & quam nemo neſcit non carere periculo, cùm proclivis ſit ad lapſum humana ignorantia, proprietati vocum maximè ſtuduimus, præſertim in rimis omnibus ſepiendis, quibus obrepere poſſet Janſeniſmi virus; at ſi quid à recentioribus verborum formulis deviatum tantiſper à nobis eſt; vocum indiligentiam, benigne Lector, indulgebis: ut enim dixit *Auguſtinus*, *Magis enim placent bonis ac Religioſis quæcumque dicuntur vera, etiam vitioſis verbis, quàm falſa politis & ornatis verbis.* Non eſt, cur in vocibus cavillari, aut rixas ſerere opus ſit; cùm non ex verbis raptim prolatis, quæ aliquando ipſis SS. Patribus exciderunt, ſed unicè ex ſententiarum uniformi nexu, & intuitione vera Auctoris mens diſcerni debeat; fides quippe ſententiis, non verbis trutinanda eſt. Poterit ergo reperiri alicujus vocis incuria, dogmati tamen nec vel tantilla diſſenſio eſt. Minimè etiam novum eſt in Eccleſia novas adhibere voces ad antiquam fidem apertiùs declarandam. Hi, qui non medullæ, ſed cortici rerum hærent, hanc vocum novitatem facilè, & temerè ſibi perſuadent, innovationem eſſe doctrinæ; cujus poſſem hìc plurima acervare exempla, quorum aliqua dedimus tomo 4. agentes de voce iſta *Prædeterminatio phyſica*, quæ rea novitatis nobis ab Adverſariis arguitur, & agitur; cùm tamen vocem iſtam ſuo ævo excogitatam fuiſſe, & adſcriptam Thomiſtis ab ipſis ad invidiam eis conflandam teſtetur M. *Zumel.* 1. 2. diſp. 4. ſect. 2. concluſ. 3. his verbis:

Et

Et P. Suarez citat nos, & Dominicum Bañez, quòd dicamus, Deum in omnibus operibus gratiæ prædeterminare phyſicè voluntatem noſtram ad conſentiendum. Et ſanè modus loquendi de phyſica prædeterminatione, & vocabulum ipſum ab ipſo, & à ſuis inventa ſunt, cum tamen ante hanc ætatem contenti eramus explicantes efficaciam gratiæ Dei, quòd Deus nos movet auxilio efficaci ad pœnitendum, & quòd Deus nos movet ſua gratia mirifica, & vi ſua, ad quod propriè efficaciter nos præmovet. Solitum etiam erat dici à nobis, quòd Deus nos movet infallibiliter, aut quòd præmovet nos effectivè, aut efficienter intus agendo. Illud autem vocabulum, phyſica Prædeterminatio, quia ſonat prædeterminationem naturalem, non benè inventum eſt ad explicandum efficaciam gratiæ. En quomodò vox iſta, *Prædeterminatio phyſica*, non eſt à Thomiſtis inventa, nec excogitata, ſed ipſis objecta; quam tamen admittunt in eo vero ſenſu Catholico loco citato ſatis abundè à nobis propoſito. Nihil ulterius facias, quòd in voce iſta *Gratia ab intrinſeco efficax* nobiſcum conveniant Janſeniſtæ. Nam non tam verba, quàm intentionem ponderare debes. Diverſa eſt iiſdem verbis utentium intentio, atque ſententia; quare diverſus eſt etiam exitus, dum quod hìc abſolvitur, illic anathemate feritur. Hoc quippe debet eſſe conſideratione dignum, quòd non eſt nobis in præſenti controverſia de vocibus, ſed de modo conciliandi libertatem cum gratia efficaci, quî non ſimpliciter ex hac, aut illa voce eſt approbandus, aut accuſandus: ſed ex principiis, circa quæ omnis adverſatur Hæreſis. Explicetur, quomodocumque placeat Adverſariis, infallibilis connexio gratiæ ab intrinſeco efficacis cnm actu, dicatur *inevitabilis*, & *irreſiſtibilis &c.*; voces iſtæ, quà formaliter ſignificant neceſſitatem infallibilitatis, à linea veri dogmatis nihil deflectunt; cùm æqualiter eiſdem vocibus retundatur Hæreticorum error.

Vellem etiam ego, ſtudioſe Lector, talem mihi fuiſſe à Deo ſcribendi facultatem datam, & eum texendi ſermonem, arguendi, & diſputandi modum, ut ſolùm quod veri quiſque de hoc argumento capere poſſit, verba mea reſonarent, ne alicujus aures, aut exiſtimatio offenderetur; cùm magnus tenendus ſit æquitatis, & indulgentiæ modus erga eos, qui à nobis in doctrina diſſentiunt; *Non enim*, ut dixit *Auguſtinus*, *intratur in veritatem, niſi per charitatem*. Idque tantò æquiùs, dum nulla ex his opinionibus eſt in auctoritatis, & fidei arcem evecta; dum & omnibus eſt plena libertas in alterutram, ut libuerit, partem declinandi, vel in neutram; reſque ſit Theologorum permiſſa veſtigationi, & ſapientiæ exercitationi, quæ timidè, humiliter, & modeſtè exquirenda eſt. Luculentiſſima eſt in hanc rem doctrina D. *Auguſtini* lib. de tenenda verit. ſcript. cap. 12. *Sit ergo de hac re inter nos iſtiuſmodi pia cautela, & moderatio, quatenus & SS. Patribus debitus ſervetur honor; & quolibet quis acquieſcat modo ex illis ſenſibus, qui de hac ſententia ab eis poſiti ſunt, non judicemus eſſe hæreticum. Sed potiùs videmus contentionis malum, per quod etiam de pacificis, & Eccleſiaſticis ſenſibus poteſt, qui contentioſus eſſe voluerit, hæreticum efficere*

ficere, quod ſentit. Et lib. de tribus Epiſtolis cap. 14. *Nulla ergo contentione pro aliis contra alios litigetur; non una ſententia præ altera damnetur. Et quia verè fieri poteſt, ut per ignorantiam, vel imperitiam noſtram in hac re aliquid lateat, nihil temerè definiatur; ut quolibet quis acquieſcat modo, non ſit hæreticum, niſi hæreticum contentione fiat.* Fas eſt oppoſitam ſententiam arguendo impugnare; nefas contumeliarum jaculis ejus auctorem impetere. Fas eſt propriam opinionem efficaciſſimis argumentis firmare, & oppoſitam ad inconveniens deducere; nefas de alicujus doctrina, aut de ejus auctoribus temerè judicium ferre, dum utraque pars pro una, eademque fide, ſcilicet pro concordia liberi arbitrii pugnat; & utraque pars æquiſſimo veritatis ſtudio defenditur. Cujus egregium documentum nobis præbet *Auguſtinus* Epiſt. 111. dicens: *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè invenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellectum, vel à nobis.* Et Epiſt. 1. ad *Hieronymum*: *Alios autem* (libris Scripturarum exceptis) *ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt. Sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, ſentire aliud exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror, ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apoſtolorum: de quorum ſcriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium eſt.*

Abſit ergo omnis imprudens auctores Catholicos oppoſitos calumniandi libido, quod verius pronunciamus de auctoribus illuſtris, & eruditæ Scholæ S. I., quæ fœcundo ſapientiæ, & virtutis partu tot illuſtria ſapientiæ, ac ſanctitatis lumina in Mundi lucem per omnes totius Orbis Chriſtiani Academias produxit, qui tam ſalutari fidelium fructu tot regna illuſtrant, & erudiunt; quorumque doctrina proſtratæ ſunt hæreſes, & prædicatione propagata per Orbem Religio; & quos eodem ſtudio, & amore proſequor, ac noſtros. Scholæ huic ſuam eſſe probabilitatem non diffiteor. Inter nos intellectûs rixa eſt, non voluntatis. Diſcrimen utriuſque Scholæ, non charitatis diſſidium, ſed opinionum diſtantia, ſeu differentia intelligitur. Quod pulchrè illuſtrat, & approbat *Facundus Hermianenſis* lib. 7. documento Iſraelitarum, qui pro Divino Cultu, cùm aliorum alios lateret intentio tantùm, ad arma convolarunt. *Quære intentionem filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manaſſe, atque ex altera parte Tribus Levi, & aliorum novem Tribuum Iſrael, & invenies utramque partem pro Divino Cultu fuiſſe ſollicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies, quæ ad Divinum Cultum pertinent, ſed alteram partem intentionem alterius ignoraſſe. Quære intentionem Synodi Epheſinæ, atque ex altera parte Antiſtitum Provinciæ Orientis, & aliarum novem Provincia-*

rum, & invenies utramque partem pro Divino Cultu fuiſſe ſollicitam &c. Vides igitur, quòd pro eadem Religione, quâ rectè colitur Deus, non ſolùm diſſentire à ſe invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adverſum ſe religioſi, ac rectiſſimi poſſunt, cum eos non ratio Divini Cultûs, ſed alterius alterum lateat intentio. Diverſa ergo poterit eſſe utriuſque Scholæ intentio; at utriuſque puriſſima undique, & ſana fides eſt; conſulente Deo, ut ex ipſiſmet diſſenſionibus noſtris, & lumina, & munimenta quædam nova doctrinæ orthodoxæ accedant, utente ipſo ad aliorum inſtructionem noſtrâ humanâ ignorantiâ, qui in magnam utilitatem, cùm vult, noxia quæque convertit. Quarè nihil damnatum volumus, niſi quod expreſsè ab Eccleſia damnatum eſt; nihil dictum, quod ab illa æquitate, modeſtia, & charitate deflectit. Vel minimum verbum libens rejicio, ut pax, & charitas perfecta cum omnibus retineatur. Talis, ſtudioſe Lector, ego ſum in ſcriptis aliorum, talem te volo eſſe intellectorem mei.

MONITUM

Operi, *Vera Chriſti gratia &c.* præfixum.

STUDIOSO LECTORI.

NON plurimæ mihi ſunt accreſcendæ rationes, quibus permotus hoc ſecundum de *Vera gratia Chriſti* Opus ſcripſerim. Ipſa argumenti dignitas ſua utilitate, & neceſſitate ſe ſatis commendat. Nihil enim Fidelibus, ſtudioſe Lector, honorabilius, nihil etiam Eccleſiæ utilius rectâ prædicatione gratiæ Chriſti, ex qua omnis noſtra ſpes, atque ſalus, & retributio promiſſionis bonorum eſt. Hoc ſupernaturali lumine Deus illuminat hominum mentes, nobiſque ſalutis veritates inſpirat, ut eaſdem, eâdem adjuvante gratiâ, exerceamus. Per hanc operatur Deus in nobis voluntatem bonam, ut dixit S. *Auguſtinus* de *dono perſever.* cap. 13. *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle; nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari*: movens efficaciter, & ſuaviter ad illud bonum, cujus, per gratiam ſuam, & cognitionem nobis adſtruit, & amorem immittit. Maximi ergo intereſt Eccleſiæ germana *Gratiæ Chriſti* prædicatio hiſce noſtris temporibus, quibus plura ad ejus doctrinam pertinentia, ab Hæreticis callida inquietudine exagitantur; ex quo opus eſt, ut gratia Dei à viris Catholicis adversùs eos defendatur, conſideretur diligentiùs, intelligatur clariùs, & inſtantiùs prædicetur.

Vix orta fuit *Pelagiana Hæreſis*, cùm ſurrexit contra ejus peſtifera, & execranda dogmata clariſſimum illud Eccleſiæ lumen D. *Hieronymus* ſubtilem libris ſuis hujus callidæ Hæreſis anatomen faciens, ut canit eleganter D. *Proſper* Carmine *de ingratis* cap. 1.

Hieronymus libris valdè excellentibus hoſtem
Diſſecuit, noſcique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.

Quod veriſſimè nobis *Oroſius* in *Apologia* clarius aperit, dicens: *Hoc B. Hieronymus, cujus elogium univerſum Occidens, ſicut ros in vellus ſpectat (multi enim jam Hæreticorum dogmatibus ſuis ipſo oppugnante ſupploſi ſunt) in Epiſtola ſua, quam nuper ad Cteſiphontem edidit, condemnavit, ſimiliter & in libro, quem nunc ſcribit, collata in modum dialogi altercatione, confutat. Hoc eſt enim lubricum in anciſtro Draconem tenere, ne fugiat.* In his omnibus Operibus Pelagiani erroris intima viſcera manifeſtat S. *Doctor*; ſed ab aliis ſcriptis abſtinendum cenſuit; quia, ut inquit in fine lib. 3. *Dialogor.*: *Scripſit vir ſanctus, & eloquens Auguſtinus ad Marcellum . . . . unde ſuperſedendum cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatii: In ſilvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo: aut ſi nova voluerimus dicere, à clariſſimo*

 in-

ingenio occupata ſunt meliora. Certior namque factus *Auguſtinus* de erroribus, quos & viva voce, & ſcriptis, ad evacuandam *Chriſti* gratiam ubique in perniciem animarum ſpargebat *Pelagius*, ab anno *Chriſti* circiter 411. aut 412. uſque ad annum 430. quo morte occupatus eſt, ſcribens ultimum Opus contra *Julianum*, Pelagianam perfidiam invictè debellavit, ut ſcripſit S. *Proſper* in libro, quem anno 433. contra *Collatorem* edidit, cap. 1. *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus viri ductu pugnat, & vincit.* Et Epiſtola ad *Rufinum* cap. 3. *Has autem verſutias, quibus ſe filii tenebrarum in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cum & Orientalium Epiſcoporum judicia, & Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit: Beatiſſimus quoque Auguſtinus, præcipua utique in hoc tempore portio Domini Sacerdotum, copiosè, & pulchrè, in multis voluminum diſputationibus deſtruxit; utpotè inter multa Dei dona, quibus illum abundantiſſimè Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc ſcientiæ, & ſapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non ſolùm etiam adhuc in ſuis detruncationibus palpitantem, ſed etiam multas prius Hæreſes invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Eccleſiæ, & ad gloriam Chriſti, qua ipſe illuſtratus eſt, perfulgenti, quidam noſtrorum (quod de ipſis multum dolendum eſt) occultis, ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquuntur; & prout ſibi obnoxias amicorum aures, opportunaſque repererint, ſcripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes, eum liberum arbitrium penitus ſubmovere, & ſub gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem.*

Publici etiam juris facti ſunt plures eruditiſſimi libri, quibus à celeberrimis Theologis, omni exceptione majoribus, profligata fuit *Calvini*, & *Lutheri* ſuborta Hæreſis, Pelagianæ, in aliud extremum deficiens, adverſa; ne illis introducentibus ſectas perditionis, fideles tanquam captivi, ad miſerabile adducerentur exitium. Urget fortaſsè magis neceſſitas temporibus iſtis prædicationis gratiæ Dei, dum *Janſenii*, & *Queſnelli* ſequaces, qui defectu potius Fidei, quàm luminis, ut eos à damnatione liberent, uſque in hunc diem ſcribere, loqui, omniaque moliri ſatagunt pro illorum doctrinæ, toties fulminatæ, defenſione, tantòque pernicioſiùs, quantò ardentiori calliditate, ſe *Auguſtini*, & *Thomæ* ſententiis obtegere tentant, & Catholicorum DD. diſcipulos mentiuntur. Eos *Romana Sedes* ad bonam frugem reducere ſæpius conata eſt, maximè Conſtitutione *Unigenitus Dei Filius*, quam apertè falſi expoſtulant; eòque effertur eorum audacia, ut illam iniquiſſimis notis aſpergere, ac criminari non erubeſcant. Quod prævidens *Clemens* XI. ne iteratis abſque fine libellis, & cavillis triumpharet error, & inobedientiæ vexillum erigeret; gratiam Dei tueri, ac defendere ſcriptis, ut inter tot concuſſiones inviolata ſalvetur, atque cuſtodiatur, licitum fecit in laudata Conſtitutione *Unigenitus Dei Filius* §. 6. dicens: *Mandantes omnibus utriuſque ſexûs Chriſti Fidelibus,*

ne

ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, ac prædicare aliter præſumant, quàm in hac eadem noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis Cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à jure ſtatutis pœnis, ipſo facto abſque alia declaratione ſubjaceat.

Miraberis ſanè, ſtudioſe Lector, quòd jam inde à primis Eccleſiæ temporibus ad hunc uſque diem tot ſurrexerint in Eccleſia Magiſtri mendacii, bellum indicentes veritati, & doctrinæ gratiæ; & quòd germen errorum contra Dei gratiam ita ſit fœcundum, quòd ex illo pullulent, atque aſſurgant quotidiè novæ pernicioſiſſimæ Hæreſes, quin ad earum plenam deſtructionem ſufficiant tot contra Hæreticos iſtos à Sede Apoſtolica, & Conciliis vibrata fulmina. Omiſsâ namque Pelagianâ Hæreſi, quæ quaſi *Origenis* impietatis ſurculus reprehenditur, & dicitur à D. *Hieronymo* in Præfatione ad librum 4. *Commentariorum in Hieremiam*; ac in Epiſtola ad *Demetriadem*; quamquam multorum, quibus *Vincentius Lirinenſis* non reſiſtit in egregio ſuo Monitorio, ſententia ſit, *Origenis* libros fuiſſe depravatos; hâc, inquam, quæ Apoſtolico mucrone percuſſà cecidit, & extincta videbatur, & quæ in *Semipelagianis* reviviſcere cœpit, ut teſtatur S. *Proſper* Carmine *de ingratis* cap. 4., omiſsâ; ut ad eas, quæ hiſce noſtris temporibus vigent, deveniamus, proſcriptus fuit *Lutheri*, & *Calvini* error, aliunde liberum arbitrium negans, & ſoli gratiæ omnia tribuens in *Tridentino* Concilio; & nihilominus ſurrexit Janſeniana Hæreſis Calvinianæ maximè affinis, licèt ab ea in pluribus diverſa. Syſtema Janſenianum hæreticum declaraverunt Summi Pontifices *Innocentius* X. *Alexander* VII. & *Clemens* XI. & tamen reviviſcit in *Queſnello*, & ejus defenſoribus, qui veritatem deſerentes, errores utriuſque docent, diſſeminant, ac tuentur; & hucuſque nedum ad debitam Conſtitutioni *Unigenitus Dei Filius* obedientiam adduci poſſunt; verùm in pravitate ſensûs ſui tenaciùs obfirmantur. Et quod magis in admirationem traducere debet, ſilent hodie omnes fermè illi primi Hæretici, *Simoniani*, *Ebionitæ*, *Cerinthiani*, *Nicolaitæ*, *Gnoſtici*; ſilent & alii, qui inſcitia, vanitate, & nequitia refertiſſimi infinitos in Eccleſia ſeruerunt errores; & tamen ſemper pullulat pernicioſiſſimum Hæreſeos contra veram gratiam germen, quin ullis Sedis Apoſtolicæ, & Conciliorum Decretis poſſit extingui.

At, candide Lector, mirari deſine. Tot contra gratiam oriri Hæreſes, neceſſe eſt, ſpectatâ Sathanæ malitiâ, hominum perverſitate, ac ſuperbiâ, rebellioneque carnis contra ſpiritum; cùm alia lex in membris repugnet legi mentis, velitque gratiæ rebellis, ut obediatur deſideriis ſuis, ut dixit *Apoſtolus* ad *Galat*. cap. 5. verſ. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, faciatis.* Aliis veritatibus Fidei reſiſtunt infirmitas humanæ mentis, atque rationis, ignorantia, oblivio, & prava electio principiorum, quibus ad rectè

ju-

judicandum de rebus Fidei neceſſe eſt: quarè intellectus non credit, quod non capit, quod explorari, & palàm conſpici non poteſt. At licèt in hoc myſterio gratiæ aliqua ſint, quæ credi à nobis, & adorari magis poſſunt, quàm intelligi, ſive inveſtigari; ne gratiæ cœleſti humana ſe ſubjiciat voluntas, gratiam Dei expugnare tentant concupiſcentiæ vitioſi motus, ejuſque prava deſideria, cujus & cogitationes vix eradicari poſſunt de cordibus noſtris. Qui ſpiritu gratiæ Dei agitur, ſequitur lumen vitæ; habet in ſe ſanctorum deſideriorum, & conſiliorum principium. At concupiſcentia ſuis pravis affectibus bellum adverſus Dei gratiam gerit. Abſcedimus à vera libertate gratiæ, dum ad effrænem cupiditatis libertatem, immò potius ad pudendam concupiſcentiæ ſervitutem, tranſimus. Non enim Chriſtiana libertas, in quam vocati ſumus, & quam *Chriſtus* ſanguine ſuô nobis acquiſivit, poſita eſt in eo, quòd voluntatem ſuam quiſque faciat, ſed quòd voluntatem ſuam Divinæ ſubjiciat, ut conformis ſit voluntati, legique Dei, ut docet S. *Auguſtinus* tract. 42. in *Joann. Erit voluntas tua libera, ſi fuerit pia: eris liber, ſi fueris ſervus, liber peccati, ſervus juſtitiæ; prima libertas eſt carere criminibus*. Hæc effrænis agendi licentia, ſeu libertas, propendens ad malum, tot in Hæreſes pertraxit homines: contentioque iſta contra gratiam concupiſcentiæ ſemper erit, quouſque iſta remaneat, & caro noſtra ab ea peſte, hôcque morbô ſanata, in æterna Beatitudine gratiæ immortalitate veſtiatur; ut dicit S. *Auguſtinus* lib. de continent. cap. 2. *Sed aliud eſt bene pugnare, quod nunc eſt, quando mortis contentione reſiſtitur; aliud adverſarium non habere, quod tunc erit, quando mors noviſſima deſtruetur*. En quàm utilis eſt gratiæ prædicatio, ne humani ingenii perverſitas, ac cœcitas, quæ illuſiones cordis ſui, & pravarum cupiditatum impulſum ſequens, tot Hæreſes parit, per dulces concupiſcentiæ ſermones, novis quotidiè inventis erroribus, fideles corrumpat. En & prima hujus Operis elaborandi ratio. Nam etſi aliàs de hoc argumento prolixè ſatis in priori Opere diſſeruerimus; tamen non omnia, quæ pro rei amplitudine tractanda erant, inſerere licuit. Ecce ergo quaſi implementum illius, quod oculis tuis, ſtudioſe Lector, judicioque ſubjicio.

Cogit me etiam mali, ac doloris magnitudo ingemiſcere, Scriptores quoſdam, qui ad propriam voluntatem Decreta Apoſtolica contorquentes, opiniones ſuas quodammodò conſecrant, & Spiritûs Sancti, ac Divini luminis nomine, & auctoritate donant: ex quo graviſſimorum Theologorum, qui ſanctitate, & pietate, ſapientiâ, & morum probitate in Eccleſia floruerunt, ſententias pro damnatis definiunt. Quô fit, ut Catholicæ veritatis Adverſarii magis in ſuis erroribus confirmentur; dum à Catholicis viris audiunt, ſolemnes Majorum noſtrorum ſententias modò proſcribi: quod quantùm extra Romanæ Sedis mentem, & intentionem ſit, ipſi Pontifices Summi, Religionis Magiſtri, toties declararunt. Hoc patienter ſuſtinere minimè potui; res quippè maximi ponderis agitur, cùm de Fidei doctrina, de opinione probanda, ſive reprobanda, & nota Hæreſeos impingenda res eſt. Fas illis erat, tales opi-

opiniones excutere, & in oppoſitas abire ſententias; at reprehenſibile eſt, quòd pro animi ſui ſententia, opiniones eas, quas ex probatis ſibi quibuſdam rationibus aſſequuntur, pro veris, ac firmis Eccleſiæ Decretis ſtatuant, confundentes, vel potius æquantes cum doctrina Eccleſiæ, ſuarum opinionum inventa: ac ſi res Fidei à privatis eorum argumentationibus, & non ab Eccleſiæ definitionibus venirent. Hoc ſanè ab Eccleſiæ conſilio maximè abhorret, ſecundùm præclaram illam D. *Auguſtini* regulam, quam lib. 1. cap. 18. de *Geneſ.* ad literam hiſce verbis tradit: *In rebus obſcuris, atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſi quæ inde ſcripta, etiam Divina, legerimus, quæ poſſint, ſalvâ Fide, quâ imbuimur, alias, atque alias parere ſententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione, ita projiciamus, ut ſi fortè diligentius diſcuſſa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus; non pro ſententia Divinarum Scripturarum eſſe, quæ noſtra eſt; quum potius eam, quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.* Et jure meritò. Non enim Decreta Apoſtolica, ſicut nec Scripturæ teſtimonia applicanda ſunt ſecundùm privatas cujuſque ingenii vires, atque ideas; nec accommodanda ad proprias opiniones, propriaque ſyſtemata: ſed potius ſyſtemata cum Decretis Apoſtolicis concilianda ſunt. Quarè, ſtudioſe Lector, in libris legendis ſaluberrimè cavendum tibi, ne in opinionibus plus Scriptoris affectus valeat, quàm veritas. Quod & in meo hoc qualicumque opere experiendum tibi liberum opto; neque enim tanti me facio, ut non verear affectibus me etiam meis aliquando deportari. Attentiùs etiam examinandum, an Scriptor ille, Decretorum Apoſtolicorum ſenſum, vel potius ſuum objiciat Adverſariis; ne falſæ Religionis ſuperſtitione ſeducaris. Sed non eſt opus prolixius de his præfari.

Te etiam Lectorem rogatum velim, ut quodcumque erratum, vel offenderis, vel ſuſpicatus fueris, pro tua humanitate, & Chriſtiana charitate ignoſcas; etenim penitùs in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis eſt. Si quidpiam etiam reperitur, quod aliquem offendat, illud non dictum eſſe volo: & cùm illum indignatum ſenſero, veniam deprecabor; ut ſine amaritudine diſcordiæ, & læſione amicitiæ diſſeramus; juxta illud S. *Auguſtini* Epiſt. 73. aliàs 15. ad *Hieronymum* n. 9. *Quieſcamus ab his, & noſtræ vitæ, ſalutique parcamus. Minùs certè aſſequatur illa ſcientia, quæ inflat, dum non offendatur illa, quæ ædificat. Ego me longè eſſe ſentio ab illa perfectione, de qua ſcriptum eſt Jacob. 3. verſ. 2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Sed planè in Dei miſericordia puto me poſſe facile abs te petere veniam, ſi quid offendi: quod mihi aperire debes; ut, cum te audiero, lucreris fratrem tuum.* Si quidquam etiam dixerim, quod non debui, aut non ſic dixerim, ut debui, cùm rectiùs, & meliùs debuiſſet dici, & ſcribi; tu benevole Lector, judicio tuo, maximâque eruditione intelligendo ſuppleas, quod ego dicendo non impleverim. Tandem vale, & favore tuô me complectere.

APPROBATIO
R. A. P. FR. EDMUNDI DE BURGO

Ord. Prædic. Sac. Theol. Doctoris, Theologi Caſanatenſis pro Provincia Hiberniæ &c.

UT vera eſt S. *Auguſtini* lib. 1. de Trinitate cap. 3. ſententia: *Utile* (ait) *eſt* libros *fieri diverſo ſtylo, non diversâ fide, de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat*, itâ eadem de cauſa utile eſt edita Opera ſapientiſſimi, eximiique Magiſtri noſtri Fr. *Cajetani Benitez de Lugo*, Salmanticenſis Archi-Cœnobii Alumni, *de vera Chriſti Gratia* &c. pluries typis mandare, cùm doctiorum Virorum judicio approbata, ab eruditis avidè ſuſcepta, atque à veritatis dilectoribus ſedulò fuerint hactenùs conquiſita. Limatiùs igitur & extenſiùs elaborata, atque à caducis Quiſquiliis, ac Cacotechniis cujuſdam impugnatoris pleniſſimè vindicata, præfati digniſſimi Operis ſecunda parata eſt editio, *ut Veritas ad illos, qui operantur illam, revertatur*, Eccl. 27. 10. Hanc poſſidet quiſquis firmiſſimis columnis, Sanctis Eccleſiæ Doctoribus *Auguſtino* & *Thomæ*, indivulsè adhæret: Sic procedit hujus inſignis Operis eximius Auctor; jura Omnipotentis, ac genuinæ creatæ Deo ſubjectæ libertatis, unà præſervat, ac fusâ eruditione, ſolidâ ſubtilitate, claritate, profunditati, & modeſtiæ conjuncta, fovet, ac tuetur, ut *proba*, *&* *incorrupta* (ex SS. Clem. XII.) *Thomiſtica Schola* facere conſuevit; itaquè *imperitos liberè docet* (*Eſdræ* 7. 25.) Veritatem *diligenter exarat*. *Iſaiæ* 30. 8. *Quæſivit verba utilia*, non fucata, ſed energica & propria, *&* *conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos*, Eccl. 12. 11. *Omnes leges Dialecticæ* (ut de *Jobo* ſcripſit S. *Hieronymus*) *propoſitione, aſſumptione, confirmatione determinat*, paleam à tritico Theologicè ſecernit, & vendentes *quiſquilias frumenti* (*Amos* 8. 6.) nervosè mitèque repellit.

Quarè, quemadmodum *priorem* Operis hujus *editionem* de mandato Rmi noſtri *Generalis* Fratris *Thomæ Ripoll* humili exiguo meo calculo libentiſſimè approbavi, hanc quoque *ſecundam*, ut fidei boniſque moribus conformem (ſalvo meliori &c.) iterùm atque iterùm approbare, & veræ Auguſtino-Thomiſticæ doctrinæ amatoribus commendare, non vereor. Datum Romæ ad Minervam in *Caſanatenſi* S. Thomæ Collegio 16. Martii 1737.

Fr. Edmundus de Burgo Ord. Præd. Athunrienſis Hibernus, Theologus Caſanatenſis &c.

AP-

APPROBATIO
R. A. P. FR. PII VANDEN DYCK

Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtri, ac Theologi Caſanatenſis, Belgæ.

HOc Sacram Doctrinam, ſive Theologiam differre à Philoſophia naturali, ut, cum iſta rationi potiſſimum, illa præcipuè auctoritati nitatur, nullus eſt, niſi eas ſcientias ne à limine quidem ſalutaverit, qui ignoret. Fuerunt tamen, & ſunt etiamnum nonnulli, qui, ſua intereſſe rati, ordine prorſus inverſo, contra Sapientûm omnium torrentem, Philoſophica auctoritate, Theologica ratione naturali tranſigi debere prætenderint atque prætendant; ita ut in Philoſophicis vel ethnico Platoni, ſive Ariſtoteli, in Theologicis verò, ne Sanctis quidem Eccleſiæ Patribus atque Doctoribus; quos Deus tamen in Eccleſia ſuſcitaſſe, ad erudiendam plebem ſuam, dignoſcitur; aſſeclas ſuos velint eſſe adſtrictos: liberum eis eſſe volentes, res divinas, humana ratione, pro cujuſque captu metiri. Tales olim fuiſſe Pelagianos, Auguſtinus nobis Auctor eſt, hoc eorum alibi referens adagium: *Quod ratio arguit, non poteſt auctoritas vindicare*. Contra hujuſcemodi fallacem doctrinam Paulus armare volens fideles, clamabat olim: *Nemo vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam*. Et meritò: quippè fides & Theologia res ſectantes divinas; quibus intellectus noſter comparatus eſt oculus noctuæ ad Solem; ſi hunc ſequuntur, cœcum ſequuntur ducem. At cœcus cœcum ducens, ſi veritati incarnatæ credimus, ambo in foveam cadunt. Hoc tamen necquidquam obſtante, reperiuntur, ut dixi, etiam his diebus noſtris, quibus illud Pelagianorum non adeò diſplicet effatum, ut illud palam etiam deprædicare, imò in praxim deducere minimè erubeſcant. Non latuit hoc, prophetico lumine inſtructum Apoſtolum: quapropter fideles ſuorum temporum monuiſſe viva voce haud contentus, ſcripto conſignatum reliquit, ſeris nepotibus neceſſarium monitum: *Nemo vos ſeducat per philoſophiam, & inanem fallaciam*. At vulgus apparente ratione facilè capitur, nec valet fallaciarum, atque ſophiſmatum nodos detegere aut diſſolvere. Hinc idem gentium Apoſtolus, virtutes ac qualitates futuri Epiſcopi, ac Paſtoris gregis Dominici ſingillatim enumerans, talem eum eſſe oportere dixit, *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*: quaſi diceret: Paſtoribus Doctoribuſque Populi Dei illud incumbit, ut, poſtquam animas ſibi concreditas Verbo Dei, ac ſana doctrina inſtruxerint, deindè ad fallacias, atque ſophiſmata contradicentium detegenda ac enodanda convertantur. Utrumque inſigniter præſtitit ac præſtat ſapientiſſimus præſentis Operis Auctor, *R. Adm. ac Eximius S. Theologiæ Doctor, P. Cajetanus Benitez de Lugo, Provinciæ Hiſpaniæ Sacræ Theologiæ Magiſter, Sacræ Congregationis Rituum Conſultor, & Rmi*

Patris Thomæ Ripoll Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, *pro Hiſpania*, *Socius* : Siquidem edito priùs duplici opere, quorum primo titulus: *Concurſus Dei prævius*, *&* *efficax*: alteri: *Vera Chriſti gratia &c.* Verbo Dei ſcripto, & tradito, SS. Patrum, ac Eccleſiæ Doctorum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, auctoritatibus innumeris, graviſſima Theologiæ dogmata, de gratia ſe ipſa efficaci, ac ſufficiente Thomiſtica: de prædeſtinatione gratuita ad gloriam: de Summi Pontificis, Jeſu Chriſti in terris Vicarii, ac Apoſtolorum Principis Succeſſoris, in materia fidei, & morum infallibilitate: de juſtiſſima condemnatione Queſnellianarum propoſitionum; uti genuinum S. Dominici filium, ac Scholæ Auguſtino-Thomiſticæ profeſſorem, ac propugnatorem decebat; ſtylo gravi, uberi facundia, celſa ac firma ſententia ſtabilierat; atque ab adverſantium, ſive Catholicorum, ſive Hæreticorum argutiis vindicaverat: clariſſimèque oſtenderat prima etiam puncta tantùm non in Canonem abiiſſe; utpotè quæ Prophetica, Evangelica, Apoſtolica graviſſimis momentis probentur: adeòque proximè, veluti de fide, definibilia ſint. Ad tantum ſonitum, non ſecus atque ad tonitrui cujuſdam fragorem expergefacti Thomiſticæ Scholæ æmuli, præfata opera, dum evertere non poſſunt, concutere ſaltem conati ſunt. Hos inter eminet neſcio quis *Caducæi* Theologici Auctor; qui neglecta PP. auctoritate, aut ſecus quàm oportebat explicata; modum, ſeu vim dicendi dicam an garriendi, cui ſe totum tradidiſſe videtur, adverſus laudata opera ſine Chriſtiana modeſtia petulanter admovens; utpotè machinam, qua quiſque per facetias, verborum lenocinia & rationum fucos, ut ad deridenda vera, ita ad perſuadenda falſa, minimo negotio abuti poteſt; Mercurii etiam artibus, cujus ipſe perſonam ultro induit, inſtructus, uti ex præſenti conſtat opere, atrociſſimum bellum, cenſuras enormiſſimas, quondam non minus impudenter, quàm imprudenter contra Romanorum Pontificum Decreta, & Sanctiones eructatas, recoquendo, ac revomendo, indixit, dum *Caducæum* oſtendit. Hujus Auctoris ſophiſmos, fallacias, artes ſubtiliter detegit, ac revincit Adm. R. ac Sapm̃us Magiſter noſter præſenti Opere in quinque Tomos diſtributo; in quo cum præcedentia duo, omnium proborum laudem, atque approbationem promerita, contineantur, & novis, ordine, lumine, robore diſponantur, colluſtrentur, firmentur; prout illud juſſu Rm̃i P. Thomæ Ripoll totius Prædic. Ord. Magiſtri Generalis evolventi clarè patuit: aliundè etiam nihil Fidei Romano-Catholicæ, aut bonis moribus adverſum contineat, luce publica digniſſimum judico: præſertim quod in hoc Opere, quidquid humana, & fallax ratio hucuſque adverſus prædicta Theologica, ac verè graviſſima dogmata potuit excogitare, relatum ac debellatum reperiatur; ut meritò Ponopliam quamdam dixeris; & quidem *cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati*, *ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem*. Ita, ſalvo meliori &c. cenſebam. Romæ è Collegio Caſanatenſi apud S. Mariam ſuper Minervam die 19. Aprilis 1737.

Fr. Pius Vanden Dyck Julio-Sittardus Ord. Præd.

NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac totius Ord. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie, noſtrique auctoritate Officii, facultatem, quantum in nobis eſt, concedimus tibi R. A. P. Magiſtro Fr. Cajetano Benitez de Lugo, Provinciæ Hiſpaniæ, & Socio noſtro, ut poſſis typis mandare opus, cui titulus: *Concurſus Dei prævius, & efficax neceſſariò cohærens cum libero arbitrio à neceſſitate libero &c.* à te compoſitum, de mandato noſtro reviſum, & approbatum à duobus Theologis Ordinis noſtri RR. Admodum PP. Magiſtris Fr. Edmundo de Burgo, & Fr. Pio Vanden Dyck, ſervatis de jure ſervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. In quorum fidem his Sigillo Officii noſtri munitis manu propriâ ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 25. Aprilis anni 1737.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Loco † Sigilli.

Fr. Dominicus Ponſi Magiſter Ex-Provincialis & Socius.

Reg. fol. 60.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Pro-Vicesgerens.

APPROBATIO

R.MI P. M. POLYCARPI DE BURGOS

Ex Sacro Carmelitarum Ordine Provinciæ Bœticæ, ac Romanæ Sapientiæ Univerſitatis Cathedræ Metaphyſices Moderatoris &c.

OPus, cujus titulus: *Concurſus Dei prævius, & efficax* à Rmo Patre Fratre Cajetano Benitez de Lugo, ex Sacro Ordine Prædicatorum, Sacræ Rituum Congregationis Conſultore, & pro Hi-

Hiſpaniæ Provinciis Socio Generali, tam ſolidè, quàm doctè elucubratum; non tam iterum proditurum in lucem, cui a prima ſui editione, cùm de manibus eruditorum haud exciderit, unquam abfuit; ſed ut aliorum plurium votis ſatisfiat, potiùs modò multiplicandum, ſors mihi rursùs perlegendi obtigit: Et licèt novis ſit additionibus, quatenùs recentiora objecta exigunt, illuſtratum, regiam ſemel ingreſſum Sanctorum Auguſtini, & Thomæ viam, ab ea nec minimùm quidèm comperi Auctorem deflexiſſe: Quin immo altiora ſe non quærendo, myſteriumque veneratum, erga quæ Sacroſancta Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum Chriſti Mater, & Magiſtra ſuos permittit alumnos diſputare, veluti circa propriam orbitam regulari curſu, & religioſo diſcurſu procedere obſervavi. Quoniam verò ſuperiori Rmi P. M. Sacri Palatii juſſioni meum eſt obtemperare, cenſoris perſonam induens, prælaudatum ſeipsò opus, ut Fidei conſonum, bonis conferens moribus, & ut Promptuarium doctrinæ SS. Auguſtini, & Thomæ penitus his miſeris temporibus neceſſariæ, perutile typis mandandum cenſeo ſalvo &c. In hoc Conventu S. Mariæ Tranſpontinæ die 15. Maii 1737.

Fr. Polycarpus de Burgos Carmelita Lector Metaphyſicus in Romana Sapientia.

APPROBATIO

R.MI P. BARTHOLOMÆI DEL VALLE, ET SAAVEDRA

Sacræ Congregationis Indicis Conſultoris &c.

CUm Rmi P. Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri mandatis devotâ reverentiâ obſecutus fuerim, Opus, cui titulus: *Concurſus Dei prævius, & efficax neceſſariò cohærens cum libero arbitrio humano à neceſſitate libero*, à Rmo P. M. Fratre Cajetano Benitez de Lugo Sac. Prædicatorum Ordinis Profeſſore, & Socio Rmi P. M. Generalis ejuſdem Ordinis, ad Sac. Rituum Congreg. Conſultore ſolerter compactum, ſtudiosè perluſtravi, & in eo arcanum gratiæ Dei, tam doctè illuſtratum, disertè diſcuſſum, & rectè firmatum offendi; quod gratia victrix, & ab intrinſeco efficax puriſſimis Auguſtini, & Thomæ effatis vindicata, à prædeſtinatione ante prævisa merita ad perſeverantiam finalem uſque, veluti caſtrorum acies ritè ordinata, à Novatorum ſcopulis immunis, Litteriſque Sacris, Conciliis, PP. conſona ſatis ſuperque appareat. Niſi enim perdocti hujus Auctoris, cujus menti perſpicaciſſimæ difficillima etiam dogmata ſunt apta provincia, doctrina, eruditio, & eloquentia cunctis fermè Orbis litterarii alumnis ſat nota foret, proculdubiò calamum in juſtis ejus laudibus recenſendis immorari non prætermitterem. Verùm quia Opus hoc, Cedro utique dignum, abundantem ex ſe commendationem præſefert, nec laudibus aliò emendicatis indiget, ac ſingulari laudati

Au-

Auctoris modeſtiæ obſequium iſtud haudquaquam arridet; idcircò paucis his expeditur, prælibatum Opus, utpotè nihil continens Fidei, & bonis moribus abſonum, ſalvo &c. evulgari poſſe jurè, ac meritò cenſerem. Ex Conventu S. Mariæ Transpontinæ de Urbe die 16. Aprilis 1737.

Fr. Bartholomæus del Valle, & Saàvedra Sac. Congregationis Indicis Conſultor.

APPROBATIO
R.MI P. THEODORI A SPIRITU SANCTO

Carmelitæ Diſcalceati, Congregationis Sacrarum Indulgentiarum Conſultoris, Theologi Votantis in Sacra Congregatione Viſitationis Apoſtolicæ, & Prioris Conventus Sanctæ Mariæ de Victoria.

OPus, cui titulus: *Concurſus Dei prævius, & efficax, neceſſariò cohærens cum libero arbitrio humano &c.*, ingenti Litterariæ Reipublicæ plauſu olim exceptum; novâ nunc luce perfuſum; novis rationum præſidiis fulcitum, extremâque manu adhibitâ ab umbilicum perductum: *Mandante Reverendiſſimo Patre M. Joanne Benedicto Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro*; curioſis, ac inhiantibus oculis iterùm perluſtravi. Omnia in eo Orthodoxæ Fidei puritatem redolent, morumque honeſtatem; utque Paulini Epiſt. 1. ad Victricium effato utar *Nævus in lumine non potuit inveniri*: Nil quippe ex Auguſtini, ac Thomæ Fodinis, niſi defœcatiſſimum aurum poterat Auctor depromere; in cujus laudem illud Cyrilli Alexandrini lib. 1. contra Julianum uſurpate libet: *dixiſſe in præſentiarum operæ pretium exiſtimarim, quod à quibuſdam celebratur Proverbium; Sapiens alius ab Alio*: Cùm ergo puriſſimos hoſce Fontes altè abundèque potaverit; mirum non eſt, quod tam promptè ex oraculo dicat; ac implexas, densâque caligine involutas ambages; quæ vel Theologis primi ſubſellii ſummum negotium faceſſunt, pari facilitate, & fœlicitate dilucidat, ac diſſolvat. Enimverò jam dudum in Eruditorum manibus Opus hoc quieſcebat; ac in deliciis ejus lectio habebatur: cum nova occaſione oblata, Auctor, horarum omnium vir, iterùm lineæ inſiſtere cogitur; in idem Inſtitutum profundiſſimi ingenii ſui vela plenioribus ventis intendere; ac conſummatam, dimiſſamque Provinciam, fortiùs aggredi, ac ſtudioſiùs perficere: Quidam enim ſunt, qui Academicorum more, quos Auguſtinus lib. de vita beata *Caducarios* vocat; dubitant de omnibus; atque inter omnia fluctuant; omnia ad ſuam limam trahunt; &, vel ſolùm verborum corticem rodentes, vel perperam interpretantes; in aliorum ſcripta indebitas, ac intempeſtivas cenſuras intorquent: Hujuſmodi porrò Oppugnatores non defuerunt huic operi; ad gloriam tamen Au-

cto-

ctoris ; qui omnes acerrimi judicii ſui vires exerens, quàm apud veritatis amatores nactus fuerat famam ; ſplendidiore acceſſione complevit. Incus quidèm maxima ictus non pertimeſcit ; quinimò infracta, ac inconcuſſa ictus retundens ; ſuum robur comprobat, ac virtutem: Et reverà Leonem ad ſui perniciem pungit ; qui Virum in Palladis arena omni exceptione majorem extimulat ; ac ad certamen laceſſit ; Cæterùm ex unguibus Leonem diſcit ; cùm qualiacumque in oppoſitum jaculata momenta ; diſcerpta, exufflata, ac diſperſa cernit. Nil utique valent Machinæ in validiſſimum Semiramidis murum ; doctrinam, inquam, de Prædeterminatione, & Gratia ; hiſce ſcriptis invicto robore propugnatam ; cujus interjectu omnes coercentur conatus ; ut cuilibet in eam connitenti illud objici poſſit : *Hìc confringes tumentes fluctus tuos*. Hinc gratulandum Auctori eſt illis Hieronymi Epiſt. 31. ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum verbis: *In principio philoſopharis ; & generaliter agens, dum omnes erudis, unum jugulas: in reliquis autem ; quod difficillimum eſt, Rhetoricæ eloquentiæ jungis Philoſophos, & Demoſthenem, atque Platonem nobis conſocias.* En igitur Thomiſtarum votis ſatis ſuperque factum eſt ; quandoquidèm nulla illis ad ſuas ſolidiſſimas Aſſertiones tuendas deſiderantur propugnacula ; nulla Adverſariis vel ad impugnandum arma, vel ad rationes eludendas effugia ſuperſunt : ac *proinde* cum Nazianzeno orat.51. loquor : *Hoc nunc velint, nolint demonſtratum eſt Geometricis, ut ipſi ajunt, ac neceſſariis demonſtrationibus*. Quamobrem id mihi non incongruè ſentire fas eſt ; neminem ſcilicet materiam hanc ab Auctore diſcuſſam penitius permeaſſe ; uberiùs hauſiſſe ; luculentiùs pertractaſſe ; ac in meliorem ſtatum aſſeruiſſe : adeò ut doctrinam noſtram, à præclariſſimis Eccleſiæ Luminaribus Auguſtino, & Thoma progenitam ; ab eorum Aſſeclis ſucceſſivis temporibus educatam ; demum à ſapientiſſimo Authore abſolutiſſimâ maturitate donatam eſſe, meritò aſſeri poſſit. Verùm quô pactô id ſibi congruerit ; ita Lyrinenſis Commonit.1. cap.30. indigitat: *Quodcumque fide Patrum ſatum eſt ; hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſervetur : hoc idem floreat, & matureſcat : hoc idem proficiat, & perficiatur* : Quô pactò autem id egregiè præſtiterit ; illi quæ ab eodem Doctore ſubduntur ibidem cap.32. aptando ; perſpicuum fiet : *Sedulus depoſitorum dogmatum Cuſtos ; nihil in his unquam permutat ; nihil minuit : non amputat neceſſaria ; non apponit ſuperflua ; ſed omni induſtria hoc unum ſtudet ; ut vetera fideliter ſapienterque tractando ; ſiqua illa ſunt antiquitùs informata ; & inchoata accuret, & poliat : ſiqua jam expreſſa, & enucleata conſolidet, firmet : ſi qua jam confirmata, & definita, cuſtodiat.* Ab umbra me ſtatuam laudare optimè novi : at veritati qualecumque ſuffragium fero ; & ſpeculum non mentitur : ſpeculum profectò ſunt eruditiſſimæ Lucubrationes iſtæ ; in quibus Auctor imaginem omnigenæ, quâ pollet, Litteràturæ, ſuis coloribus affabrè delineavit, loquela ſua manifeſtum ſe faciens. Opus itaque omnium calculis ſuperiùs, pleniſque buccis admittendum ; in quo vel minimùm apicem demere nefas foret, quantociùs prodeat in lu-

lucem; ac ad Thomiſticæ Scholæ munimen & decus longè latèque pervulgetur; debità commendatione, & perennitate fruiturum. Ita ſentio: Ex Collegio S. Mariæ de Victoria die 17. Aprilis 1737.

Fr. Theodorus à Spiritu Sancto Prior Conventus Sanctæ Mariæ de Victoria.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

APPROBATIONES

Præcedentibus Editionibus præfixæ.

APPROBATIO

R.MI P.M. FR. DIDACI TELLII LASSO DE LA VEGA,

Ex Regali, Militarique Ordine Bmæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Provinciæ Bæticæ Patris, Theologi Votantis in Sac. Congregatione Viſitationis Apoſtolicæ, Sac. Indicis Congregationis Conſultoris, S. Officii Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris &c.

REverendiſſimi P. Mag. Fr. Joannis Benedicti Zuanelli Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri mandatis obtemperans, volumen legi, cui titulus: *Concurſus Dei prævius, & efficax neceſſariò cohærens cum libero arbitrio humano à neceſſitate libero*: Auctor verò Rmus P.M. Frater Cajetanus Benitez de Lugo, Sac Prædicatorum Ordinis Profeſſor, & Socius Rmi P. Magiſtri Generalis ejuſdem &c. eruditiſſimus planè vir, cujus proinde mallem encomiaſtes eſſe, quàm cenſor. Tum, quia amicorum, ſicut dulcis memoria, perjucunda laudatio eſt: tum vel maximè, quia caſtigati, & adamuſſim exacti operis pulchritudo, dum cenſorium ſupercilium abigit, uſque adeo laudem conciliat Auctori; ut eum vel ſola enarratione laudarem. Non itaque meis ſuffragiis eget, quem ſic opera præclara commendant; ut quot lectores, totidem meritò opiner futuros eſſe præcones. Sanè in eam me ſententiam pertrahunt floridæ eruditionis amœnitas, ſolidæ doctrinæ fulgor irradians, fœliciſque ingenii feracitas opulenta; quodque paucis datum eſt, conſpicuæ juxta, ac profundæ rationis robur invictum. Porro *Angelici Do-*

Doctoris Schola immortales gratias habere debet Auctori. Primùm quidem, quòd controverſa hinc inde Catholicorum placita novo ſplendore colluſtret, ſolidis fundamentis ſtatuat, validiſque rationum momentis aucta producat; necnon veros, germanoſque Thomiſtarum ſenſus omnibus claritate conſimili defæcatos exponat. Nec parùm id: *Angelici* namque *Doctoris* ſententiæ immobiles ſola earumdem dilucida manifeſtatione conſiſtunt. Qua in re ſummoperè etiam commendandum eſt ſagax, vehemenſque Auctoris ſtudium in aperiendo quid ſibi velint, ac valeant locutiones quædam apud doctrinæ ſacræ Profeſſores: videmus etenim ratiocinationes plerumque fieri ſolo verborum tinnitu graves, doctrinæ tamen pondere vacuas, & à rerum veritate penitùs alienas. Jam quis ferat homines (cujuſcumque ii, ſeu noſtræ, ſeu alienæ opinionis fuerint) qui Theologicos ſenſus non à Philoſophis modò, ſed & à Grammaticis mutuò accipere deprehenduntur? Quaſi verò eorum, qui terrena ſapiunt lumen, de cœleſtibus debeat, aut valeat judicare. Non de verè Theologis mihi ſermo, quibus ſolis deberet Theologicarum rerum tractatio permitti, & expoſitio reſervari. Sacra ergo doctrina plerumque utitur hauſtis aliunde vocabulis, quæ citra dignitatis ſuæ, majeſtatiſque jacturam ſuis ſenſibus ſervire permittit, aut cogit: & quemadmodum à ſenſibilibus rebus acceptas imagines (nihil enim mihi cum redivivo Platone) ad habendam ſpiritualium, ſupernaturaliumque notionem, mirabili virtute ſublimat: ita ſenſibilium nomina, & ad res ſenſibiles ſignandas impoſita, altiori ſignificandi poteſtate nobilitat. Hinc familiare Thomiſtis dicere *Prædeterminationem phyſicam*; *ac ſufficientem potentiam viribus adhuc augendam*; *& efficacem gratiam irreſiſtibilem*; quin cenſoriam eorum virgulam metuant, qui ampliſſimas ſacræ doctrinæ ſententias deprimentes, Grammaticæ cancellis arctare, aut ad Philoſophiæ redigere nituntur anguſtias; ac veluti carceri traditas, immeritas deinde pœnas ſubire compellunt. Omnia hæc noſter Auctor diſertè, ſubtiliterque pertractat. In primis enim qua ratione, quo ſenſu fuerit à noſtratibus *Phyſicæ prædeterminationis* nomen admiſſum, re ſignificatâ incolumi, perſpicuè demonſtrat. *Admiſſum* dixi; id enim nominis è graviſſimæ Societatis Jeſu Gymnaſiis ad noſtra migraſſe teſtatur inſignis ille Theologus, Mercedarii Ordinis eximium decus, & ornamentum perpetuum, Franciſcus, inquam, *Zumel* Tom. variar. Diſp. in 1. p. & 1. 2. Diſp. 3. ſect. 2. §. *Ego ſanè*, pag. *mihi* 66. & ibid. Diſp. 5. ſect. 1. §. *Hanc gratiam*: *Cenſent*, inquiens, *Auctores oppoſitæ ſententiæ eſſe vocandam* (Præmoventem gratiam) *Prædeterminationem phyſicam*; *cujus vocabuli ipſi primi Inventores fuerunt*. Hæc ille ibi, ubi proprias Scholæ noſtræ voces commemorat, & enucleat. Neque vocabuli *Præmotionis phyſicæ* uſum meritò permiſſum fuiſſe, nos latet. Quamquàm enim naturalium cauſarum ordo, infallibili præeunte motione, naturali neceſſitati ſubjaceat; Divinæ tamen virtutis eſt, nullâ cauſæ liberæ neceſſitate impoſitâ, eamdem infallibili conſecutione movere. Cui rei exprimendæ, ut præmonui, nobis vox propria non ſuppetit, qui ſupernaturalia, quin & ſpiritualia etiam, non niſi natura-

lium,

ſium, corporearumque rerum ſpeciebus, & vocabulis uſi, dignoſcimus. Quòd ſi novo forſan oporteret uti vocabulo, crediderim, *ſuperphyſicam*, potiùs, quàm *Præmotionem phyſicam* appellandam. Sed quid moramur in verbis? Ut enim appoſitè S. *Auguſt.* lib. 3. contra Academicos cap. 13. *Docuit etiam me* (Dialectica) *cum de re conſtat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Et quiſquis id faciat, ſi impertitia faciat, docendum eſſe; ſi malitia, deſerendum.* Quantum autem id animadverti oporteat, ubi de ſufficiente gratia, & poteſtate fit ſermo, opportunè ſubmonuit laudatus *Zumel*, ubi nuper Diſp. 4. ſect. 2. concluſ. 1. pag. 64. ubi rem hanc ſolitâ profunditate pertractat: ac rurſus Diſp. 5. ſect. 1. pag. 170. §. *Adde*: ut ſcilicet ſufficiens Gratia, & potentia à Theologis Theologicè, ut par eſt, non autem merè Grammaticaliter inſumatur. Quo fit, ut non plenè capiam nonnullos, doctos alioqui viros, qui naturæ infirmæ nullâ prorſùs, aut nullâ propemodum habitâ ratione, de Auxiliis Diſputationes inſtituunt, totamque controverſiam in ſimplici, nudaque concurſus prævii ſpeculatione conſtituunt, quæ proculdubiò eſt innocenti, & lapſæ naturæ communis: à qua ſententia non me retrahent, qui communem Eccleſiæ Parentem *Auguſtinum* in aliam, vel invitum, trahere obnituntur. Quibus proinde (nec ſolis) durum, quin & abſonum ſonat, ſi voluntas noſtra ab efficaci gratia non motionem tantùm, ſed etiam vires dicatur accipere. Auctor autem prudentior, diligentiorque mihi in horum tractatione videtur: ſufficientem enim agendi potentiam, Chriſti gratiâ conſtitutam, Catholicè agnoſcens, naturæ infirmitatem ob oculos habendam probè dignoſcit: ut, licèt citra primævam ſalutem intelligatur potens, efficaciſſimas tamen vires per novam gratiam Salvatoris accipiat; nè, quæ robuſta cecidit, deficiat infirma. Vires, inquam, juvantes, non neceſſitantes naturam: quibus ſalutaris operatio ſit infallibili certitudine vera; non tamen antecedenti, ut ajunt, determinatione neceſſaria. Multa enim, quæ vix, aut ne vix quidem, mens humana capit, Divinæ virtuti concedenda non inficiabitur, qui ſe Deum non capere Chriſtiana humilitate cognoſcat. Quod argumentum adeò ille feliciter, ſapienterque proſequitur; ut vix quidquam ultrà deſiderari poſſe videatur. Huic autem efficaci Mediatoris gratiæ voluntatem noſtram non poſſe reſiſtere, frequenter aſſerimus: hac tamen in re Theologorum expetimus, quin & efflagitamus auditum. Neque enim Grammaticorum more diverſas virtutes viciſſim pugnantes, ac ſe ſe in invicem collidentes adſtruimus, quarum altera alteri potentiori neceſſariò ſuccumbat. Quinimmò ad hunc ſenſum, *poſſe reſiſtere*, falſum; *non poſſe reſiſtere*, dicemus ineptum; non ſecus ac ſi voluntas ſuo ipſius velle, poſſe, aut non poſſe reſiſtere, ſive ignis poſſe, aut non poſſe calori reſiſtere diceretur. Præcluditur enim preſſæ contradictioni aditus, cùm ſubjectorum extranea conditio verbi ſubterfugit energiam. Itaque, ubi dicimus, illam efficaci gratiæ non poſſe reſiſtere; nihil aliud ſignificare nitimur, quàm quòd *non reſiſtere*, ſeu velle ſecundùm gratiam, donum Dei in ipſa deſignet, & ſit. Dum autem vult, fieri non poteſt, ut nolit ſimul, aut reſiſtat;

cum ex dono Dei habeat & non reſiſtere, & nolle reſiſtere, ſeu repugnare. Neque enim fieri poteſt, ut repugnare nolens repugnet, aut à Deo habens repugnare nolle, nihilominùs repugnare nitatur. Quamobrem certò mihi perſuadeo hac in re eum dumtaxat refragari poſſe Thomiſtis, qui vel eorum ſcita non calleat, vel aliorum quoque Theologorum placita contemnat, aut neſciat. Parùm enim refert ad ſententiæ de gratia efficaci irreſiſtibili veritatem, an hæc hinc, vel inde hauriat efficaciam. Quamquam autem non exigua ſint, quæ de laudati Auctoris opere hactenus enuntiavimus; id ſanè longè majus eſt, quòd Thomiſticæ Scholæ partes ab hoſtilibus novatorum incurſibus defendendas, qua par eſt, virtute, & veritate ſuſceperit. Blaſphemamur enim Divi *Thomæ* Diſcipuli *ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt*, Apoc. 2. ab illis nimirùm, qui & Fidem, & *Thomam* ore jactant, corde tamen probantur nutrire *Janſenium*: & veritati bellum indicturi, quod inane gerunt, callidè nobis Doctoris nomen objiciunt. Vicit *Thomas Lutherum*, vicitque *Calvinum*: iniquum proinde Sectariis viſum eſt bellum, quod adversùs ipſos ſub tanti Doctoris umbra albis ſemper avibus gereretur. Hinc novum ſtratagema meditati, ut tutior lateret eorum hæreſeos anguis in herba, Angelicæ Doctrinæ ſpeciem obtenderunt. Quanta verò hinc hallucinatio, quanta confuſio, utinam necdum experientia docuiſſet! Expectabant illi, adeo Thomiſtica caſtra turbanda, ut, nè in ipſos irruerent, vel reverentia retraheret; aut Thomiſtarum acies invadere, Religioni dandum putaretur: quaſi verò ſperari poſſet, Eccleſiam minùs *Doctorem Angelicum*, quàm *Saulem Cinæum*, curaturam. Quæ cum ita ſint, habent in hocce volumine redditam rebus ſpeciem Catholici, defæcatam ſcilicet Thomiſticæ Scholæ doctrinam, & adverſantium fraudem apertè detectam, ut Catholicos ab omni preſſura, & formidine liberos antiqua, & ſancta maneat rixa columbarum; ideſt, diſputandi libertas. *Nos enim* (ut appoſitè *Hieronymus* Epiſt. 94. ad *Auguſt.*) *inter nos eruditionis causâ diſſerimus*. Pauciſque interjectis, hæc (quibus eruditiſſimum Auctorem, cui hac in re omninò conſentio, meritò poſſim compellare) verba ſubnectit: *Mihi autem decretum eſt, te amare, te ſuſpicere, colere, mirari, tuaque dicta, quaſi mea defendere*. Sed & *Hieronymus* ipſe nos monet ibidem, ut graviſſimos Viros, qui à noſtra doctrina probabilibus nixi momentis abſcedunt, ad reprimendum totis viribus Novatorum conatus, quibus lucem, & tenebras, noſtroſve ſenſus, & errores ſuos, confundere ſatagunt, invitemus: *Magiſque demus operam, ut pernicioſiſſima hæreſis de Eccleſiis auferatur, quæ ſemper ſimulat pœnitentiam; ut docendi in Eccleſiis habeat facultatem*. Cenſeo itaque, nihil toto hoc volumine Eccleſiæ doctrinæ adverſum, vel de bonis moribus abſonum contineri. Sic ſentio, ſalvo ſemper &c. Ex Conventu S. Hadriani de Urbe die 19. Auguſti anno reparatæ ſalutis 1729.

Fr. Didacus Tellius Laſſo de la Vega.

AP-

APPROBATIO
R.MI P. MICHAELIS A CHRISTO

Carmelitæ Diſcalceati, inferioris Bæticæ Ex-Provincialis, & Congregationis Hiſpaniarum Ex-Procuratoris Generalis in Urbe, atque Congregationum Sacrorum Rituum, & Sacrarum Indulgentiarum Conſultoris.

EX commiſſione Rm̃i P. Jo: Benedicti Zuanelli, Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, libenti, ac lubenti animo evolvi librum, cujus titulus eſt: *Concurſus Dei prævius, & efficax neceſſariò cohærens cum libero humano arbitrio à neceſſitate libero*. A Rm̃o P. Cajetano Benitez de Lugo, Provinciæ Hiſpaniæ inclyti Ordinis Prædicatorum Magiſtro, & Socio Rm̃i P. Generalis compoſitum. In quo nihil intelligentiæ veri, aut puritati morum diſſonum adinveni, ſed è converſo cuncta conſona Sanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, ac Sacrorum Doctorum magiſterio. Et ſupra ſtuporem miratus ſum Auctoris acumen in percurrendis Theologicis arcanis, præſertim, quæ Dei gratiam, & arbitrii libertatem concernunt. Argumentum adeò abſtruſum, ut ſplendidiſſimæ *Auguſtini* menti viſum fuerit nodus inextricabilis, dum protulit: *Iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. (Lib. de gratia Chriſti.) Nihilominus Auctor ad litteraria bella doctiſſimus, & ad ambiendum lectulum myſtici Salomonis, id eſt, Chriſti gratiam, (Canticor. 3. v. 7.) ut interpretatur *Ambroſius*, ſatis ſtrenuus, ſic agit de gratiæ celſitudine, & arbitrii libertate, quòd utraque ingenii manu pro dextra utens, (Ambroſ. in pſal. 118.) & de theſauro eruditionis maximæ nova, & vetera proferens, diſertè convincat, gratiam, & arbitrium ſedulò propugnare, ſervataque illius præeminentia, utriuſque tamen jura tueri. Quo verò ſingularis ejus ſapientia appoſitè ſuadetur, ſi oraculum Scripturæ conſulitur. Ligni vitæ cuſtodia Cherubim, ſeu ſcientiæ plenitudini fuit commiſſa: *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*. (Gen. 3. v. 24.) Nec legitur prælaudato cuſtodi, *lignum ſcientiæ boni, & mali* commendatum eſſe. Aſt quod ibi commiſſum non apparet, veritatis zelus, atque honorificentia Scholæ Auctori commendarunt. Quo ingenio? Jam ediſſero. Vitale lignum vitæ perennitatem miniſtrabat. Lignum ſcientiæ boni, & mali diſpares effectiones objiciebat. *Allegoricè* prius lignum, Dei eſt gratia, teſtante *Apoſtolo*: *Gratia Dei vita æterna*. (Ad Rom. 6. v. 23.) Poſteriori autem ligno bonum, & malum exhibente, liberum demonſtratur arbitrium, juxta illud Eccleſiaſtici: *Ante hominem bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*. (15. v. 8.) Prioris cuſtodia ſcientiæ plenitudini committitur. Utriuſque autem adæquata cuſtodia

eſt hujus operis digna, eò quòd ſapientiſſimo, conſummatoque Theologo conſentanea; prout tradit luculenter Doctor Maximus, dicens:
Tom. 2. *Libertas arbitrii ſervanda eſt, ut in omnibus excellat gratia Salvatoris.*
Hieronymi placito Auctor undequaque ſubſcripſit præſenti eruditiſſimo opere, hoc enim gratiæ dignitas commendatur, libertaſque firmatur; imò hæc in gratiæ excellentia, & ab excellentia gratiæ monſtratur, tali auctoritatum pondere, rationumque affluentia, quòd veritatis cupidos plenè informet, & adverſantes urgentiſſimè oppugnet, ac debellet. Unde cum Janſeniſtæ, & Queſnelliani, nimis rebelles lumini ſub Auguſtinianæ, aut Thomiſticæ doctrinæ larva, tantorum Doctorum verum diſcipulatum oſtentent, adeò propulſat illorum petulantiam; quòd detectis fraudibus eluceſcat, gratiæ intrinſecæ efficaciam ab *Auguſtino*, & *Angelico* inconcuſsè protectam, nil minùs ab eorum deliramentis diſtare, quàm à cimmeria caligine radiantiſſimus fulgor meridianus. Inſuper dum ipſi, atque alii perperam evulgant, Recentiores Thomiſtas à veterum veſtigiis declinaſſe, occurrit Auctor, atque egregiè concludit, Thomiſtas Recentiores inſtructioni Apoſtolicæ obtem-
Ad Epheſ. 4. v. 14. perantes non circumferri *omni vento doctrinæ*, ſed in præcipuis florentiſſimæ Scholæ fulcimentis id firmare modò, quod firmarunt Antiqui, ac rejicere, quod rejecerunt Veteres; quia verſus diſciplinæ ſubſtantiam, ſub Aquinate *Sole* fulgentiſſimo *nihil novum*. Quapropter arbitror, præclarum opus mihi commiſſum non demereri modii tegumentum, ſed culmen candelabri. Maximè cum ejuſdem communis evolutio cedere valeat in Dei gloriam, Eccleſiæ Militantis ſubſidium, Scholarum commodum, & Thomiſticæ decus immortale, atque Auctori aptiſſimam mercedem. Nam dum expectationi *Job* fuit palam liber indicis corona
31. à v. 35. commendabilis: *Deſiderium meum audiat Omnipotens: & librum ſcribat ipſe, qui judicat, ut circumdem illum, quaſi coronam mihi.* Judicium, quod cenſoris munere efformo, ſiſtit ultra enarrata in hoc, quòd liber commiſſus, publicæ luci expoſitus, erit Auctori commendabile præmium. Ita ſentio Romæ in Collegio Bmæ Virginis Mariæ de Victoria Carmelitarum Excalceatorum, die 7. Februar. anno Dñi 1730.

Fr. Michael à Chriſto.

APPROBATIO

R.MI P. MAG. POLYCARPI DE BURGOS

Ex Sacro Carmelitarum Ordine Provinciæ Bœticæ, & hujus Romanæ Sapientiæ Univerſitatis Cathedræ Philoſophiæ Moderatoris.

EX commiſſione Rmi P. Jo: Benedicti Zuanelli, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri vidi, ac perlegi librum, cujus titulus eſt: *Concurſus Dei prævius, & efficax neceſſariò cohærens cum libero humano arbitrio à neceſſitate libero*. A Rmo P. F. Cajetano Benitez de Lugo, Provinciæ Hiſpaniæ inclyti Ordinis Prædicatorum Magiſtro, & Socio Rmi P. Generalis compoſitum, ſententiis Conciliorum, & Patrum refectum, doctrinaque orthodoxa compactum, ad mores quoque formandos doctrinis aptiſſimis quidem redundantem: cùm totus penè in vera humilitate tumenti hominum cordi, perſiſtat, inſerenda: dum aperta demonſtrat, quidquid intelligentiæ Supernorum, quidquid virtutum ſtudiis, quidquid ad utiliter operandum efficaciæ, quidquid denique ad ſalutaris cujuſvis, quantumvis minimi, operis executionem, determinationis ab illo deſcendere Patre luminum, apud quem non eſt, tranſmutatio; voluntariè tamen nos verbo veritatis genuit, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos, & vocavit nos propria gloria, & virtute, maximaque, & pretioſa nobis promiſſa donavit, quibus effecti divinæ conſortes naturæ, fugeremus ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. Auctor equidem Scriba doctus in regno Cœlorum præſentis temporis Eccleſiæ dignoſcitur, qui de theſauro ſapientiæ ſuæ nova profert, & vetera; rationum pondere, atque reſponſionum ſoliditate ſatis à ſe ipſis commendata: Lynceis oculis abſtruſa quæque ſecludit, adverſaſque vires, eminus valdè, tutius præcauturus dijudicat. Unum tantummodò præterire non poſſum, videns doctrinam de auxilio indifferenti, de præſcientia Divina concurſus ſub illo, atque de prædeſtinatione ex prævifo bono uſu liberi arbitrii uſque ad finem vitæ, à Joanne de Baccone Anglo Carmelita circa annum 1330. inventam, & publicè lectam in Univerſitate Pariſienſi, cum clauſula tamen: *Si quis eam poſſet ſuſtinere*; ut patet in 1. Sent. Diſt. 41. Art. 2. §. 2. ac prætereà Diſt. præced. Art. 2. §. 5. & in 4. Diſt. 1. Quæſt. 4. duobus ſæculis poſteriorem eſſe, non refragari. Mentem tamen Inventoris, à præſentibus rumoribus alienam omninò eſſe, ſatis conſtat: adductam denique haud levibus inconvenientibus ab ejus ſuſcitatoribus, præſens opus oſtendit. Ideoque in obſequium veritatis, quæ magna, & fortior præ omnibus, & non eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias, hoc opus typis mandandum cenſeo in hoc Conventu S. Mariæ Tranſpontinæ die 25. Februarii 1730.

Fr. Polycarpus de Burgos Carmelita.

A P-

APPROBATIO
R. A. P. MAG. FR. JOSEPHI SALAS
Collegii Caſanatenſis Theologi.

EX commiſſione Rmi P. Fr. Thomæ Ripoll, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, librum legi, cujus titulus eſt: *Concurſus Dei prævius, & efficax neceſſariò cohærens cum libero arbitrio humano à neceſſitate libero*; ejuſque Auctor R. A. P. Fr. Cajetanus Benitez de Lugo, Provinciæ Hiſpaniæ ejuſdem Ordinis, in S. Theologia Magiſter, ac Generalis Magiſtri Socius. Et in eo quidem nihil à Fide, aut Sacris Scripturis alienum, boniſve moribus, aut Sanctorum Patrum doctrinæ diſſonum comperi. Immò ex eorumdem doctrina ſingulari Auctor dexteritate graviſſimas, quas pertractat difficultates, dicti ſui proprias operis, nodis etſi Herculeis, intricatas, diſertè extricat, & quaſi enodes reddit; veras, firmaſque Angelici Doctoris, ejuſque Diſcipulorum ſententias, ſolidiſſimis juxta, & profundiſſimis propugnat rationibus; ac præſertim dum pro Dei ſupremo in creaturas omnes dominio, harum indiſpenſabili à ſuo Creatore in eſſe, & operari dependentia, ac ſubordinatione acriter pugnat, & utriuſque gratiæ, ſeu ſufficientis, ac per ſe efficacis ad operandum neceſſitatem, hujuſque cum noſtra libertate glutinum oſtendit: ubi Sanctorum Patrum doctrinæ, *Auguſtini* præcipuè, ac *Thomæ*; necnon Conciliorum, Summorumque Pontificum Decretis innixus, nova, quaſi ſcriba doctus, de theſauro ſuo profert, & vetera; ac, ceu de abſtruſis favorum cellis extrahit mella. Quarè præfatum Opus publicâ luce, præloque dignum exiſtimo. Ita cenſeo, ſalvo &c. Romæ in Collegio Caſanatenſi S. Mariæ ſuper Minervam die 4. Februarii 1730.

Fr. Joſeph Salas Ordinis Prædicatorum in Sacra Theologia Magiſter, & Theologus Caſanatenſis.

APPROBATIO
R. A. P. M. FR. ADOLPHI SCHLEIPEN
Collegii Caſanatenſis Theologi.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Ripoll, Sacri Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, perlegi Librum, cui titulus: *Concurſus Dei prævius, & efficax, neceſſariò cohærens cum libero arbitrio humano à neceſſitate libero*, ab Admodum Reverendo Patre Fr. Cajetano Benitez de Lugo Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtro,

giſtro, doctè, ſolidèque compoſitum: in quo quia nihil reperi, aut orthodoxæ Fidei adverſum, aut morum honeſtati contrarium, eum prælo committi, ac in publicum edi poſſe cenſeo. Salvo ſemper &c.

Datum Romæ, in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, die 5. Februarii anno 1730.

Fr. Adolphus Schleipen Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſter, ac Collegii Caſanatenſis Theologus manu propria.

APPROBATIO
R.MI P. D. JOANNIS SIANDA

A Monte Regali, ex Abbate Monaſterii Conſolatricis Taurinorum Augupei Primi Aſſiſtentis Generalis Congregationis S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis.

ARduam ſanè aſſumit provinciam, quiſquis de gratiæ virtute, efficaciâ, & extenſione quæſtiones aggreditur, quæ nodus inextricabilis, etiam perſpicacioribus ingeniis, viſæ ſunt: Siquidem pœnè imperceptibile videtur, quomodò gratia libero arbitrio, non modò non ſit obnoxia, ſed in adjutorium potius tam excelſæ facultatis à Deo ſit gratiosè exhibita, cùm *volentem prævenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit: S. Bernard.* 324. Imperſcrutabile hoc eſt Sacramentum ſolo Dei Spiritu revelante referandum: Quapropter quiſquis Divinæ gratiæ præſtantiam ſcrutari meditatur, ut tutò incedere valeat, SS. Eccleſiæ Doctorum, qui à Deo ſpeciali illuſtrationis ſupernæ prærogativâ cumulati, ſuis in Operibus de gratia occurrentes enodarunt quæſtiones, opus habet menti, & conſilio inhærere; ſicut etiam irrefragabilem doctrinam, quam ſacra exhibent Concilia ſcrutari, & amplecti, quas partes cùm abundè in hoc eruditiſſimo Opere abſolverit clariſſimus Auctor, conſumati ingenii in Theologicis diſquiſitionibus, in SS. Patrum Operibus, in Sacrorum Canonum ſtudio clarum ſpecimen exhibet ſtudioſo Lectori.

Inter Sanctos Eccleſiæ Doctores, qui gratiâ ipsâ peculiariter opitulante rimati ſunt longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum gratiæ (nemo enim ſcire valet, quæ ſunt Dei, niſi ille, quem Deus ipſe erudierit) ſingulariter in omnibus Scholis meritò commendantur SS. *Auguſtinus*, & *Thomas*, quorum mirabili doctrinæ præcipuè inhærens in hiſce elucubrationibus Auctor, mirabiliter extenſionem, conſtitutionem, & effectus gratiæ, tam excitantis, quàm adjuvantis, quæ per Jeſum Chriſtum diffuſa eſt in cordibus Infidelium, induratorum, & excœcatorum, inveſtigat, dilucidat, explanat, ut indè facilè ſit cuique hoc Opus evolventi ediſcere, quàm incomprehenſibilis the-

theſaurus ſit gratia Dei, de cujus plenitudine omnes accipimus, vel cùm nos initiat, & vocamur, vel cùm nos prævenit, & juſtificamur, vel cùm nos conſummat, & glorificamur, ita ut ſemper cum Apoſtolo, cuicumque de gratia rectè ſentire cupienti, reliquum ſit dicere *Gratia Dei mecum*; ſive præveniens ſit, cum excitamur, ſive cooperans, cùm adjuvamur, ſive ſubſequens, cùm in bono roboramur. Singulari autem claritate, & gratiâ enucleat in hoc Opere propoſitorum in ſolutione dubiorum, ſicut etiam alio in Opere ab ipſo in lucem edito commendatiſſimus Auctor, quid gratia operetur, quid liberum arbitrium, qua in re veros, germanoſque Thomiſticæ Scholæ ſenſus exponit, quos perperam aliqui detorquere conantur, qui ſe doctrinam Thomiſticam ore profiteri jactantes, in corde Janſeniana enutriunt deliria. Aſſerunt utique Thomiſtæ, voluntatem efficaci gratiæ non poſſe reſiſtere. Sed quantum abeſt, ut in Janſeniſmum, hôc loquendi modô, valeant impingere, cui ſemper arginem fecit Schola Thomiſtica! Siquidem Thomiſtæ nihil aliunde ſignificare intendunt, cum aſſerunt, voluntatem efficaci gratiæ non poſſe reſiſtere, ſeu velle ſecundum gratiam donum Dei in ipſa voluntate deſignat, quæ à Deo habens repugnare nolle, certum eſt quod nunquam repugnare enititur ipsâ adjuvante gratiâ, quæ liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum, ſanat, cùm immutat affectum, roborat, ut perducat ad actum, ſervat, ne ſentiat defectum.

Ex hoc Opere, in quo enitet ſingularis eruditionis gratia conſtat, quantum ſint allucinati, qui à Sanctorum doctrina, deteriorem in partem accepta, ſegreges facti ſunt ſuis in ſcriptis, ex quibus, *magis proindè Scriptoris publicatur temeritas, quam Lectoris ædificetur charitas: S. Bernard. in tract. de gratia*; quod & noviſſimis temporibus Janſenio, & Queſnellio contigit, qui doctrinæ novitatem diligentes, & vanitatem, locuti ſunt mendacium. Quotquot hujus ſunt furfuris eruditè perſtringit hoc Opus præſcriptum: *Vera Chriſti Gratia illuminans, movens, & efficaciter adjuvans Infideles, excœcatos, & obduratos, propriis momentis ſtabilita, atque à Janſenii, & Queſnellii erroribus vindicata* à Rmo P. Fr. Cajetano Benitez de Lugo Provinciæ Hiſpaniæ ex Ordine Prædicatorum Magiſtro, & Socio Rmi P. Generalis, elucubratum, quod ex commiſſione Rmi P. Joannis Benedicti Zuanelli S. Palatii Apoſtolici Magiſtri perlegi. In eodem ita doctè perſtringuntur Janſeniſtæ, ut mirum ſi poſthàc os amplius habeant ad loquendum. Quapropter dignum cenſeo, quòd publici juris fiat, ſi ita ad quos ſpectat &c.

Ex Monaſterio S. Pudentianæ de Urbe die meo protoparenti Doctori Mellifluo ſacra tertiô decimo Kalendas Septembris anno 1733.

D. Joannes Sianda.

APPROBATIO
R.[MI] P. F. THEODORI A SPIRITU SANCTO

Carmelitæ Diſcalceati, Congregationis Sacrarum Indulgentiarum Conſultoris, & Theologi Votantis in Sacra Congregatione Viſitationis Apoſtolicæ.

REverendiſſimi P. *Joannis Benedicti Zuanelli* Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri eâ, quâ par eſt, veneratione mandatis obtemperans, eximiâ animi jucunditate attentè evolvi, ac perluſtravi Librum, cui titulus: *Vera Chriſti Gratia illuminans, vocans, & efficaciter adjuvans Infideles, excœcatos, & obduratos*, à Rm̃o Patre Magiſtro *Cajetano Benitez de Lugo*, inclyti Ordinis Prædicatorum feliciter elucubratum, quem Auctoris nomine aliis evulgatis voluminibus longè, latèque ſplendidò commendarem, niſi præclarum illud Em̃i *Pallavicini* retardaret effatum *de Bono* lib.1. cap.9. *Quicumque omnia peræque dicta, atque attributa Scriptoris alicujus effusè magnificat, is profectò indicat, ſe non Scriptores ex operibus, ſed ex Scriptoribus opera exiſtimantem*. Habet hoc Opus unde Scriptori decorem conciliet; in eo ſiquidem impletur, quod olim Catholicum Tractatorem inſtituens ſapienter, ac eleganter protulit *Lirinenſis in Monitorio* cap.27. *Intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod antea obſcurius tenebatur; quod enim vetuſtas firmiter tenuit, ac non ita perſpicuè venerabatur, gratulabitur Poſteritas profundâ eruditione, mirâ claritate, reſeratum*. In gratiæ Chriſti illuminantis contemplatione ſapientiſſimus Auctor excelſæ Majeſtatis ſcrutator effectus non opprimitur à gloria, ſed miram, ac ſingularem Aquilæ indolem æmulatus, ita mentis acutiem in Divini Solis radios citra palpitationis periculum defigit, ut inde clariſſimè perceperit ſuavem, ac inſimul efficacem modum, quò Deus Solem ſuum oriri facit ſuper Injuſtos obduratos, aut infidelitatis, ac cœcitatis tenebris involutos: & in arduis ponens nidum ſuum, in ſplendoribus Sanctorum Patrum, legitimum Thomiſticæ doctrinæ partum fovit, publicà luce donandum. Hujus Divinæ illuſtrationis ubertatem ſub typo vocationis ad mendicos, claudos, ac cœcos affabrè expreſſam indigitat *Auguſtinus* ſerm.34. *de verbis Domini* his verbis: *Veniant mendici, quia ille invitat, qui propter nos pauper factus eſt, cùm Deus eſſet, ut illius paupertate mendici ditaremur. Veniant claudi, qui ei dicant: Compone greſſus meos in ſemitis tuis. Veniant cœci, qui dicant: Illumina greſſus meos, nè unquam obdormiam in morte*. Hanc ſibi ſtatuit metam ſapientiſſimus Auctor, ſcilicet, prædictam gratiam vocantem, & illuminantem novis argumentorum ſubſidiis ſtrenuè defenſare; nec latum unguem à *Hieronymi* magiſterio diſſentiens apud *Salmantic.* tract.13. diſp.7. *Libertas arbitrii ſervanda eſt, ut in omnibus excellat gratia Salvatoris*; ita gratiam auxiliantem exaltat, ut liberi arbitrii vires

res non perimat. Ita liberi arbitrii jura propugnat, ut gratiæ ab intrinſeco efficaciter moventis robur non deprimat. Nec mirum ex Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* fluentis doctrina progrediens illud ſibi *Caſſiodori* lib. 4. *variar.* promeretur elogium: *Laudabilis vena ſuum ſervans originem.* Utróque igitur Doctore Duce, ac Comite, ita Auguſtinianas, ac Thomiſticas de Divina Gratia ſententias pertractat, ut Scholaſticam cum poſitiva, magnô ſui labore, majori Lectorum utilitate, mirô fœdere copulaverit. Habent hìc Polemici, unde Conciliorum, ac Patrum auctoritatibus acerrimos Divinæ Gratiæ Adverſarios impugnent. Habent Scholaſtici, unde efficaciſſimis rationum momentis Pſeudothomiſtas interimant; quò circa adeò præfixô Auctoris inſtitutô ea, quæ proponit videntur aptari, ut ipſe *Auguſtini* verbis, quibus olim uſus eſt contra *Julianum* lib. 2. cap. 10. jure optimo *Janſenium*, & *Queſnellium* alloqui poſſit: *Appende ſententias, volo eſſe plures, ut eas pigeat enumerare; ſed non ſunt leves, ut eas dedigneris appendere, immo tam ſunt graves, ut te videam ſub earum onere laborare.* Nihil protuli; plura dixi. Nihil protuli, ſi quæ dicta ſunt inſigniſſimi Auctoris operi comparentur. Cenſoris virgam arripiens nil in eo reperi, aut ab Orthodoxæ Fidei principiis alienum, aut rectæ morum inſtitutioni diſſonum; ſed omnia ſinceram Fidei, ac cœleſtis planè ſapientiæ redolent puritatem. Opus itaque aureum, saniſſimæ doctrinæ profunditate, ſententiarum ſplendore, rationum ſoliditate prælo dignum, exiſtimo, cedró, & immortalitate digniſſimum. Sic ſentio Romæ in Collegio S. Mariæ de Victoria die 19. Auguſti anno reparatæ ſalutis 1733.

Fr. Theodorus à Spiritu Sancto.

APPROBATIO
R. A. P. M. FR. EDMUNDI DE BURGO
Ord. Prædic. S. Theol. Doctoris, Caſanatenſis Theologi pro Hiberniæ Provincia &c.

VOlant libri (querebatur olim S. *Bernardus* Epiſt. 189.) *& qui viderunt lucem, quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem*: Volant pariter in diebus noſtris contumacium libri (licèt id toties prohibuerit Eccleſia Sancta Dei) qui temerariô, ignarôque auſu ſplendidiſſimam D. *Auguſtini*, & *Thomæ* de gratia, & libero arbitrio in eorumdem Scholis inconcuſsè, tutiſſimèque hucuſque perſpicuè traditam doctrinam cum juſtiſſimè proſcriptis tenebroſis erroribus commiſcere non ceſſant. *Quiſquis libros* adeò infames *legerit* (ait S. *Hieronymus* Epiſt. 59.) *nè à ſerpentibus mordeatur, legat hunc librum* (cui titulus aptiſſimus eſt: *Vera Chriſti gratia illuminans* &c) *ut.... quæ ſibi cavenda noſcat*, quæque ſectanda perficiat; *ſicque tenui diligentiâ adver-*

tet (ut præfatur S. *Proſper* præf. in *cap. Gall.*) *quàm injuſtè Catholici Prædicatoris* (ac gratiæ & arbitrii Defenſoris S. *Auguſtini*) *memoria* ſimul & Auguſtino-Thomiſticæ Scholæ fama *carpatur*, *& in quod peccatum* (reſtitutioni obnoxium) *cadant*, *qui alienâ inſtigatione commoti*, aut propriæ defenſionis gratiâ inducti, *Scriptorem celeberrimi nominis*, ejuſque Scholam, *promptiùs habent culpare*, *quàm noſſe*.

At *talis eſt ſtatus veritatis* (S. *Chryſoſtomo* teſte de *laud. Pauli* tom. 4.) *ut etiam multis impugnantibus ſuſcitetur*, *& creſcat*: Undè *effugit lapidantium impetum* (addit S. *Greg. Naz. de modo in Diſput. ſervando*) *oratio*, ſeu doctrina *noſtra per medium ipſorum tranſiens*; *non lapidatur*, *quin potius belluas*, *hoc eſt*, *ſermones hujuſmodi*, *perniciosè aſcendentes lapidibus*, *fundiſque inſectatur*. Ignominiâ quippè *ſplendidior* fit, & illuſtrior.

Irritos, vanoſque calumniantium conatus in fuſo de *Concurſu prævio*, nunquam ſat laudato, Opere nuper impreſſo, ſtrenuè repreſſit præclarus, eximiuſque *Magiſter noſter* Fr. *Cajetanus Benitez de Lugo*, Conventûs famoſiſſimi S. *Stephani Salmanticenſis* (ex quo innumera prodierunt clara ſcientiæ omnimodæ, pietatis ſolidæ, & obſervantiæ Regularis lumina) digniſſimus filius, ipſo ſuo nomine notiſſimus.

In hocce pariter Opere de *Vera Chriſti gratia* &c. exquiſitis Sacrarum Scripturarum, Canonum Eccleſiæ, Sanctorumque *Auguſtini* præſertim, & *Thomæ* teſtimoniis, fusâ eruditione, rarâ (ſibi ingenitâ) modeſtiâ, idem aſſumptum proſequitur, complevitque. Eccleſiæ porrò juſtiſſimas deciſiones ſolidè defendit; *Auguſtino-Thomiſticam* Scholam (ipſi paſſim *Hipponenſis*, & *Aquinatis* verbis) dilucidè vindicavit; & veritatis oſoribus viam ſalutis fortiter, ſuaviterque monſtravit. Utile igitur, & neceſſarium apparet, ut, ceu prioris Operis complementum, hic indefeſſi laboris fructus publicæ luci exponatur. Ita (ſaniori ſalvo judicio) voveo, opto, ac cenſeo, & commiſſioni mihi datæ à Reverendiſſimo P. Generali noſtro Fr. *Thoma Ripoll*, eâ, quâ par eſt, promptâ voluntate pareo. Romæ ad Minervam die 8. Auguſti 1733.

Fr. Edmundus de Burgo Athenrienſis Hibernus Ord. Præd.

APPROBATIO
R. A. P. FR. PII VANDEN DYCK

Sacræ Theologiæ Magiſtri, *& Theologi Caſanatenſis Ordinis Prædicatorum*.

TAlis eſt conditio erroris, ut, nullo etiam ſibi obſiſtente, conſeneſcat, ac defluat: talis autem è diverſo eſt ſtatus veritatis, ut etiam multis impugnantibus ſuſcitetur, ac creſcat. Quod de veritate his ferè verbis S. *Joannes Chryſoſtomus* pronuntiat, id doctrinæ SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* in materia de gratia ſe ipſa efficaci convenire oſtenditur in

hoc Opere, quod juſſu Reverendiſſimi Patris Thomæ Ripoll, totius Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, perlegi, cui titulus: *Vera Chriſti Gratia illuminans, vocans, & efficaciter adjuvans &c.* in eo ſiquidem eximius, ac ſapientiſſimus Pater Cajetanus Benitez de Lugo Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſter, & Rm̃i P.Generalis pro Hiſpania Socius, in Orbe litterario egregiis ingenii ſui monumentis notiſſimus, oſtendit, tantum abeſſe, ut doctrina de gratia efficaci ex ſe ipſa quidpiam detrimenti hiſce noſtris diebus paſſa ſit, quin potius nova eidem, & minimè vulgaria, occaſione damnatorum *Queſnelli* aſſertionum, acceſſerint decora. Hic videre licebit *Clementem* XI. doctrinam Thomiſticam à calumnia vindicantem. *E tot confixis* (inquit Auctor inſignis operis de vita, & rebus geſtis *Clementis* XI.) *E tot confixis Queſnelli pronuntiatis, nonnulla, quæ ad Divinam gratiam pertinent, notiſſimo Janſenii ſenſu proſcripſit, qui Dei gratiam neceſſitantem invexit: integrá, ac prorſus illæsâ permanente doctriná de gratia ſe ipſa efficaci, quam à damnatis nuper erroribus immani tutam diſcrimine, potiſſimum Schola Thomiſtica, aliæque celeberrimæ in Orbe Catholico Academiæ, frequenteſque Theologi, ducibus SS. Auguſtino, & Angelico Doctore propugnant. Quorum doctrinæ erroris notam hujuſmodi ab ſe inuſtam Conſtitutione, Queſnellianæ ſtudentes cauſæ, per ſummam injuriam calumniatos eſſe, Clemens celeberrimis litteris ordientibus* Paſtoralis officii, *quas ad univerſos Chriſti fideles ..... ſcripſit, meritò conqueſtus eſt, falſamque criminationem depulit. Neque deerant, qui tametſi Queſnellianis, ut Catholicos decebat homines, eſſent adverſi, & Clementinæ Sanctioni obſequerentur, licentia nihilominus pari, illuſtres utriuſque Doctoris Scholas criminabantur; ſua, alia de cauſa, intereſſe rati, id calumniæ genus vulgo alere: at horum item Pontificium Diploma tempeſtivè compreſſit audaciam.* En liberatos ab injurioſa calumnia SS. *Auguſtinum* & *Thomam*, eorumque Diſcipulos! En compreſſam illuſtres utriuſque Doctoris Scholas criminantium audaciam! Inveniet quoque in hoc Opere Lector cum *Clemente* XI. *Benedictum* XIII. felicis recordat. in idem conſpirantem; qui ex Apoſtolatûs ſpecula omnes Ordinis Prædicatorum Profeſſores hortatur, ut Doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & Prædeſtinatione gratuita defendere, & calumniantium voces intrepidè pergant contemnere. Sed quia aliqui, licèt pauci, pergunt blaſphemare veritates Catholicas eſſe proſcriptas: alii quidam perperam aſſerere privata ſuæ Scholæ placita, inter articulos Fidei, ſi Superis placet, relata, contra utroſque aſcendens, ac vibrans Thomiſtica arma, tantâ eos efficaciâ, ac ſuavitate expugnat, ut neſcias, quid mireris, an argumentorum vim, & energiam, an Auctoris modeſtiam, ac moderationem: cùmque Auctor meliori præ illis præditus criterio, clarè indigitet, quid in hac materia Fides doceat, quidve diſputationibus Theologorum relictum ſit, hinc judico (ſalvo ſemper &c.) Opus hoc luce digniſſimum fore, cùm aliunde nihil in eo offenderim Fidei, aut bonis moribus adverſum. In quorum fidem &c. Romæ 8. Auguſti 1733.

Fr. Pius Vanden Dyck Julio-Sittardus Ord. Præd.

IN-

INDEX DISPUTATIONUM, ET DUBIORUM,

Quæ in hoc primo Tomo continentur.

DISCURSUS PROLOGOMENUS

Ad Tractatum de Gratia. Pag. 1

DISPUTATIO I.

De eſſentia, & conſtitutivo libertatis creatæ. 17

DUBIUM I. *An poſt Adæ peccatum ſit in homine libertas? Quid ſit? Et qualis ſit prima radix, necnon indifferentia libertatis conſtitutiva?* ibid.

§. I. *Datur in homine poſt Adæ peccatum libertas.* ibid.

§. II. *Diviſio, & eſſentia libertatis dilucidè exponitur.* 25

DUBIUM II. *In quo conſiſtat radix eſſentialis libertatis?* 40

§. I. *Quædam ad Dubii intelligentiam proponuntur.* ibid.

§. II. *Indifferentia rationis, ſeu judicii eſt radix libertatis.* 42

§. III. *Nonnulla ex Ortizio obſervatione digna proponuntur.* 45

§. IV. *Electio voluntatis pendet eſſentialiter ab ultimo judicio rationis.* 49

§. V. *Ex parte judicii requiritur ad libertatem indifferentia compoſita cum motione Dei efficaci, quâ ſtante indifferentia, voluntas non poteſt à Deo neceſſitari.* 56

DU-

DUBIUM III. *An arbitrium hominis ſit non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate liberum?* 62
§. I. *Quædam ad intelligentiam Dubii proponuntur.* ibid.
§. II. *De Fide eſt voluntatem lapſam eſſe à neceſſitate liberam.* 69
§. III. *Hæreticorum id negantium opinio eſt annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones.* 76
§. IV. *Solvuntur Argumenta.* 79

DISPUTATIO II.

De Gratia conſtitutiva libertatis creatæ. 95

DUBIUM I. *An ad indifferentiam libertatis arbitrii requiratur, quòd æquales ſint in voluntate vires?* ibid.
§. I. *Præmittuntur quædam ad clariorem reſolutionem Dubii.* ibid.
§. II. *Ut quis liber ſit à peccato, dum ab eo retrahit vis victricis gratiæ, neceſſe non eſt, habere potentiam eamdem rejiciendi, viresque æquales, aut proportionatas attractivo Gratiæ.* 104
§. III. *Ut liberè fiat ſupernaturalis actio non requiritur potentia completa, per hoc quòd habeat vim æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis.* 115
§. IV. *Solidiſſimis rationibus removetur æquilibrium virium.* 121
§. V. *Alia ratio ex aliis abſurdis, & incommodis, quæ ex hoc ſyſtemate æquilibrii virium ſequuntur, proponitur.* 132
§. VI. *Quædam ex Ortizio objecta ſolvuntur.* 134
DUBIUM II. *Aliorum de æquilibrio ſententiæ proponuntur, & propria multipliciter firmatur.* 138
§. I. *Æquilibrium Janſenii proponitur, & refellitur.* ibib.
§. II. *Syſtema D. Honorati Tournellii de æquilibrio proponitur, & rejicitur.* 244
§. III. *Ut voluntas ſit potens ad victoriam tentationis ſufficit minima Dei gratia.* 156

§. IV. *Sol-*

§. IV. *Solvuntur Argumenta.* 164
DUBIUM III. *An requiratur ad libertatem, poteſtas rejiciendi victricem gratiam, vel gratiæ ab intrinſeco efficaci reſiſtendi, reſiſtentiâ formaliter, & ſtrictè tali?* 174
§. Unicus. *Pars negativa ſtabilitur.* 180
DUBIUM IV. *An ſit de mente Concilii Tridentini, quòd liberum arbitrium conſtituatur per hoc, quod poſſit reſiſtere Gratiæ victrici, ſive ſe ipsâ efficaci?* 188
§. I. *Explicantur termini Canonis 4. ſeſſ. 6.* ibid.
§. II. *Poteſtas, quæ juxta Concilium eſt in libero arbitrio, eſt poteſtas reſiſtendi, ac diſſentiendi Deo excitanti, atque vocanti.* 192
§. III. *Quædam ab Ortizio, & P. Araujo objecta diluuntur.* 197
§. IV. *Solvuntur Argumenta ex oppoſito.* 203

DISPUTATIO III.

De ſubjectione liberi arbitrii creati Deo, naturæ, & Gratiæ Auctori. 219

DUBIUM I. *An liberum hominis arbitrium in ſuis prædicatis eſſentialibus importet ſubordinationem Dei ad nos?* ibid.
§. I. *Deum ſubjici, aut ſubordinari creaturæ nullô ſenſu dici poteſt. Rejiciuntur modernæ aliquorum locutiones.* ibid.
§. II. *Repugnat aliquod decretum liberum in Deo, omnipotentiam à libertate creata determinabilem, vel ipſi ſubordinatam ſtatuens.* 226
§. III. *Prænotantur quædam animadverſione digna ex Ortizio, ejuſque placitum recenſetur.* 245
DUBIUM II. *Utrùm libertas noſtra eſſentialiter includat ſubjectionem, & ſubordinationem Deo?* 248
§. I. *Pars affirmativa ſtatuitur.* ibid.
§. II. *Solvuntur Argumenta ex SS. Patribus.* 257

DUBIUM III. *An ſubordinatio liberi arbitrii Deo talis ſit, ut Divina virtus cauſet tam ſubſtantiam, quàm modum actûs liberi.* 270

§. I. *Concluſio affirmativa ſtatuitur.* ibid.

§. II. *Solvuntur Argumenta.* 278

DISCURSUS PROLOGOMENUS
AD
TRACTATUM DE GRATIA
Phyſicè prædeterminante, ſeù ab intrinſeco efficaci, & Concordia libertatis.

1 CUm ineffabiles, & infiniti Sapientiæ, ac Scientiæ Dei theſauri non hauriantur ſatis niſi juxta beneplacitum illius, qui fecit omnia in pondere, numero, & menſura, gratiæ ab intrinſeco efficacis neceſſitas, ejuſque cum libertate noſtri arbitrii concordia, vel ex hoc humanæ menti indiſſolubile agnoſcitur Sacramentum. Quarè juſtiſſimum, & miſericordioſiſſimum, gratiæ ab intrinſeco efficacis auxilium commendans M. P. Auguſtinus, verſanſque profundiſſimæ hujus quæſtionis argumentum: cur unus in accepta juſtitia perſeveret, & non alter? Cur unus præ altero Divinæ conſentiat vocationi? Ad inſcrutabilia remittit judicia. Sic lib. de Don. perſever. cap. 9. *Ex duobus itàque parvulis originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur. Et ex duobus ætate jam grandibus impiis; cur iſte ità vocetur, ut vocantem ſequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ità vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non detur; inſcrutabilia ſunt judicia Dei.* Et cap. 12. *ſed quarè illos, potiùs quàm illos? Iterùm, atque iterùm dicimus, nec nos piget: O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabi-*

gabiles viæ ejus . Et hoc adjiciamus : altiora te nè quæſieris , & fortiora te nè ſcrutatus fueris . Et cap. 14. in fin. *Cur autem illi habeant aures audiendi , illi non habeant : hoc eſt , cur illis datum ſit à Patre , ut veniant ad filium , illis autem non ſit datum , quis cognovit ſenſum Domini ? Aut quis conſiliarius ejus fuit ? Aut tu quis es , ut reſpondeas Deo ? Numquid ideò negandum eſt , quod apertum eſt ; quia comprehendi non poteſt , quod occultum eſt ? Numquid, inquam , propterea dicturi ſumus , quod ita eſſe perſpicimus , non ità eſſe , quoniam cur ità ſit , non poſſumus invenire ?* Et lib.2. de peccat. mer. & remiſs. cap.18. num.32. *Conſilium occultioris juſtitiæ penès ipſum eſt . Nos quantum conceſſum eſt , ſapiamus , & intelligamus , ſi poſſumus , Dominum Deum bonum ideò , etiam Sanctis ſuis, alicujus operis juſti aliquando non tribuere , vel certam ſcientiam , vel victricem delectationem , ut cognoſcant non à ſe ipſis , ſed ab illo ſibi eſſe lucem , quâ illuminentur tenebræ eorum ; & ſuavitatem , quâ det fructum terra eorum .* Et lib. 1. ibi : cap. 21. n. 29. *Valdè ergo pravum ſenſum habemus ad diſcutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus, non iniquam, quæ non tàm movet , cùm præſtatur indignis, quàm cùm æquè indignis aliis denegatur .* Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 1. *Sunt quidam* , inquit , *qui ſic gratiam Dei defendunt , ut negent liberum hominis arbitrium : aut quando gratia Dei defenditur , negari exiſtiment liberum arbitrium . . . . itàque , dilectiſſimi , nè vos perturbet hujus quæſtionis obſcuritas .* Et Epiſt. 46. ad Valentinum, nunc Epiſt.21. n.6. *Aut*, inquit, *non intelligit librum meum , aut fortè ipſe non intelligitur , quando difficillimam quæſtionem , & paucis intelligibilem ſolvere , atque enodare conatur . Ipſa enim eſt quæſtio de gratia Dei , quæ fecit , ut homines non intelligentes putarent Apoſtolum Paulum dicere, faciamus mala, ut veniant bona . Vnde Apoſtolus Petrus in 2. Epiſt. ſua : quapropter , inquit , chariſſimi hæc expectantes ſatagite inviolati , & immaculati apud Deum reperiri in pace , & Domini noſtri patientiam, ſalutem exiſtimantes. Sicut & dilectiſſimus frater noſter Paulus ſecundùm eam , quæ data eſt ei , ſapientiam ſcripſit vobis , ut & in omnibus Epiſtolis loquens in eis de his , in quibus ſunt quædam difficilia intellectu , quæ indocti , & inſtabiles homines pervertunt, ſicut & cæteras Scripturas ad proprium ſuum interitum .*

2. Quarè inter difficilia humanæ menti agnoſcens myſterium hoc , quod eſt veluti fons ſignatus , concluſuſque hortus , quèm dignè , nec hominum , nec Angelorum ſapientia valet reſerare, lib. de Corrept. & grat. cap.5. n.8. exclamat Auguſt. : *Sed quarè iſti ſic , illi aliter , atque alii alitèr diverſis,& innumerabilibus modis vocentur,ut reformentur, abſit , ut dicamus , judicium luti eſſe debere , ſed figuli .* Et ibi cap. 8. n. 1. *Me ignorare reſpondeo . Non enìm arroganter , ſed agnoſcens modulum meum , audio dicentem Apoſtolum : O homo tu quis es , qui reſpondeas Deo ?* Et lib. de Spirit. & litter. cap. 3. *Si quis me interroget, cur illi ità ſuadeatur, ut perſuadeatur, iſti autem non ? Duo ſolùm occurrunt , quæ reſpondere mihi placeat : O altitudo divitiarum Sa-*

pien-

pientiæ, & Scientiæ Dei! Et: numquid iniquitas apud Deum? Cui hæc reſponſio non placet, quærat Auguſtino doctiores, ſed caveat, nè inveniat præſumptiores. Ut ſic intelligamus omnes, quod quiſquis ſecundum ſuæ voluntatis beneplacitum ſupernam gratiæ efficacis intelligentiam aſſequi conatus fuerit, præſumptionis vitio ſeductus, atque ignorantiæ tenebris circumſeptus, non intellectum, ſed prorsùs judicium de ſua reportabit audacia, dicente Auguſtino lib. de Don. perſever. cap. 19. *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe*. O ergo elata præſumptio! O tumens humana exiſtimatio! O indocta ſcientia, & neſcia doctrina! Quid terminos excedens ſuos, ut ad Dei aſcendat ſapientiam, extollitur, & inflatur!

3. Hinc prima mali labes, hinc venenata tot hæreſum, & errorum zizania, hinc orta Hæreticorum rebellio, primaque radix tot contentionum; ſemperque nata acrior in Eccleſiâ de Concordia libertatis diſputatio, quæ per tot ſæcula SS. PP. & Theologorum exercuit ingenia. Hinc tandem jactata tot hæreſum fluctibus, errorumque ventis concuſſà Eccleſiæ circa gratiam navicula, impulſa pluries, agitata, vexata; at licèt gravius laborans, everſa numquam; integra ſtat, ſtetit, ſemperque victrix, & glorioſa ſtabit doctrina hæc: quam Deus, Pater totius conſolationis, apto, optatoque ſubveniens remedio, victricem ſemper in tranquillitatis portum vindicat, & Hæreticos vafris argutiis ſuis, & dolis ipſam ſupplantare conantes confundit.

4. Ita ſanè eſt, quod myſterium gratuitæ prædeſtinationis, & gratiæ ignorari non vult Apoſtolus, ut loquitur Epiſt. ad Rom. cap. 11. *Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes*. At ſi in doctrina prædeſtinationis omnia ignorare velle, infidelitas eſt, & omnia ſcire velle, ſuperbia, & præſumptio eſt; hic ceſſare debet omnis mundanæ ſcientiæ curioſitas, omniſque perſpicacia naturalis ingenii, omniſque præceps agitata, & deordinata, ſi quæ eſt, quod abſit, contra ſententiam gratiæ, quam Catholici defendimus, efficacis affectio. Non enim, ut ita dicam, ab homine, aut per hominem initiatum fuit gratiæ efficacis myſterium. Non Scholæ Thomiſticæ induſtriâ, non intellectuali Diſcipulorum ſuorum diſcuſſione, inventum. *Nobis nihil*, ut Tertulliani verbis utar de præſcript. cap. 6. *de voſtro arbitrio inducere licet; ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus Auctores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignaverunt*. Fuit hæc doctrina priorum, ſubſequentium, necnon & poſteriorum ſæculorum, quam quovis tempore, ad revincendos errores circa gratiam, habuit Eccleſia: quæ cum non ſit doctrina temporum, vel ſecundùm eorumdem ſucceſſionem, & eadem ſemper, & immaculata perſeverat, ut aſſerit Summus Pontifex Hormiſda Epiſt. ad Poſſeſſorem: *De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur, & aſſeveret Eccleſia, licèt in variis libris B. Auguſtini,*

& maximè ad Hilarium, & Proſperum, poſſit cognoſci, tamen in Scriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria credis, deſtinabimus: quamquam qui diligenter Apoſtoli dicta conſiderat, quid ſequi debeat, evidenter cognoſcat. Ergo nobis curioſitate opus non eſt, nec humani ingenii inquiſitione poſt tot clariſſima Sacræ Scripturæ, SS. PP. & Conciliorum teſtimonia. Summæ namque imperitiæ argumentum erit, reprobare velle, quod SS.PP. efficaciſſimis probarunt argumentis, & quod humiliter, & fideliter à primis ſæculis fuit in Eccleſia traditum. Quis evanidam non cenſeat ipſorum intelligentiam? Credendum nè illis, qui tàm cæco partium ſtudio abripiuntur, qui ſe ipſos mutuo in propria cauſa, & teſtes, & judices appellant, ac laudant; qui ſe in Angelos lucis figurantes, nudo jam capite, occulta Dei judicia, & inveſtigabiles vias ejus ſe proclamant aſſecutos, ut Eccleſiam à veteri doctrina, poſt tot evolutos annos, in novam ſenſim, paulatìmque traducant?

5. Hoc, iterùm dico, eſt diſſolutæ humanæ libertatis fructus; eſt malæ impenſæ libertatis effectus; fuit & hæreſum radix, & origo, ut probat pravum illud Pelagianorum effatum, *quod ratio arguit, non poteſt auctoritas vindicare*. Erravit Origenes nimio plus tribuens libero arbitrio, docens, quidquid gratiæ nobis largitur Deus, totum id noſtræ voluntatis arbitrio acceptum eſſe referendum. Quod ſi gratiæ auxiliis nos egere aliquando agnoſcat, gratiam ſolùm voluntatis noſtræ pediſſequam, ad ejuſque nutum compoſitam, & pro meritis à Deo in homines erogatam, non excitantem, non gratis datam, admittit. Erravit Pelagius, cujus doctrina, teſte S. Hieronymo, *Origenis Ramuſculus eſt*, qui gratiæ nomine ſaltem omiſſo, ſolam naturam in principio ſuæ hæreſis ſufficere dicebat, ac parem ad omnia Dei mandata obſervanda, tentationes ſuperandas, ad ipſam denique vitam æternam aſſequendam. Unde diſputantes Pelagiani contra gratiam pro libero arbitrio, *fecerunt*, inquit Auguſtinus ſerm.26. alias 11. de verbis Apoſt. cap.7. *auribus piis, & Catholicis offenſionem. Cœperunt horreri; cœperunt ut certa pernicies devitari* &c. non valentes ratione naturali gratiam actualem voluntatis, & actionis, quæ virtute ſua invicta, indeclinabili, & inſuperabili, voluntatem ad agendum applicat, & determinat, cùm libertate componere. Et omnis creatus, & creabilis intellectus ſemper hallucinabitur, qui reconditam, admirabilem, & immenſam tanti arcani profunditatem, tenuitate intelligentiæ humanæ aſſequi velit. *Hoc ſcio*, inquit Auguſtinus de Don. perſever. cap. 19. *neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe. Puto tamen eis, qui de hac re ſententias tractatorum requirunt, Sanctos & in fide, atque doctrina Chriſtiana laudabiliter uſquequaque diffamatos viros, Cyprianum, & Ambroſium, quorum tàm clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere, & debere ad utrumque, id eſt, ut & gratiam Dei gratuitam, ſicut credenda, atque prædicanda eſt, per omnia credant, & per omnia prædicent, & eandem prædicationem prædicationi, quâ hor-*

hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur adverſam: quia & iſti viri cum ſic prædicarent Dei gratiam, ut unus eorum diceret, in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit: alter autem, non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes: non tamen hortari, & corripere deſtiterunt, ut fierent præcepta Divina. Hæc D. Auguſtinus; ex quibus infero, quod, cum nequeant profundiſſima hæc naturalibus inveſtigationibus metiri, aut aſſequi, ſtandum, ejuſdem Auguſtini exemplo, auctoritati Conciliorum, & SS. PP. quorum doctrina, quantum gloriæ Chriſti, Eccleſiæ, necnon ſaluti fidelium expediat, nè ſupprimatur, aut obſcuretur, univerſus Chriſtianus Orbis judicabit.

6. Nec nobis opponant, quod doctrina gratiæ nunc præberi, aut illo præberi modo non poſſit, quo fuit olìm à SS. PP. tradita, innixi forsàn auctoritati Angelici Præceptoris Opuſc. 1. in Præfat. ad Urbanum Papam, dicentis: *Exorti circa fidem errores occaſionem dederunt, ut ea, quæ ſunt fidei, majori circumſpectione traderent. Et ideò non eſt mirùm, ſi moderni fidei Doctores poſt varios exortos errores, cautius, & quaſi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei.* Hoc enim certiſſimum eſt, hoc & omnibus perſuaſum eſſe debet. Quod & toties inculcat Auguſtinus: Ita Lib. de Don. perſever. cap. 20. *Omnia itàque Dei dona, quæ in eodem Opere ſivè optavi, ſivè laudavi, quis, non dicam negare, ſed dubitare ſaltèm audeat, Deum daturum ſe eſſe præſciſſe, & quibus daturus fuerit, nunquàm potuiſſe neſcire? Hæc eſt prædeſtinatio manifeſta, & certa Sanctorum: quam poſteà diligentiùs, & operoſiùs, cum jam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas compulit. Dicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſiùs, & enucleatiùs iſto noſtro labore defendi, niſi quòd Pelagiani dicunt, gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari? Quòd quid eſt aliud quàm gratiæ omninò negatio?* Et in Pſal. 54. *Etenim Hæreticis exerta eſt Catholica, & ex his, qui malè ſentiunt, probati ſunt, qui benè ſentiunt. Multa enim latebant in Scripturis; & cùm præciſi eſſent Hæretici, quæſtionibus agitaverunt Eccleſiam Dei. Aperta ſunt quæ latebant, & intellecta eſt voluntas Dei. Indè dicitur in alio Pſalmo, congregatio Taurorum inter Vaccas Populorum, ut excludantur hi, qui probati ſunt argento. Excludantur enim dixit, emineant, eant, appareant. Vnde dicuntur & in arte argentaria excluſores, id eſt, ex quadam confuſione maſſæ ſuæ formæ expreſſores. Ergo multi, qui optimè poterant Scripturas dignoſcere, & pertractare, latebant in Populo Dei: nec afferebant ſolutionem quæſtionum difficilium, cùm calumniator nullus inſtaret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Arriani? Numquid perfectè de pœnitentia tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptizatores? nec de ipſa unitate Chriſti enuclea-*

cleatè dicta erant, quæ dicta ſunt, niſi poſteaquam ſeparatio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut jàm illi, qui noverant hæc tractare, atque diſſolvere, nè perirent infirmi ſollicitati quæſtionibus impiorum, ſermonibus, & diſputationibus ſuis obſcura legis in publicum deduxerunt. Et Pſal. 67. *Multi enim ſenſus Scripturarum Sanctarum latent, & paucis intelligentioribus noti ſunt: nec aſſeruntur commodius, & acceptabilius, niſi cum reſpondendi Hæreticis cura compellit. Tunc enim etiam qui negligunt ſtudia doctrinæ, ſopore diſcuſſo, ad audiendi excitantur diligentiam, ut Adverſarii refellantur. Denique quàm multi Scripturarum Sanctarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinum, quàm multi de homine Chriſto contra Manichæum, quàm multi de Trinitate contra Sabellium, quàm multi de Unitate Trinitatis contra Arrianos, Eunomianos, Macedonianos? Quàm multi de Catholica Eccleſia toto Orbe diffuſa, & de malorum commixtione uſque in finem ſæculi, quod bonis in Sacramentorum ejus ſocietate non obſtat adverſus Donatiſtas, & Luciferianos, alioſque, ſi qui ſunt, qui ſimili errore à veritate diſſentiunt: quàm multi contra cæteros Hæreticos, quos enumerare, vel commemorare nimis longum eſt, & præſenti Operi non neceſſarium. Quorum tamen ſenſuum probati aſſertores, aut prorſus laterent, aut non ità eminerent, ut eos eminere fecerunt ſuperborum contradictiones.*

7. Ita ſanè eſt, quod non omnis locutio SS. PP. etſi probatiſſima, in eodem gradu, & loco conſtituenda eſt. Sicut enim, *alia claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, Stella enim differt à Stella in claritate*, 1. ad Corint. 1. 5. ità alia eſt claritas Cypriani, Nazianzeni, Gregorii. Alia Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Proſperi, Fulgentii in materia gratiæ; quia cum ex illis quidam ſcripſerint, priuſquam certi errores prodiiſſent, aut Eccleſiæ judicio eſſent confixi; minori propterea cautione quandoque locuti ſunt, quàm PP. poſteriores. Sic Eccleſiaſticos Scriptores excuſat S. Hieronymus lib. 2. Apolog. adverſus Ruffinum, qui de Verbo Divino antequam Arrius naſceretur, *innocenter*, ut inquit, *quædam, & minus cautè locuti ſunt*. Sic etiam D. Auguſtinus de Patribus, quorum auctoritate abutebantur Pelagiani, lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 14. ait: *Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur? Undè factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam Scriptorum ſuorum locis attingerent; immorarentur vero in eis, quæ adverſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant.*

8. Hoc & affirmat Divus *Thomas* in Procemio ad 1. Opuſc. dicens: *Quod autem aliqua in dictis Græçorum antiquorum Sanctorum inveniantur, quæ modernis eſſe dubia videntur, ex duobus æſtimo provenire. Primò quidem, quia errores circa fidem exorti occaſionem dederunt Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, ut ea, quæ ſunt fidei majori circumſpectione traderent, ad eliminandos exortos errores; ſicut patet,*

quòd

quòd Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arrii, non ità expreſsè loquuti ſunt de unitate Divinæ eſſentiæ, ſicut Doctores ſequentes, & ſimile de aliis contingit erroribus, quòd non ſolùm in diverſis Doctoribus, ſed in uno Doctorum egregio Auguſtino expreſsè apparet. Nam in ſuis libris, quos poſt exortam Pelagianorum hæreſim edidit, cautius loquutus eſt de poteſtate liberi arbitrii, quam in libris, quos edidit ante prædictæ hæreſis ortum, in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens, aliqua protulit, quæ in ſui defenſionem erroris aſſumpſerunt Pelagiani, Divinæ gratiæ adverſantes. Et ideo non eſt mirum, ſi moderni fidei Doctores poſt varios errores exortos, cautiùs, & quaſi elimatiùs loquuntur circa doctrinam fidei ad omnem hæreſim evitandam.

9. Hanc utriuſque Sancti Doctoris ſententiam ſequitur P. Petavius, qui tantâ eruditionis Theologicæ laude claruit tom. 1. lib. 9. Dogmatum Theologicorum cap. 6. dicens: *Cùm de gratia, vel electione, ac Prædeſtinatione diſputandum eſt, minor haberi ſolet antiquorum Parum ratio, qui ante Pelagianam ortam hæreſim extiterunt, quàm eorum, qui poſteà ſunt ſecuti. Latinorum verò multò major, quàm Græcorum, etiam hæreſi illa poſteriorum. Propterea quòd magis aliquando Latinam Eccleſiam, quàm Orientalem exercuit hæreſis Pelagiana, quæ iis de rebus altercandi occaſionem præbuit. Sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarint funditùs, vel minùs accuratè perſpexerint. Omnium verò Latinorum, quorum hac in controverſia majorem dixi auctoritatem eſſe, Princeps eſt conſenſu Theologorum Auguſtinus: cujus de gratia ſententiam quotquot deinde conſecuti ſunt Patres, ac Doctores, tum verò Romanæ Eccleſiæ Præſules, Præſulumque conventus, ratam, & Catholicam eſſe judicarunt; ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quòd ab Auguſtino poſitum, ac decretum eſſe conſtaret. Paucos dumtaxat Recentiores excipio, qui in electione potiſſimùm ad gloriam, vel Prædeſtinatione pertractanda, ultrò ſe ab Auguſtini opinione diſceſſiſſe profitentur; ut præ cæteris Ambroſius Catharinus, ac nonnulli de Scholaſticis Theologis fecerunt. Alii, ne tantum à ſe pondus auctoritatis abjudicarent, Auguſtinum quoquo modo trahere in partem ſuam conati ſunt, & contra, quàm omnis retrò antiquitas inſtituit, illius interpretari ſententiam, quod inter alios aggreſſus eſt Gabriel Vazquez.*

10. At in dubium vocari minimè poteſt, illos SS. PP. qui Catholicam doctrinam contra hæreſes ſui ſæculi ab Eccleſia damnatas præcipuè defenderunt, maximam auctoritatem habere in illis Dogmatibus, quæ, approbante Eccleſiâ, defendenda ſuſcepêre: v. g. maxima eſt auctoritas S. Athanaſii, ubi agitur de Myſterio SS. Trinitatis, Verbi Conſubſtantialitate, quam adverſus Arrianos propugnavit; S. Cyrilli, dum de Chriſti Incarnatione, quam adverſus Neſtorium defendit; S. Hieronymi, ubi de rebus, quæ ad Sacram Scripturam ſpectant, aut de Vigilantii erroribus diſſeritur; S. Auguſtini, Hieronymi, Proſperi, & Ful-

& Fulgentii, ubi de gratia Chriſti, quam adverſus Pelagium tutati ſunt, agitur. His ergo SS. PP. plenius, qui in aliquo circa efficaciam gratiæ dubitant, inſtruendi ſunt. Nil opinandum, quod ipſorum appareat doctrinæ contrarium. Procul pulſa cæcâ quadam novitatis ſectandæ prurigine, omnique curioſitatis affectu, in eorum doctrina ſimus ſtabiles, & immobiles. Id enim tutiſſimum Theologis antiquitatem recolentibus, SS. PP. ſequi veſtigia, immotam oculorum aciem in ipſorum doctrinam intendere ſemper: quibus, nè quid minus nobis deeſſet de gloria veritatis, & ad noſtram eruditionem, de ejus cognitione, Deus contulit Scripturarum ſcientiam, intellectum, & cognitionem, ut nobis manifeſtam facerent veritatis claritatem, ſicut ad Africanos Epiſcopos ſcribit Summus Pontifex Zoſimus Epiſt. 3. *Charitatem veſtram tàm Apoſtolicæ Sedis auctoritate, quàm mutua amoris affectione commoneo, ut jàm ingenia veſtra Sanctarum omnium Scripturarum, quæ ſecundùm traditionem PP. atque majorum præcepta ſunt, præceptis, obſervationibuſque ſufficiant.* Quid illic non abundans? Quid non Dei Spiritu, & vocibus plenum ſit? Niſi libet unumquemque plus ſibi credere, ſuoque de ſe uti judicio. Ut enim Ratramnus Monachus Corbienſis ſcribit in libris ab ipſo compoſitis de Prædeſt. Dei: *Ne nos in culpam ideò trahamur, ſi Sanctorum auctoritatem ſequimur. Si enim quod illi dicunt Catholicum eſt, nec repugnans rectæ fidei, nos quoque non à Catholicæ Fidei rectitudine diſcrepare judicemur, ſi hoc dicamus, & ſentiamus, quod illi dixerunt, & ſenſerunt. Illorum enim doctrinâ fides Eccleſiaſtica munitur: & nos, qui intra ſinum Eccleſiæ continemur, de illorum inſtitutione imbuimur, nec aliud ſentire præſumimus, niſi quod illi nos inſtituerunt; nec aliò ire, niſi quò ducunt: nec dicere aliud, niſi quod illi dicunt.*

11. Hoc maximè de S. Auguſtino in materia gratiæ intelligendum, præcedentium Summorum Pontificum conſona prorſus atteſtatio compellit, & ratio manifeſta convincit. Quis immobiliter non credet M. P. Auguſtino, Doctori illi ineffabiliter mirabili, ac incomparabiliter honorando, in cujus laudem dixit Bonifacius II. in Epiſt. ad S. Cæſarium Galliarum Primatem: *Atque ideò cum de hac re multi Patres, & præ cæteris, beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & Majores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ità ratione probentur diſſeruiſſe latiſſima, ut nulli ulterius deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratia, ſuperſedendum duximus* &c. & teſte S. Proſpero in fine libri contra Collat. *Bonifacius: cum eſſet doctiſſimus, adverſus tamen libros Pelagii B. Auguſtini reſponſa poſcebat.* Cui eximiæ commendationi illud ſanè addendum S. Innocentii I. qui litteras utriuſque Concilii Milevitani, & Carthaginenſis ab Auguſtino ſcriptas, *plenas fidei* appellat, *totoque Catholicæ religionis vigore*. Adſtipulatur Joannes II. *Item S. Auguſtinus, cujus doctrinam, ſecundùm Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.* Sic & Cœleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 2. *Quod illum nunquam ſiniſtræ opinionis rumor aſperſit, quem tan-*

tantæ ſcientiæ fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam à meis ſemper Deceſſoribus haberetur. Sic & alii Summi Pontifices; ut meritò ad tanti Doctoris æternum decus affirmet Clemens VIII. *Cum multi Pontifices, & Prædeceſſores noſtri doctrinæ S. Auguſtini tàm acres fuerint aſſertores, ac vindices, ut quaſi hæreditario jure eam in Eccleſia relinqui voluerint; æquum non eſt, ut patiar illam hac hæreditate privari*. Cujus veſtigiis laudabiliter inhærere volentes Alexander VII. Innocentius XII. & Clemens XI. hujus S. Doctoris doctrinam in publicum veritatis teſtimonium laudibus quàm plurimis illuſtravêre, ut eorum approbatio omnibus eſſet efficaciſſimum ſecurioris doctrinæ documentum, argumentum veritatis. Audiendus F.R. *Benedictus* XIII., *Clementis* Papæ XII. quem Deus benevalentem, ac feliciter regnantem diù conſervet, ad atterenda hæreticæ pravitatis molimina, ad ſuffocanda alia falſæ improbitatis ſemina, & ad inducendam pacis tranquillitatem, Deceſſor. Hic in ſua Conſtitutione *Ad Summi Dei gloriam* data Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1728. decimo Kal. Octobris Pontificatus ſui anno quinto, §. 6. *Nuncio tàm ſancti, tàm gravis, & maturi judicii Epiſcopalis ad nos perlato, præ gaudio exſiliit cor noſtrum, ſummâque lætitiâ perfuſi, gratias Deo egimus, quod ſuam gloriam in S. Auguſtini exuviis canonicè vindicatis augere voluerit, quem ob ſanctimoniam, atque intemeratam Doctrinæ excellentiam, ut fulgentiſſimum Eccleſiæ lumen, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cœleſtinus, Gelaſius, Hormiſda, aliique Deceſſores noſtri Romani Pontifices, magno ſemper in honore habuerunt; noſque ipſi ut parentem æquè ac Magiſtrum veneramur, utpotè cujus Regulam, & Doctrinam in noſtro Prædicatorum Ordine à primis adoleſcentiæ annis profeſſi ſumus, & favente Deo, profitemur*. O æternum Auguſtini decus, ipſum æquè parentem, & Magiſtrum veneratur Benedictus, veneranda Prædeceſſorum ſuorum ſequens veſtigia; nam & Cœleſtinus Papa non contentus fuit S. Auguſtinum ex Anteceſſorum ſententia collocaſſe inter Magiſtros Optimos, niſi etiam annumeraret inter ſuos, dum cap. 3. ſuæ Epiſtolæ ita loquitur: *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem Hæreticorum ſenſibus, ſivè pravitate, ſivè imperitiâ demorantes, piiſſimis Diſputatoribus obviare præſumunt, & cum Pelagium, & Cœleſtium anathematizare non dubitent, Magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur* &c. Quod Summi Pontificis dictum, *Magiſtris noſtris*, non ad Summos Pontifices Innocentium, & Zoſimum, ſed ad S. Auguſtinum refertur, quem norunt omnes piiſſimum Diſputatorem contra Pelagianos.

12. Hæc, dum ego conſidero, cum S. Proſpero exclamare vellem: *Contra iſtam clariſſimæ laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſſimi teſtimonii dignitatem, audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perſpicuæ, ſinceriſſimæque ſententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere*! Quo namque conſilio adverſum hunc

S. Doctorem diſputare quis aut debet, aut poteſt, in quo ità profundè quod univerſa tenet Eccleſia, & ſemper in ea retentum eſt circa efficaciam gratiæ rectiſſimè legitur? S. Fulgentius de verit. prædeſt. & grat. lib. 2. cap. 18. num. 30. *Hæc itaque Catholicorum Patrum Apoſtolicis inſtitutionibus tradita, permanet in Eccleſiis ſine aliqua dubitatione doctrina, quam Græci, Latinique Pontifices, Sancti Spiritus infuſione firmati, uno, atque indiſſociabili ſemper tenuêre conſenſu. In qua B. Auguſtinus indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit: non autem ipſe, ſed gratia Dei cum illo. Ipſius enim miniſterio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus ſuis inſtructionem præbuit. Quippe adhuc ipſo in corpore conſtituto, Pelagianas hæreſes adverſus gratiam Dei mortiferis auſibus debellavit. Nec defuit invicta benignitas miſerantis Dei, quæ militem ſuum ſpiritalis gratiæ armis tantò fortiùs præcingeret, quantò acriùs adverſus eamdem, vaſa iræ Diabolus inſtigaret. Proindè memoratus Dei Pontifex inclitus Auguſtinus turrim fortitudinis ipſam gratiam tenens, & exindè cuncta hoſtilium machinamenta turmarum Cœleſtis juvaminis virtute confringens, non ſolum ipſe perfectam de hoſte victoriam referens, triumphavit; quin etiam poſteris certandi, & vincendi ordinem, ſi quando victa pravitas, recidivo auſu infandum caput erigere niteretur, oſtendit: Senſum quippè Chriſti habens tàm gratiæ Dei, quàm humani arbitrii, & officia diſcrevit, & merita, ſemper divinis humana ſubjiciens, & veraciter docens, divinitùs homini, & gratuitò juſtificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat omnis, qui ſalutem æternam adipiſci deſiderat, humiliter orans miſericordem Deum, ut eumdem Spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, ut ſcriberet; & eandem illuminationis gratiam adipiſcatur, ut diſcat, quam ille adeptus eſt, ut doceret.*

13. Audiantur & alii virtutis, & ſapientiæ ſuffragio notiſſimi Viri, quorum vel ſingulum nomen, ſingularis eſt panegyris materia. S. Prudentius Epiſcopus Trojæ in Epiſtola ad Hincmarum. *Hoc primum, præcipuèque moneo, & poſtulo, ut doctrinam Beatiſſimi P. Auguſtini omnium abſque ulla dubietate undecumque doctiſſimi, Sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordiſſimam (quippe nullus Doctorum abſtruſa earum ſcrupuloſiùs rimatus, diligentiùs exquiſierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robuſtiùs defenderit, effuſiùs diſſeminaverit) veſtri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quando tanto Cœleſtis gratiæ munere donata exiſtit, ut nullo cujuſquam conamine ullatenus evelli poſſit: cum eam, & Apoſtolicæ Sedis ſublimitas, & totius Eccleſiæ Catholicæ unitas, auctoritate concordiſſima approbarint, ac roborarint: adeò ut nullus ei ſingulariter, verùm univerſitati Eccleſiæ Catholicæ cum ea, & in ea, queat anniti.*

14. Loquatur S. Remigius Archiepiſcopus Remenſis, qui in lib. de tenen-

tenenda immobiliter Scripturæ Sanctæ veritate, & Sanctorum Orthodoxorum auctoritate fideliter ſectanda, in laudem Auguſtini, ità diſſerit: *Hæc igitur cum legiſſemus, & adjuncto nobis fratrum noſtrorum Deo donante benè ſtudentium, & rectè intelligentium Collegio, piâ, & fideli attentione ſingula pertractaſſemus, graviter perculſi, & confuſi animo vidimus in eis, & Scripturæ Sanctæ certiſſimam veritatem, & Beatiſſimorum Patrum, præcipuèque Sancti Auguſtini reverendam, & in omni Eccleſia Catholica receptiſſimam auctoritatem novo conatu, & auſu nimis temerario impugnari, & quantùm in ipſis fuit, improvidè, atque inſolenter labefactari*. Et cap. 9. *Denique de B. Auguſtini libris, & ſcriptis, in quibus ex neceſſitate novæ, ideſt, Pelagianæ hæreſis deſtruendæ, & Fidei Catholicæ defendendæ inſtantiſſima intentione, de natura, & gratia: de gratia, & libero arbitrio: de correptione, & gratia: de prædeſtinatione Sanctorum, & bono perſeverantiæ: ac de Baptiſmo parvulorum juxta profunditatem Scripturæ Sanctæ, & Evangelicæ, atque Apoſtolicæ doctrinæ regulam, multipliciter diſputavit adhùc ipſo vivente, ſicut Proſper, & Hilarius ad eumdem ſcribunt, & multò magis poſt obitum ejus, propter obſcuritatem rerum, & tarditatem minus intelligentium multiplex querela maximè intra Gallias exorta eſt. Sed continuò per Divinæ miſericordiæ providentiam, & Conciliis, ac ſtatutis Beatiſſimorum Patrum, & Decretis, atque auctoritate Apoſtolicæ Sedis Pontificum ſolertiſſimè ſedata, atque ſanata: ita ut ſtultis, & indiſciplinatis quæſtionibus ſilentium imponeretur, & Sanctiſſimi, ac ſinceriſſimi Doctoris auctoritas in omnibus Eccleſiis, atque in ipſa Sede Apoſtolica confirmaretur. Deniquè Beatiſſimus Papa Cœleſtinus* &c.

15. Loquatur S. Vincentius Ferrerius in Sermone de S. Auguſtino: *Audeo dicere, omnes Doctores, qui venerunt poſt Auguſtinum, ſuſtentantur ſuper ejus Doctrinam ſanctam, puram, Catholicam, auri puriſſimi ſine errore falſarum opinionum: & quilibet Doctor eſt contentus ad probandum dictum ſuum, ſi poteſt habere unam auctoritatem Auguſtini*.

16. Loquantur Lupus Servatus in ſuo Opere de prædeſtinatione, qui Auguſtinum pag. 22. *parentem Eccleſiaſticæ Philoſophiæ* nominat. Et pag. 23. *Gratia Dei, ſicut nemo tàm laborioſâ indagine veſtigavit, nemo ut ille tamdiù verſavit; ità, pace cunctorum dixerim, nullus utrumque cum tanta veritatis proprietate invenit, nullus tantâ eloquentiæ ubertate aſſeruit, nullus inexpugnabilium argumentorum copiâ tantâ defendit*. Et pag. 31. *Quis hoc ſit ſanctior, quis cautior, quis ſecurior? Hic itaque tot Divinis ornatus muneribus non dubitando, non quærendo, non argumentando, ſed planè, velut profeſſum docendo, bonorum prædeſtinationem eſſe inſinuat. Verba ejus poſui ex libro quem Enchiridion dixit, cui in retractatione cum vellet ſupremam imponere, ut ajunt, manum, nihil quod adjiceret, nihil quod detraheret, nihil quod mutaret, invenit*. Eminentiſſimus Cardinalis

Baronius in Appendice tom. 10. Annalium: *Apoſtolica Sedes S. Auguſtini ſe profeſſa eſt de gratia, & libero arbitrio probare ſententiam.* Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis: *Quicumque cum Apoſtolo Paulo, id eſt, Oraculo Eccleſiæ, & cum B. Auguſtino ejus ſequace conſonat, in eo ignorantiæ caligo non regnat.*

17. Non ſunt hæc blandientis orationis poppyſmata, ſed ſanctiſſima Summorum Pontificum Oracula, totque illuſtrium Eccleſiæ Prælatorum: quæ cum in animum immitto profundius, intelligo demùm, eo celſitudinis evaſiſſe Auguſtinum, quo mens ſolum audeat admiratione aſpirare. Sed quid miror tàm fortunatam, atque per omnia ſæcula ampliſſimam Sapientiæ Auguſtini irradiationem? Cum Auguſtinus, pleno ſinu totum Sapientiæ Solem excipiens, fuerit in publicam mundi lucem accenſus; cum per aureos ſapientiæ ejus radios illuminatus ſit meridies Eccleſiæ, nihilque tàm obſcurum ſit in Theologia, quod ſuo Cœleſti ſplendore non irradiet. Illius doctrina, inexpugnabile ſemper fuit Eccleſiæ munimentum, & fulcimentum. Ipsâ propugnata eſt vera Religio, & penitùs debellata, profligata, & detriumphata Pelagianorum hæreſis. Sunt M. P. Auguſtini Opera, liber ille, cujus doctiſſimis Catholicis Aphoriſmis Orbis totus à tot ſæculis eruditur, quem generoſa poſteritas per omnes Univerſitates, & Academias uſque hodiè cum ingenti plauſu, & ſalutari Sapientium fructu explanat. Quæ omnia eo demùm conſpirant, ut tractatus iſte eò videatur illuſtrior, quò puriori Auguſtiniani Solis radio illuſtratur; ut eliminetur à Scholis novitas, cùm omnis ventura poſteritas habeat, undè ſibi inexhauſtam Cœleſtis doctrinæ copiam in Auguſtino depromat. Hoc amor imperat, ut digna ſæculis Auguſtini memoria ſupervivat in Diſcipulis. Hoc debitum doctrinæ ſuæ commendationis exigit Magiſter Optimus à Diſcipulo. Spectant ad Diſcipulorum encomia Magiſtrorum laudes; ei debent gloriam, & decus, cui & debent ſeipſos. Quare mihi decretum eſt, ut D. Hieronymi Auguſtinum alloquentis Epiſt. apud Auguſtinum 192. aliàs 30. verbis utar, *ipſum amare, ſuſpicere, colere, mirari, ſuaque dicta quaſi mea defendere.*

18. At cum S. Auguſtini excitavi memoriam, D. Thomæ non extinxi recordationem. Hic eſt enim proſper, & ampliſſimus Scholæ noſtræ character, ut nunquàm Auguſtini ſolius meminiſſe valeamus. Auguſtini laus, elogium Thomæ; qui ex eo maximè commendatur ab Urbano V. in Bulla ad Toloſanam Academiam, quòd B. Auguſtini *veſtigia inſequens Eccleſiam illuſtraverit.* Vel, ut in ejus laudem dixit Poſſevinus S. J. *S. Thomas Aquinas meritò poteſt nominari alter Auguſtinus, cum adhuc ſolidius, atque in meliorem ordinem Doctrinam Auguſtini redegerit. Quam quidem Summam & pleræque celebriores Academiæ, & Viri admodum inſignes exponentes tractant, & docent: ut poſt tot ſæcula vivat, doceat, & illuſtret Eccleſiam, atque Hæreticos expugnet unus homo Auguſtinus, dum intereà Cœleſti gloria in dies auctiore perfruitur.* Conjice oculos in decreta Apoſtolica, quæ in decurſu hujus operis ad latum extenſa offendes, & fatebe-

teberis ea quæ nominatim doctrinæ S. *Auguſtini* data ſunt, mox relata, encomia, eadem omninò doctrinæ Thomiſticæ competere. Ut enim nunc omittam Pontificem *Benedictum* XIII. Ordinis Prædicatorum, ſufficiet nobis binum Breve *Clementis* XII. feliciter regnantis. In horum primo, cui initium, *Verbo Dei ſcripto & tradito* doctrinam Thomiſticam conformem illis Fidei noſtræ Regulis aſſerit: in altero, *Apoſtolicæ Providentiæ*, doctrinam de gratiæ efficacia prout Thomiſtica Schola eam defendit, SS. *Auguſtini* & *Thomæ* eſſe definit: atque hâc ſuâ Apoſtolicâ declaratione immortalem gloriam Scholæ Thomiſticæ adjunxit. His enim paucis verbis, *Doctrinam SS. Auguſtini & Thomæ de Divinæ gratiæ efficacia*, imo potius oraculo, orthodoxiam ſententiarum iſtarum à primis Eccleſiæ ſæculis derivatam, atque ad hæc noſtra tempora perennantem, nunquamque defecturam poſteritati conſecravit. Nunc igitur pro Scholæ noſtræ Catholicitate Summorum Pontificum oracula, nedum ab Innocentio IV. qui Angelicam S. Thomæ doctrinam commendare cœpit, ejuſque ſucceſſoribus uſque ad Clementem XII; ſed ab Innocentio I. Zozimo, Bonifacio, Cœleſtino, Gelaſio, Hormiſda, cæteriſque Romanis Pontificibus licebit repetere. Si ergo Doctrina S. Auguſtini eſt, *quam Romana ſequitur & ſervat Eccleſia*; quam Hæretici *ſiniſtræ opinionis rumore* aſperſerunt; quam ſecutus eſt *Bonifacius Papa II. contra Pelagianos*; *plena Fidei, totoque Catholicæ Religionis vigore*; quam Pontifices Summi *hæreditario jure in Eccleſia relinqui voluerunt*; contra quam nullus exceſſit, quin temeritatis ſuæ pœnas ſenſerit; quam *Apoſtolicæ Sedis ſublimitas, & totius Catholicæ Eccleſiæ unitas, auctoritate concordiſſimâ approbavit, ac roboravit*; *Reverenda & in omni Eccleſia receptiſſima auctoritas, habens veritatis proprietatem*; quam Apoſtolica Sedes ſe *profeſſa eſt probare*, quam qui ſequitur, *in eo ignorantiæ caligo non regnat*: jam eiſdem præclaris & magnificis præconiis doctrina Thomiſtica ornata & commendata eſt, dum Summi Pontifices approbant & laudant utriuſque Sancti Doctoris doctrinam eandem eſſe. Hic ergo Doctor Angelicus, Eccleſiæ Catholicæ præfulgidum lumen, Theologorum Theologus, Auguſtinianæ Doctrinæ fideliſſimus cuſtos, & hæres, ut profundiſſimum hoc myſterium propugnet, quod extra ſenſus intentionem, & extra omnis intelligentiæ humanæ conceptionem agnoſcit, quæſtionem iſtam ad obſcuriſſima opera Dei, abditiſſimaſque Divinæ Providentiæ latebras pertinere fatetur. Opuſc. 17. cap. 9. dicens: *Hanc etiam efficaciam Dei intrinſecus inſpirantis Auguſtinus oſtendit in lib. de prædeſt. Sanctor. inducens quod habetur Joann. 6. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me; valdè inquit, remota eſt à ſenſibus carnis hæc Schola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniatur ad filium: nec agit hoc cum carnis aure, ſed cordis. Et poſteà ſubdit: itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo corde duro reſpuitur: ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Hanc etiam efficaciam inſpirationis internæ Gregorius in Homil. Pentecoſtes commendat,*

di-

dicens: O qualis Artifex eſt iſte Spiritus! Nulla ad docendum mora agitur, in omne quod voluerit, mox ut tetigerit mentem, docet, ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt: nàm humanum animum ſubito ut illuſtrat, immutat. Huic tanto Doctori adhærere nobis bonum eſt, & opportunum, quinimo, & omni præventione depoſitâ, glorioſum. Quidquid ad obſcurarum, & involutarum rerum intelligentiam exprimi poteſt, id omne aptiſſimè, & profundiſſimè expoſitum reliquit, ut nuſquam ſatis pro dignitate vel admirari, vel celebrari poſſit.

19. Non hic laboro de novâ ex proprio ingenio ad hujus myſterii intelligentiam inventione doctrinæ; non proprius erit ſermo noſter, ſed qualis à nobis de Sanctorum Patrum, ac inſignium Theologorum traditione fuerit conceptus; nè meritò redarguar verbis *Hieronymi* (Epiſt. 65. ad *Pammachium.*) *Cur poſt quadraginta annos* (1700. dicerent) *docere nos niteris, quod antea neſcivimus? Uſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum.* Aut aliis *Nazianzeni* verbis (Orat. 26.) *Tu viam minimè tritam, & inacceſſam ingrederis: ego tritam, atque calcatam, & quâ multi ad ſalutem pervenerunt.* Altius ergo, & Divinum quoddam ad res Divinas tractandas requiritur orationis genus. *Non eſt de Deo humanis judiciis ſentiendum*, ut dixit *Hilarius* lib. 6. de Trinit. pag. 865. *A Deo diſcendum eſt, quid de Deo intelligendum ſit: quia nonniſi ſe auctore cognoſcitur. Loquendum ergo non aliter de Deo, quàm ut ipſe ad intelligentiam noſtram locutus eſt.* Non etiam inveſtigo pro elocutione eloquentiæ flores, aut flore orationis conveſtire hunc Theologicum Tractatum; quod ſuſcipere temerarium eſſet. Multo ſatius eſt myſterii adeò ineffabilis ſplendorem admirari, quam blandiente ullo ſermone explicare; teſte D. Laurentio Juſtiniano in Faſciculo amoris cap. 17. *Incomprehenſibilis eſt electio hæc, nulli prorſus mortalium nota. Caligat naturale ingenium in conſideratione ipſius, & à nimio ſplendore ejus reverberantur ſublimium oculi. Quis curioſus inſcrutabilia Dei judicia inveſtigabit impunè? Quis (oro) ineffabile lumen ſecretorum Divinæ Majeſtatis conſtitutus in carne poterit intueri? Solis illis Spiritibus Angelicis, quamvis non ad plenum, datur judiciorum Dei Scientia, in quibus tanquam in Trono proprio Divina præſidet Sapientia .... Diſcant qui domos habent luteas, & terrenum inhabitant fundamentum, quid de Verbo Dei credere debeant, & quàm reverenter, quàm providè Divinæ ſe debeant contemplationi ingerere, necnon, quàm cautè arcana Omnipotentis rimari judicia. Apoſtolus namque Paulus, qui uſque ad tertium Cœlum raptus eſt, qui arcana Dei Verbi audivit, quæ homini non licet loqui, eadem intueri auſus non eſt, dicens: O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis novit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Nempè ſi electionis Vas, qui Sapientiam loquebatur inter perfectos, Sapientiam, inquam, in myſterio abſconditam, illa inveſtigare noluit, quid cæteri acturi ſunt, qui propinqua, & viſibilia*

bilia vix intelligunt? Nemo igitur prædeſtinationis altitudinem, & prædeſtinatorum cauſas curioſâ percunctatione præſumat inquirere, quæ in ſola æternæ Sapientiæ cognitione ſunt poſita. Quiſque indubiè fateatur veriſſima, & rationabilia eſſe Dei judicia, quamvis occulta.

20. Nequaquam igitur aliundè, quam ab ipſo Paraclito veritatis lumen, & hujus ſecreti cœleſtis intelligentiam percipere ſe poſſe aliquis credat. Humanæ noſtræ cognitionis falſis, & erraticis luminibus diffidamus. Divitiæ ſunt Sapientiæ, & Scientiæ Dei. Inſcrutabilia ſunt & Dei judicia. *Nobis*, inquit Auguſtinus ſerm. 15. de temp. aliàs 254. *conſideratio, admiratio, terror, exclamatio, quia nulla penetratio. Ipſi autem quid? Gloria in ſæcula ſæculorum: ſivè de vaſis in honorem, ſivè de vaſis in contumeliam, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Alios coronat, alios damnat: nunquàm errat: alios probat, de aliis probat, omnes ordinat.* At hæc profunditas abditæ, & immenſæ Scientiæ, & Sapientiæ Dei, quâ & ab æterno prænovit omnia, & res à ſe conditas ordinat ad finem gloriæ ſuæ; illæ arcanæ, & humanæ rationi prorſus imperviæ Divinæ miſericordiæ, & juſtitiæ operationes, alios eligentis, alios reprobantis; hic mirabilis, inveſtigabiliſque modus, quo Deus gratiâ ſuâ operatur in cordibus hominum intellectu complecti feliciter non poteſt, niſi favente ipſamet Divinâ gratiâ. Liceat ergo cum Ven. Thoma à Kempis de imitat. Chriſti lib. 3. cap. 55. mihi dicere: *O quam maximè eſt mihi neceſſaria, Domine, tua gratia ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nàm ſinè ea nihil poſſum facere: omne autem poſſum in te, conſortante me gratiâ.... O beatiſſima gratia, quæ pauperem ſpiritum virtutibus divitem facis, & divitem multis bonis humilem corde reddis! Veni, deſcende ad me, reple me mane conſolatione tuâ, nè deficiat præ laſſitudine, & ariditate mentis meæ anima mea. Cunctis hoſtibus potentior eſt, & ſapientior univerſis Sapientibus. Magiſtra eſt veritatis, doctrix diſciplinæ, lumen cordis.... Tua ergo me, ò Domine, gratia ſemper præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum.*

21. In his jam vides, erudite Lector, me gratiam ab întrinſeco efficacem ex nunc profiteri: quo argumento redarguebat olim *Auguſtinus* Julianum lib. 3. Oper. imperf. qui cùm poſceret auxilium Dei ad libros ſuos ſcribendos Deum in voluntatibus hominum operari neſciens fatebatur. *Auxilium Dei quæris, ut impleantur vani libri tui; & non quæris, ut corrigantur perverſi ſenſus tui. Vellem tamen, diceres, propter quid in hoc opere auxilium Dei poſcas, cum ſit in tuo libero arbitrio ſive facere hoc ſive non facere. An ut ea tibi præſtò ſint, quæ in poteſtate tua non ſunt, & ſine quibus hoc effici non poteſt, ſicut ſunt, ut alia omittam, ipſe victus, atque otium? At hæc penè ſemper Deus per voluntates nobis ſubminiſtrat aliorum. Vides ergo id te poſcere ab Omnipotente Deo, cum propter implendos tuos libros poſcis auxilium, ut in voluntatibus hominum, quod te adjuvet, & quod te non impediat, operetur. Nam ſi nolint homines tibi victum ſubmini-*

ni-

niſtrare, ſumtuſque congruentes, ſi nolint poſtremo à te inquietando, impediendoque ceſſare, ſcribere, vel dictare iſta non poteris. Speras ergo auxilio Dei ſic agi hominum voluntates inter quos vivis, ut tibi neceſſarium nihil deſit. Paratur enim (quod non credis) voluntas à Domino. Aut igitur tuum dogma jam corrige, aut ad hoc defendendum deſine Divinum auxilium poſtulare. Hoc ergo Divino ſemper, ut precor, erudiente, confortante, & comitante Spiritus Sancti lumine, qui ut dicitur Sap. 7. *Omnium eſt artifex, omnem habens virtutem;* qui quoties vult, aperit ora mutorum, & linguas infantium facit diſertas, de ignaro repente, & ſine mora faciens doctum, de hoc altiſſimo myſterio tametſi inexpertus, & rudis ſum, tractare inſtitui. O utinam fauſtè! Ut quod Domino placeat, & conſonum ſit Scripturis, nec Patribus contrarium loquar; ut doctrina omnibus grata, & proficua ſit: ut ſic eam corde concipiam, quomodo dignum eſt; & ſic eam promam, quo modo expedit; dicente S. *Cyrillo Hieroſolymitano* Cathe. 16. num. 2. *Ipſius gratiæ itaque Jeſu Chriſti eſt concedere, & nobis ut abſque defectu dicamus, & vobis, ut intelligenter audiatis.* Et n. 25. his verbis: *Ipſe, de quo loquimur vim unicuique noſtram largiatur, & nobis qui dicimus, & vobis qui auditis.* Ut legentes ea, quæ veritatis ſunt, defendant; & præſto ad legendum habeant, quod maximâ olim, & his temporibus, circa præſentem diſputationem, contentione eſt controverſum. Hoc, quod arduum ſanè aggredior, non tam pro Scholæ noſtræ gloriæ magnificentia, quàm in Dei laudem, ſi ab ipſo ſingulari munere fuerim edoctus, ut hujus abſconditi myſterii valeam veſtigare ſecreta, cedat. In quo quidquid dicitur, Catholicæ Eccleſiæ, ejuſque viſibili in terris Capiti Romano Pontifici ſubmiſſum eſſe volo, & declaro.

DISPU-

DISPUTATIO I.

De eſſentia, & conſtitutivo libertatis creatæ.

DUBIUM I.

An poſt Adæ peccatum ſit in homine libertas? Quid ſit? Et qualis ſit prima radix, necnon indifferentia libertatis conſtitutiva?

§. I.

Datur in homine poſt Adæ peccatum libertas.

1 HOMINEM eſſe liberi arbitrii, ut certiſſimum Fidei dogma ſtatuit S. *Auguſt.* de grat. & liber. arbitr. cap. 2. dicens: „ Revelavit au-
„ tem nobis per Scripturas ſuas Sanctas, eſſe in
„ homine liberum voluntatis arbitrium. Quo-
„ modò autem revelaverit, commemoro vos,
„ non humano eloquio, ſed Divino. Primùm,
„ quia ipſa Divina præcepta homini non pro-
„ deſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbi-
„ trium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret. Ideo enim
„ data ſunt, ut homo excuſationem de ignorantia non haberet; ſicut
„ Dominus dicit in Evangelio de Judæis Joannis 15. 22. Si non veniſ-
„ ſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem
„ excuſationem non habent de peccato ſuo. De quo peccato dicit,
„ niſi de illo magno, quod præſciebat eorum futurum quando iſta di-
„ cebat, id eſt, quo eum fuerant occiſuri? Neque enim nullum habe-
„ bant peccatum, antequam Chriſtus veniſſet in carne ad eos. Item
„ dicit Apoſtolus Rom. 1. 18. Revelatur ira Dei de Cœlo in om-
„ nem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem in

„ iniquitate detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in „ illis; Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ejus à creatura „ mundi per ea quæ facta ſuut, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna „ quoque virtus ejus, ac divinitas, ut ſint inexcuſabiles. Quomodò di- „ cit inexcuſabiles, niſi de illa excuſatione quâ ſolet dicere humana ſu- „ perbia, ſi ſciiſſem, feciſſem; ideò non feci, quia neſcivi? Aut, ſi „ ſcirem, facerem; ideo non facio, quia neſcio? Hæc eis excuſatio „ tollitur, quando præceptum datur, vel ſcientia non peccandi ma- „ nifeſtatur. Sed ſunt homines qui etiam de ipſo Deo ſe excuſare co- „ nantur, quibus dicit Apoſtolus Jacobus 1. 13. &c. Nemo cùm tenta- „ tur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum „ eſt: ipſe autem neminem tentat. Unuſquiſque vero tentatur à con- „ cupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: deinde concupiſcentia cùm „ conceperit, parit peccatum: peccatum vero cùm conſummatum „ fuerit, generat mortem. Item de ipſo Deo ſe excuſare volentibus, „ reſpondet liber Prov. Salomonis 19. 3. Inſipientia viri violat vias „ ejus, Deum autem cauſatur in corde ſuo. Et liber Eccleſiaſticus di- „ cit 15. 11. &c. Ne dixeris, quia propter Dominum receſſi; quæ enim „ odit non facias. Ne dixerit, quia ipſe me induxit: non enim opus „ habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, & non „ eſt amabile timentibus illum. Ipſe ab initio fecit hominem, & reli- „ quit eum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & „ fidembonam placiti. Apponet tibi ignem,& aquam; ad quodcumque „ volueris extende manum tuam. In conſpectu hominis vita,& mors, & „ quodcumque placuerit dabitur ei. Ecce apertiſſimè videmus expreſ- „ ſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.

2. Pergit ibidem S. Doctor num.4. „ Quid illud, quod tam mul- „ tis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodò „ jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? Quid Beatus ille, de quo „ Pſalm. 1. 2. dicit, quod in lege Domini fuit voluntas ejus; nonne „ ſatis indicat voluntate ſuâ hominem in lege Dei conſiſtere? Deinde „ tam multa mandata, quæ ipſam quodammodo nominatim conve- „ niunt voluntatem, ſicut eſt, ad Rom. 12. 21. Noli vinci à malo: & „ alia ſimilia ſicut, ſunt Pſalm. 31. 9. Nolite fieri ſicut equus, & mu- „ lus, quibus non eſt intellectus: & Prov. 1. 8. Noli repellere conſilia „ matris tuæ: Et Prov. 3. 7. Noli eſſe ſapiens apud te ipſum: Et ibid. 11. „ Noli deficere à diſciplina Domini: Et ibid. 27. Noli negligere „ legem: Et 29. Noli abſtinere bene facere egenti. Et Prov. 5. 2. Noli „ fabricare in amicum tuum mala: Et Pſalm. 35. 4. Noli intendere fal- „ laci mulieri: Et Prov. 1. 29. Noluit intelligere, ut bene ageret: &: „ Noluerunt accipere diſciplinam: & innumerabilia talia in veteribus „ libris divinorum eloquiorum quid oſtendunt, niſi liberum arbitrium „ voluntatis humanæ? In libris etiam novis Evangelicis, & Apoſtoli- „ cis quid aliud oſtenditur, ubi dicitur Matt. 19. Nolite vobis con- „ dere theſauros in terra: Et idem 10. 28. Nolite timere eos, qui oc- „ cidunt corpus: Et idem 16. 24. Qui vult venire poſt me abneget

ſe-

„ ſemetipſum: Et Lucæ 2. 14. Pax in terra hominibus bonæ volunta-
„ tis; & quod dicit Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. 7. 36. Quod vult
„ faciat, non peccat ſi nubat: qui autem ſtatuit in corde ſuo, non ha-
„ bens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc
„ ſtatuit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit. Item dicit
„ 1. ad Corinth. 9. 17. Si autem volens, hoc facio, mercedem habeo.
„ Et alio loco 1. ad Corinth. 15. 34. Sobrii eſtote juſtè, & nolite peccare.
„ Et iterum 2. ad Corinth. 6. 11. Ut quemadmodum promptus eſt ani-
„ mus voluntatis, ita ſit & perficiendi. Et ad Timoth. 5. 11. dicit:
„ Cum enim in deliciis egerint in Chriſto, nubere volunt. Et alibi 2. ad
„ Timoth. 3. 12. Sed & omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu,
„ perſecutionem patientur. Et ipſi Timotheo 1. 4. 14. Noli negligere
„ gratiam, quæ in te eſt. Et ad Philemonem: Ne bonum tuum velut
„ ex neceſſitate eſſet, ſed ex voluntate. Servos etiam ipſos monet ad
„ Epheſ. 6. 6. ut Dominis ſuis ex animo ſerviant cum bona voluntate.
„ Item Jacobus 2. 1. Nolite itaque errare fratres mei, & nolite in per-
„ ſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti: Et
„ ibidem 4. 11. Nolite detrahere de alterutro. Item Johannes in epi-
„ ſtola 1. ſua 2. 15. Nolite diligere mundum: & cætera hujuſmodi.
„ Nempe ubi dicitur, Noli hoc, & Noli illud, & ubi ad aliquid facien-
„ dum, vel non faciendum in Divinis monitis opus voluntatis exigitur,
„ ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cauſetur
„ in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, cùm peccat. Neque cùm ali-
„ quid ſecundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate.
„ Quando enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc
„ ſperanda eſt boni operis merces ab eo, de quo dictum eſt: Qui red-
„ det unicuique ſecundùm opera ſua Matth. 16. 27.

3. Accedit SS. PP. traditio quæ ubique hominem liberrimum prædicat. *Clemens Alex.* lib. 1. *Strom. Quoniam libera electio, & appetitio peccati primùm inchoat, jure infliguntur ſupplicia. Irenæus* lib. 4. *adverſ. hæreſes* cap. 11. *Poſuit autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum in Angelis*, & cap. 72. *Si igitur non eſſet in nobis poteſtas faciendi hæc, aut non faciendi; quam cauſam habebat Apoſtolus, & ipſe Dominus, conſilium dare, quædam quidem facere, à quibuſdam vero abſtinere? Ambroſius* in *Pſal.* 40. *Homini dedit eligendi arbitrium quod ſequatur.* Et lib. 2. *de Cain, & Abel* cap. 7. exponens verba Dei ad *Cain*: *Nonne ſi bene egeris, recipies?* Sic loquitur. *Non habes quod excuſes, non habes in quo neceſſitatem magis, quam mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas. Tu princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit, ſed voluntarius reus, judicio, non lapſu, feciſti dolum, quo te Divinæ injuriæ reum ipſe convincit.* Tertullian. lib. 2. contra Marcion. cap. 6. *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi*, ſcilicet homini, *ut ſui Dominus conſtanter occurreret, bono ſpontè ſervando, & malo ſpontè ſervando: quoniam, & aliàs poſitum hominem ſub judicio Dei, oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui me-*

meritis, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus. Aſtipulantur *Athanaſius* Orat. *contra Gentes* cap. 4. Baſilius hom. 31. de liber. arbit. *Damaſcenus* lib. 2. de fide Orthod. cap. 25. 26. 27. & 28. *D. Bernardus* trac. *de grat. & liber. arbitr. D. Thomas* 1. par. q. 81. artic. 1. Quare *Innoc.* I. ad PP. Concilii Carthaginenſis ſic ſcribit: *Quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad caſum, tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolùm nobis putantes poſſe ſufficere, quod liberum arbitrium, cum naſceremur, accepimus, ultra jam à Domino nihil quæramus, id eſt authoris noſtri obliti, ejus potentiam ut nos oſtendamus liberos, adjuvemus: quaſi jam amplius, quod dare poſſit non habeat, qui te in tuo ortu liberum facit.*

4. Fuit error quorumdam Gentilium Philoſophorum, qui, teſte eodem M. P. *Auguſtino* lib. 5. de *Civit. Dei* cap. 9. & 10., ponebant, omnia per Fatum accidere, necnon aliorum, de quibus loquitur D. *Thomas* Opuſc. 28. *de Fato*, qui à Stellis imprimi neceſſitatem hominibus apertè propugnabant. Quem peſtilentiæ morbum, cum notitiæ Summi Pontificis retuliſſet Turibius Epiſcopus Aſturicenſis, S. *Leo* Papa I. ad ipſum reſcripſit *Epiſtol.* 93. *Undecima ipſorum blaſphemia eſt, quâ fatalibus Stellis, & animas hominum, & corpora opinantur adſtringi, per quam amentiam, neceſſe eſt, ut homines paganorum erroribus implicati, & faventia ſibi (ut putant) ſidera colere, & adverſantia ſtudeant mitigare. Verùm iſta ſectantibus, nullus in Eccleſia Catholica locus eſt: quoniam, qui ſe talibus perſuaſionibus dedit, à Chriſti corpore totus abſceſſit.* Quod & teſtatur *Auguſt.* Enarrat. Pſal. 72. n. 22. *Sciatis fratres, multos diſputare, & dicere quia Deus res humanas non curat, quia caſibus reguntur omnia, vel quia Stellis ſubjectæ ſint voluntates noſtræ, quia unuſquiſque non pro meritis agitur, ſed neceſſitate Stellarum ſuarum: doctrina mala, doctrina impia.* Hæreſes iſtas cum ſuis Auctoribus damnavit Concilium *Bracarenſe* cap. 9. *Si quis animas, & corpora humana fatali ſigno credit adſtringi, ſicut Pagani, & Priſcilliani dixerunt, anathema ſit.* At error ille non ſolùm Eccleſiæ Decretis, ſed ſummo omnium conſenſu exploſus eſt, dum exiſtentia liberi arbitrii evidenti quodam experimento cognita omnium mentibus ita ſe ſe inculcat, ut merito dixerit Doctiſſimus *Vega* lib. 2. in cap. 1. *Tridentini* ex *Ariſtotele* in *Topicis*. *Negantes liberum arbitrium non verbis, ſed verberibus eſſe convincendos.*

5. Erravit non minus impius, quam ridiculus *Manichæus*, qui tollens etiam liberum arbitrium, duplicem in homine ſtatuit naturam, alteram bonam, alteram malam: & bonam quidem à Deo, immo de Dei ſubſtantiâ conditam aſſerit, eamque ſemper bene agere, malam vero à Principe tenebrarum ſemper malè. Unde juxta illius ſententiam, non liberè, & voluntariè, ſed neceſſariò, & naturaliter agunt: ob idque nihil imputandum putat humanæ voluntati, ſed naturis illis maxime inter ſe contrariis. Contra quem errorem egit M. P. *Auguſtinus* lib. *Retract.* cap. 5., & lib. 2. ad *Bonifacium* cap. 2. taliſque error ab

Ec-

Eccleſia proſcriptus fuit in eodem Concilio *Bracarenſi* cap. 7. *Si quis dixerit Diabolum non fuiſſe prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam ejus, ſed dicit, eum ex tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere auctorem, ſed ipſum eſſe principium, atque ſubſtantiam mali, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.*

6. Sed cum nulla ſit tam aperta Catholica veritas, quàm non Hæretici ſuis cavillis, & ſophiſmatibus obſcurare tentaverint, in eodem exterminando profligandoque libero arbitrio *Lutherus*, & *Calvinus* impudenter debacchati ſunt. Non multum diſtat à *Manichæo Lutherus*: nam cuncta, quæ ab homine fiunt neceſſario fieri *Lutherus* credit, nec in hominis ſitum poteſtate vias ſuas bonas facere, aut malas; licet ex alio principio: quia liberum arbitrium per peccatum extinctum omninò putavit, Deumque ad mala, ut ad bona homines impellere: & quia ſolâ fide, & fiduciâ in Deum, ejuſque promiſsò, ſecluſis bonis operibus, homines juſtificari arbitratur. Sed hanc *Lutheri* hæreſim arbitrii libertatem prorſus auferentem, non ſolùm communi omnium conceptioni, ſed & apertis Scripturæ Sacræ teſtimoniis contrariam, ab Eccleſia, & Sacris Conciliis (Cartaginenſi nempe, & Synodo ſexta Conſtantinopolitana) damnatam declarat Concilium Senonenſe Decret. 15.

7. *Luthero* ſucceſſit *Calvinus*, non diſſimili quidem voluntate veritatem iſtam oppugnans; aliquid plus activitatis videtur reliquiſſe libero arbitrio, ſe in malum neceſſario vertentis, qui enim erat ſine gratiâ, de neceſſitate peccabat, & cum gratiâ neceſſario erat benè operaturus: ita lib. 2. *Inſtitut.* cap. 2. §. 26. & 27. Sic cæcus, ſacrilegô auſu datum animæ liberum arbitrium labefactare conabatur. Utriuſque Hæreſiarchæ error fuit damnatus in Concilio *Tridentino* ſeſs. 2. Canon. 5. his verbis: *Si quis dixerit hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re, figmentum denique à Satana invectum in Eccleſiam: anathema ſit.* Et Canon. 6. *Anathema ei, qui dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere.* Et ibi cap. 1. loquens de *Judæis*: *Tametſi in eis liberum arbitrium minime extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum.*

8. E contra *Pelagius* elatus aſſertor liberi arbitrii; liberum ſic confitebatur arbitrium, ut diceret: *non indigere Dei ſemper auxilio*, ut teſtatur *Auguſt.* de grat. Chriſti cap. 33. Necnon, *Divinam mereamur gratiam, & facilius nequam Spiritui, Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus... Volens utique credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritus Sancti, & ſi minus facile, tamen aliquando nequam Spiritui reſiſtatur.* Ita *Auguſtinus* ibi cap. 27. Sic gratiæ Chriſti, qua juſtificamur, defendendo naturam, apertiſſimè contradicit. Hanc enim ſibi *ad ſalutem ſufficientem, ſi voluntas adſit credidit* ille, teſte eodem *Auguſtino* de *Natur. & grat.* cap. 23. ex quo conſequenter negavit naturam humanam peccato depravatam, aut corruptam, & contra apertiſſimas Scripturas, ipſam, ac ſi ſine ullo vitio

eſſet

eſſet, jactitans, ut ſcribit D. *Auguſt.* Epiſtol. 177. aliàs 95. *Innocentio Papæ*: *Tantùm enim dicunt valentem, ut ſuis viribus ſemel in origine ſuæ creationis acceptis, poſſit per liberum arbitrium, nihil ulteriùs adjuvante illius gratiâ, qui creavit, domare, & extinguere omnes cupiditates, tentationeſque ſuperare*. In quo convincitur ipſe *Manichæis* conſenſiſſe, ut obſervat *Auguſtinus* contra *duas Epiſtol. Pelagii* lib. 4. num. 6. dicens: *In eò ſane, quod dicunt, per Adam mortem ad nos tranſiſſe, non crimina, non habent adverſarios Manichæos, quia nec ipſi adſtruunt originale peccatum ex homine primo prius puro, & recto corpore, ac ſpiritu, & poſtea per arbitrium liberum depravato, deinceps in omnes cum morte tranſiſſe, & tranſire peccatum: ſed carnem dicunt ab initio malam de malo corpore, & à malo ſpiritu, & cum malo ſpiritu creatam; animam vero bonam, partem ſcilicet Dei pro meritis indignationis ſuæ per cibos, & potum, in quibus antea colligata eſt, venire in hominem, atque ita per concubitum carnis colligari. At per hoc Manichæi conſentiunt Pelagianis*. Quod iterum dixit *Oper. imperf.* lib. 3. cap. 94. *Vos ergo, qui Manichæi non eſtis*, dicite, *ſed diverſa peſte, nec vos ſani eſtis, quomodo ſit corpus mortuum propter peccatum; qui corporis mortem non per peccatum illius hominis, ſed lege naturæ intrare aſſeveratis in mundum*. Et ſupra: *Tu potius iſta dicendo oſtenderis fœdus*. Tot, tam variæ, tamque diſcrepantes de libero arbitrio opiniones. Fuerunt ergo, qui prorſus de medio ſuſtulerunt liberum arbitrium. Deinde alii adeò ipſum extulerunt in ſublime, ut ſe nequaquam putarent Dei gratiâ ſupernaturali opus habere, hancque eſſe neceſſariam ad ſalutariter operandum obſtinatiſſimo animo inficiarentur. Ut ergo tot hæreſum monſtra conterere diſputando poſſimus, & meliori lumine poſſideatur plena, & perfecta liberi arbitrii cognitio; propterea opere pretium eſt, ut primo de libero arbitrio diſputemus, & ſciamus quâ libertate ſit formaliter liberum.

9. Janſenius Iprenſis, iiſdem propè innixus principiis ac Calvinus, defendit gratiam per ſe efficacem, eamque neceſſitantem; nam ejus repetit efficaciam à delectatione cœleſti, indifferentiam voluntatis activam abſorbente. Secundùm illum, ſi delectatio illa ſit ſuperabundans, vincit terrenam ſibi oppoſitam, & neceſſariò applicat voluntatem ad actum bonum; qua de cauſa gratiam efficacem vocat victricem, quia, devictâ concupiſcentiæ dilectatione, neceſſariò compellit voluntatem ad actum juſtitiæ. Ità tenet, & propugnat lib. 2. de grat. Chriſti cap. 6. ubi ait: *Ex his jam perſpicuè intelligitur, tantoperè eſſe neceſſariam iſtam delectationis divinæ gratiam, quandò cum terrenarum rerum tentationibus, ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit, quàm terrena, quâ noſter affectus detinetur, fieri non poſſit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam delectatione minori ſuperatur, ſed eam ſequitur animus, quæ magis eum afficiendo ſuavitate detinuerit.* Nova eſt hæreſis Janſeniana, & licèt *Calvini*, & *Lutheri* hæreſi ſit affinis, ab eâ tamen in multis ſecernitur, quòd apertiſſimè exponit Doctiſſimus *Boucat* diſſert. 3. de nat. cujuslibet

bet gratiæ in ſpeciali, his verbis: Primo quidem Calvinus, & Lutherus voce, & re negant poſt peccatum libertatem ineſſe homini. Janſenius verò terminis aſtruit, ſed reipſa negat; quandoquidem neceſſitatem naturalem non eſſe libertati adverſam propugnat lib. 2. de gratia Chriſti cap.5. & alibi.

10. Secundò, Hæretici præfati docuerunt juſtis omnibus, quacumque gratiâ inſtructis, omnia Dei mandata eſſe impoſſibilia, ipſiſque per totam vitam deeſſe gratiam, quâ poſſibilia fiant; ità ut vel unum quidem ſine peccato adimplere haud valeant. At verò *Janſenius* dicit tantum quædam præcepta, & quibuſdam ſolum juſtis, non ſemper ſed aliquandò ſecundùm præſentes, quas habent vires, eſſe impoſſibilia. Ità lib.4. gratiæ Chriſti c.4.5. & 6. Ibidem lib.3. cap.13. ex profeſſo.

11. Tertiò Proteſtantes, de quibus ſupra, negant ineſſe homini potentiam tum antecedentem, tum conſequentem adimplendi præcepta; *Janſenius* verò concedit ineſſe antecedentem: minimè verò conſequentem in concurſu delectationis terrenæ ſuperabundantis. Sic propugnat lib. 3. de gratia Chriſti cap. 15. Hunc eſſe Janſenii apertum ſenſum declarat Paulus Irenæus diſp. 9. art.2.

12. Quartò, *Lutherani*, & *Calviniſtæ* tenent liberum arbitrium nedum neceſſitari, ſed ut inanimè quoddam vel à gratia, vel à concupiſcentia trahi ſeu ad bonum, ſeu ad malum. Non ſic Janſenius, quippe qui dicat actum humanum eſſe delibertatum inquantùm intrinſecè fluit à potentiâ vitali, non quidem cum electione, ſed cum advertentiâ, & cognitione circunſtantiarum; unde ſolam neceſſitatem cæcam, qualis reperitur in amentibus, & in motibus primoprimis, libero arbitrio adverſari contendit. Sic propngnat lib. 4. de grat. Chr. c. 5. 6. & 7. ſed maxime 9.

13. Quintò, *Calvinus*, & *Lutherus* libertatem per peccatum ità extinctam prædicant, ut omnia etiam juſtorum opera inquinata, & peccata eſſe doceant, & ſolum per juſtitiam *Chriſti* veluti quodam pallio tegi aſſerere audeant. *Janſenius* non ſic; admittit enim indifferentiam, non quidem actûs, ſed ſtatûs; in quantum peccator cedens tentationi poteſt reſurgere, & tranſire ad ſtatum vitæ. Ultro confitetur juſtificationem fieri verè per gratiam, & eſſe interiorem hominis renovationem: ità tamen, ut gratia converſionis ſit victrix delectationis terrenæ, & voluntatem impii neceſſariò determinet ad contritionem: lib.4. de grat. Chriſti cap.5. & aliis in locis.

14. Sextò, *Calvinus* dicit gratiam prævenientem talem eſſe, ut nullo modo poſſit ei reſiſti, contrariumque eſſe Semipelagianorum errorem: Janſenius ex parte quidem in hoc adhæret; ex parte etiam diſcrepat à Proteſtantibus. Adhæret propugnando non poſſe reſiſti gratiæ; differt, dicendo poſſe quidem reſiſti gratiæ ſecundùm ſe, ſed non relativè, quando ſcilicet gratia ſuperat in gradu concupiſcentiam. Sic docet lib. 4. de grat. Chriſti cap. 5. 6.7. & 8. Ibidem lib.7. cap.9. Ibidem lib.3. cap.13.14. & 15.

15. Septimò, *Calvinus*, & *Lutherus* aſſerunt Chriſtum eſſe tantum-

tummodò pro Prædeſtinatis mortuum, ut illi ſoli per meritum ejus veram fidem, & juſtitiam accipiant: quem ſenſum procul facit *Janſenius*, & ab ipſo alienum affirmant ejus defenſores in opere trium columnarum. Reverà quidem *Janſenius Chriſtum* pro omnibus pretium extrinſece ſufficiens dediſſe, immo & promeruiſſe reprobis gratias temporales concedit, nuſquam verò veras interiores ſufficientes, quas vel ipſis juſtis, eiam conantibus deeſſe, ſicque præcepta eis eſſe quandoque impoſſibilia, fingit.

16. Inſtitit etiam maxime *Janſenius Michaelis Baji* veſtigiis & erroribus, quem *S. Pius* V. ſua conſtitutione damnavit anno 1567. quam conſtitutionem *Gregorius* XIII. confirmavit, & executioni mandari juſſit anno 1579., ac rurſus confirmavit *Urbanus* VIII. anno 1641. Plures ex his erroribus, circa liberum arbitrium, circa poſſibilitatem mandatorum, circa Infidelium opera, circa ſtatum naturæ puræ ſuſcepit Janſenius, eoſque auctoritate potiſſimum *D. Auguſtini*, in pravum penitùs ſenſum detortâ, munivit; cujus peſſimæ Fidei nullum fortius argumentum eſt, quam ipſiuſmet *Janſenii* teſtimonium. Hic namque in epiſt. 63. anno 1626. ad Abbatem *San-Cyranum* ſcripta ſequens, de ſuo opere, ac doctrina judicium profert: *Tantum circa iſtud negotium incommodi, ac periculi exponere mihi non poteſt, quantum ego vel ab initio ſubodoratus ſum*. Et epiſt. 131. anno 1635. ingenue fatetur *ſe adduci non poſſe ut credat, opus ſuum à Judicibus Romanæ Sedis approbandum umquam fore*, & epiſt. 16. anno 1621. *Non audeo*, inquit, *dicere, quid ſentio de prædeſtinatione, & gratia, nè fortè antequàm omnia parata, & matura ſint, mihi, quod aliis, accidat, Romæ damnetur, ſicut damnatus fuerat Bajus*. Quare, inquit ille epiſt. 63. *daturum ſe operam, ne ſe vivente liber ſuus in lucem prodeat, quò vitæ ſuæ tranquillitas poſſet turbari*..... Et epiſt. 21. *ſe in ſuſcepto opere continuò terreri, quò plus progreditur*.

17. Hæc, quæ propriâ reclamante, ac veluti ſtimulante conſcientiâ, ſcripſit *Janſenius*, necnon tot Vaticana non ſemel contra idem opus vibrata fulmina totiuſque Eccleſiæ in eo condemnando, deteſtando, & prohibendo conſenſus, ſatis profectò erant, ut cauſa finita eſſet, finireturque pertinax iſte error. At contrarium probavit eventus. Surrexit his noſtris temporibus novus Janſenii defenſor *Queſnellius*, qui audacior factus, ſub eadem ſpecie doloſa S. *Auguſtini*, hanc ſuſcepit Provinciam defendendam. Surrexerunt & alii ejuſdem Aſſeclæ, qui eò venire auſi, ut iterum eandem doctrinam in ſcriptis exhibere non erubeſcerent; ut ſerperet in majus ſcandalum, & creſceret ad animarum perniciem. Quare *Clemens* XI. fel. ſemper record. 101. propoſitiones è libro reflexionum excerptas damnavit in Bulla *Unigenitus*, quam debitâ obedientiâ & omni, quâ par eſt, reverentiâ, ſuſcepit Eccleſia. Interim, proh dolor! non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſiæ illuditur, non paretur. Impia profectò inobedientia fidei, & Eccleſiæ auctoritati ſumme exoſa. At de Queſnelli propoſitionibus infra erit ſermo. Hæc de Hæreſibus ſufficiant: ut ad diviſionem, & eſſentiam libertatis accedamus.

§. II. *Di-*

§. II.

Diviſio, & eſſentia libertatis dilucide exponitur.

18. Multiplex eſt libertas: Alia libertas *à peccato*, de qua *Apoſtolus* dicit ad *Roman.* 6. 18. *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Nunc autem liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in Sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Eſt etiam libertas à *miſeria*, de qua *Apoſtol. ad Rom.* 8. 22. *Et ipſa*, inquit, *Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem Gloriæ filiorum Dei.* Eſt & alia, quæ dicitur libertas à *neceſſitate*, de qua Eccleſ. 15. v. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* Quod luculentiſſimè deſcribit *Bernardus de grat. & libero arbitr.* cap. 3. num. 7. *Cum igitur*, inquit, *prout interim potuit occurrere nobis, triplex ſit nobis propoſita libertas, à peccato, à miſeria, à neceſſitate; hanc ultimo loco poſitam contulit nobis in conditione natura, in primam reſtauramur à gratia, media nobis reſervatur in patria. Dicitur igitur prima libertas Naturæ, ſecunda Gratiæ, tertia Vitæ, vel Gloriæ. Primò nempe in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi ſumus, nobilis Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam, nova in Chriſto creatura: Tertiò ſublimamur in Gloriam, perfecta in Spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris. Secunda plurimum etiam virtutis, noviſſima cumulum jucunditatis. Ex prima quippè præſtamus cæteris animantibus; in ſecunda carnem. per tertiam mortem ſubjicimus* ... de qua inferius: *in ultima tandem nos ipſos nobis plenius ſubmiſſuros per victoriam corruptionis, & mortis, quando ſcilicet noviſſima deſtruetur mors, & nos tranſibimus in libertatem Gloriæ filiorum Dei, quâ libertate Chriſtus nos liberavit, cum nos utique tradet Regnum Deo, & Patri;* quibus planiſſimum eſt triplicem dari libertatem: non ſic tamen quaſi libertates diſtinguantur ſecundùm diverſos ſtatus hominis, cum una libertas in diverſis ſtatibus participetur. Libertas enim à neceſſitate omnibus ſtatibus communis eſt. Libertas à peccato eſt tribus ſtatibus communis, ſcilicet primo ſtatui innocentiæ, & tertio, qui eſt poſt reparationem gratiæ; & quarto, qui eſt in gloriâ; tamen ſecundùm magis, & minus. Libertas autem à miſeria duobus ſtatibus communis eſt, ſcilicet ſtatui innocentiæ, & ſtatui gloriæ; ut dixit *D. Thomas* in 2. Sent. diſtinc. 25. artic. 5. ad 1.

19. Rurſus eſt & alia libertas à coactione propriè tali, vel à violentia ab extrinſeco agente voluntati illata, quæ communiter vocari ſolet libertas complacentiæ, quæ reperitur in actibus ſpontaneis non procedentibus â potentia indifferenti ad utrumlibet, per cujus violentiæ excluſionem quilibet actus voluntatis eſt liber, cum ſpontaneus ſit, procedens ab intrinſeco cum cognitione finis: qua ratione *D. Thomas* q. 10. de potentia artic. 2. ad 5. amorem, quo Deus ſe amat, vocavit liberum,

dicens: *Deus ſuâ voluntate liberè amat ſe ipſum, licèt de neceſſitate amet ſe ipſum*. Ubi liberum accipitur pro ſpontaneo. Hæc ſane diverſitas libertatis maxime notanda; quia licèt in præſenti non ſit controverſia, nec ſuper libertatem gloriæ, ſeu à miſeria poſt vitæ terminum Angelis, & Beatis convenientem: nec ſuper libertatem à peccato repertam in homine juſtificato; nec ſuper libertatem ab ſtricta coactione, ſeu violentia, ſed ſolùm ſit diſſidium circa libertatem à neceſſitate, præ oculis ſemper diverſitas hæc eſt retinenda, ut explicentur auctoritates, quibus utuntur Hæretici tàm ex M. P. *Auguſtino*; quàm Angelico Præceptore, ut fraudulentis ipſorum poſſimus reſiſtere argutiis, & eorum detectis latebris, ipſorum invictè proſternantur inſultus. Eſt igitur libertas à coactione, exemptio à violento. Libertas à neceſſitate, vis electiva ad oppoſita. Libertas à miſeriis in hoc quod eſt dominari paſſionibus ſita eſt: & libertas à peccato, amor juſtitiæ. Hoc ſuppoſito ad plenam liberi arbitrii cognitionem deſcendamus. Ut enim monuit *Tullius* in libro de officiis, omnis inſtitutio quæ de aliqua re ſuſcipitur, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur res de qua agitur.

20. Liberum arbitrium denominationem tùm ab intellectu, tùm à voluntate merito ſumpſit; eò quòd ferri non poteſt voluntas in objectum aliquod, niſi præcognitum. Dicitur à voluntate liberum, quæ ſola ſecundùm ſuam eſſentiam & naturam libera eſt. Deinde à ratione arbitrium denominatur, adeòque ab intellectu; quoniam ad ſolùm intellectum pertinet ſententia, conſilium, opinio, atque arbitrium. Quare ut docet D. *Thomas* 1. 2. q. 10. art. 1. recte definitur à *Magiſtro* in 2. diſt. 24. §. 5. *Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis ad utrumlibet*. Quæ definitio ab omnibus admitti debet, vel quia conformis, & conſonans Sacræ Scripturæ Eccleſiaſ. 15. dicenti. *Deus reliquit eum in manu conſilii ſui*: (Ecce rationis facultas:) *Quocumque voluerit vertet illud*, Prov. 11. (Ecce facultas voluntatis ad utrumlibet.) Vel quia definitio iſta ſuâ antiquitate conſiſtens, fuit tàm à Philoſophis, quàm à SS. PP. communiter recepta. Liberum arbitrium definivit *Ariſtoteles* per voluntatem, & rationem cum indefferentia ad utrumlibet; ita in 6. *Ethicor.* & citatur à Divo *Thoma* q. 24. de verit. artic. 6. Ubi determinans S. Doctor liberum arbitrium exerceri per electionem, ait: *Ariſtoteles ſupponit, quòd electio eſt virtus utriuſque, & rationis, & voluntatis*; *ait enim, quòd electio eſt, vel intellectus appetitivi, vel appetitus intellectivi*: Et in 3. Ethicor. definiens electionem ait: *Quòd electio eſt deſiderium præconſiliatum*. Sic & alii Philoſophi teſte *Magiſtro* in 2. diſtinc. 25. definiunt liberum arbitrium, *quod ſit liberum* de *voluntate judicium*. Conveniunt in tali definitione D. *Anſelmus* de *liber. arbitr.* cap. 2. D. *Bernardus* de *gratia*, & *libero arbitrio*. D. *Damaſcenus* lib. 2. *de fide*. *Boetius* 2. de *Conſolatione*. M. P. *Auguſtinus* in *Enchiridio* cap. 106. Et lib. de *correct. & gratia* cap. 10. *Angelicus Doctor* 1. part. q. 83. artic. 1. Unde immeritò dubitat P. *Aranda* in ſcholaſtica diſſertatione contra phyſicam prædeterminationem num. 115. an ſit Angelici Magiſtri?

21. Di-

21. Dicitur etiam liberum arbitrium eſſe potentiam, ſeu principium actus. Etenim, ut obſervat D. *Thomas* 1. p. q. 83. artic. 2. *Quamvis liberum arbitrium nominet quemdam actum ſecundùm propriam ſignificationem vocabuli: ſecundùm tamen communem viam loquendi, liberum arbitrium dicimus id quod eſt hujus actus principium, ſcilicet, quo homo liberè judicat.* Quarè non eſt habitus; nec enim habitus naturalis adeſt nobis ad ea, quæ ſubſunt libero arbitrio, quia ad iſta, reſpectu quorum habemus habitus naturales, naturaliter inclinamur, ſicut ad aſſentiendum primis principiis: ergo contra propriam rationem liberi arbitrii eſt, quòd ſit habitus naturalis, ſicut & contra naturalitatem ejus, quòd ſit habitus non naturalis. Eſt ergo potentia, non quæ ſit intellectus, ſed quæ ſit voluntas. Vel potentia appetitiva, rationeque tantùm à voluntate diſtincta, quatenus voluntas, ut voluntas eſt, verſatur circa finem, qui propter ſe appetitur: ut autem eſt liberum arbitrium, verſatur circa media, vel circa ea, quæ ſunt ad finem, quæ appetuntur propter finem conſequendum; & dicitur electio; ad modum quo intellectus, ut intellectus, verſatur circa principia per ſe nota, ut autem eſt ratio, verſatur circa concluſiones: eſt tamen eadem potentia quoad ſubſtantiam; cum ejuſdem potentiæ ſit intelligere, & ratiocinari: ſicut ejuſdem virtutis eſt quieſcere, & moveri. Unde voluntas, & liberum arbitrium non ſunt duæ potentiæ, ſed una.

22. Etiam liberum arbitrium dicitur *facultas*, quia juxta D. *Thomam* 1. p. q. 83. art. 1. ad 2. *Facultas nominat quandoque potentiam expeditam ad operandum, & ſic ponitur in definitione liberi arbitrii.* Dicitur *rationis*, quia ut notat D. *Thomas* q. 24. *de Verit.* artic. 3. ad 1. *Hic terminus ratio, licèt aliquando ſumatur pro cognitione diſcurſiva, ſi ſtrictè accipitur, ſumitur etiam pro qualibet cognitione intellectiva.* Quod tradit ex D. *Dionyſio* de *Divinis Nominibus* cap. 6. ubi tali nomine Deum nominat. Sub iſta acceptione definitur liberum arbitrium, ut ſic definitio conveniat Deo, Angelis, & Hominibus. Dicitur *rationis, & voluntatis*; quia liberum arbitrium non nominat voluntatem abſolutè, ſed in ordine ad rationem, ut ait D. *Thomas* de *verit.* q. 24. artic. 6. ad 1. Et D. *Bernardus* loco citat. cap. 3. n. 6. *Solet liberum arbitrium appellari: ut liberum ad voluntatem; arbitrium referatur ad rationem.* Sed non eodem modo in utroque libertas reperitur; cum in ratione mediatè, & tanquam in radice: in voluntate formaliter, & immediate. Ita in ſolutione ad 3. & 1. 2. q. 17. artic. 1. ad 2. *Radix libertatis eſt voluntas, ſicut ſubjectum, ſed ſicut cauſa eſt ratio: Ex hoc enim voluntas liberè poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni: Et ideo Philoſophi definiunt liberum arbitrium: Quod eſt liberum de ratione judicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis.* Hæc doctrina omnium etiam diſcipulorum S. Doctoris eſt. Ex quibus inferri debet, quàm ſine fundamento; immo quàm falſo attribuunt Thomiſtis contrarii, ut videre eſt apud P. Suarez lib. 1. de Concurſ. Dei cap. 2. §. *Altera ſententia*; quòd libertatem liberi arbitrii conſtituant in ſola indifferentia judicii, & non in voluntate.

 23. Di-

23. Dicitur *ad utrumlibet*, non quia ex ſuo formaliſſimo conceptu petat liberè moveri ad hoc, vel ad ejus contrarium; nempe ad bonum, vel malum: ſic quippe intellecta particula illa, ea eſſet liberi arbitrii definitio, quam tradidit *Julianus*, teſte D. *Auguſtino oper. imperf.* lib. 1. num. 77. dicens: *Libertas arbitrii, quâ à Deo mancipatus homo eſt, in admittendi peccati, & abſtinendi à peccato poſſibilitate conſiſtit.* Et lib. 3. num. 108. *in quibus igitur conſiſtit liberum arbitrium?... Sine dubio in eo, ut poſſibile ſit homini voluntatem ſuam ſine aliquo inevitabili naturaliter coactu, vel immittere in crimen, vel à crimine cohibere.* Hæc namque erat *Pelagianis* definitio liberi arbitrii, ſecundùm quos liberum arbitrium non conſtat ſine poſſibilitate peccandi, ut refert D. *Auguſt.* loco citato lib. 5. n. 47.: *Fecit Deus hominem liberi arbitrii, naturæ bonæ; ſed quæ capax eſſet virtutum, quas ſibi ex ſe mancipato animo comparaſſet; quod liberum arbitrium aliter conſtare non poſſet, quàm ut haberet etiam peccandi poſſibilitatem.*

24. At illos fefellit definitio; quia licèt hoc rectè intellectum verum ſit reſpectu liberi arbitrii creati imperfecti, utpote, ex nihilo procedentis, non tamen hæc indifferentia ad malum eſt de conceptu eſſentiali libertatis, ſed ſolùm indifferentia contradictionis ad velle, vel non velle, ſive indifferentia exercitii ad velle hoc bonum, vel aliud bonum. Sic M. P. *Auguſtinus* quò magis Deo repugnat potentia peccandi, perfectiorem libertatem agnoſcit. Unde lib. 1. *oper. imperf.* contra *Julianum*, urgente iſto: *liberum non eſſe, niſi quod duo velle poteſt, ſcilicet bonum, & malum*; ſic eum redarguit: *Non eſt ergo liber Deus, qui velle malum non poteſt, & de quo etiam ipſe dixiſti, Deus eſſe, niſi juſtus, non poteſt*: Et alio loco: *Non poteſt autem Deus, inquis, niſi juſtus, & pius eſſe.* Et lib. 3. num. 120. *Unde non dubito, quòd victum te eſſe jam ſcias, ſed prolixo vaniloquio id agas, ne victus appareas, qui ſic definis liberam voluntatem, ut niſi utrumque, id eſt, & benè, & malè agere poſſet libera eſſe non poſſit. Ac per hoc neceſſe eſt tibi auferre libertatem Deo, qui tantummodo bonam poteſt, malam vero non poteſt habere voluntatem.* Unde *oper. imperf.* lib. 5. num. 38. de Deo loquens dixit *Auguſtinus*: *In ipſo Deo eſt liberum arbitrium, qui peccare nullo modo poteſt*, id ipſum conſtanter docet S. Doctor loquens de Deo, & de Angelis, ibi lib. 6. n. 10. redarguens *Julianum* ſequentibus verbis: *quâ definitione primùm ipſi Deo liberum arbitrium abſtuliſti, quem non negas, quia & hoc ſæpe dicis, & verum eſt, non poſſe peccare. Deinde ipſi Sancti in regno ejus liberum arbitrium perdituri ſunt, ubi peccare non poterunt.* Et num. 11. *Nam ſi, ut dicis, boni, malique voluntarii poſſibilitas ſola libertas eſt; non habet libertatem Deus, in quo peccandi poſſibilitas non eſt.* Et de *Prædeſtin. SS.* cap. 11. loquens de Chriſto Domino: *Numquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non erat libera voluntas, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato ſervire non poterat?* Ecce quomodò D. *Auguſtinus* nedùm negat, quòd poſſe peccare ſit pars libertatis; ſed potius affirmat non poſſe peccare

care eſſe libertatis perfectionem. Ex quo ſerm.119. & lib.25. *de Civit. Dei* cap. 10. exponens Dei omnipotentiam, dicit: *Non poteſt mori, non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli, tanta non poteſt, quia ſi poſſet, non eſſet Omnipotens.*

25. Huic mirabili S. Doctoris doctrinæ adſtipulatur & noſter Angel. Præceptor q. 22. de verit. art. 6. ubi eruditè explicans, in quô conſiſtat libertas, aſſerit: *Velle malum, nec eſt libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit aliquod ſignum libertatis.* Quid clarius dicere potuit? Et 1. part. q.62. art.8. ad 3. *Unde quòd liberum arbitrium diverſa eligere poſſit ſervato ordine ad finem, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; ſed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod eſt peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.* Quod repetit q.1. de potentia art.6. dum ait: *Quædam ſunt, quæ ſecundùm nomen potentiam important, ſecundùm rem ſunt potentiæ defectus, ut cum dicitur poſſe deficere, videtur ſecundùm modum loquendi quædam potentia importari, cum magis potentiæ defectus importetur.* Si ergo juxta mentem utriuſque S. Doctoris libertas eſt vera poteſtas, & perfectio ſimpliciter ſimplex in Deo reperta, quomodo defectus iſte poteſtatis, & defectus perfectionis poterit conſtituere libertatem?

26. Ex his profectò mihi viſum fuit monere Tyronem, particulam *ad utrumlibet* non eſſe intelligendam in definitione liberi arbitrii ut ſic, prout videtur indicare Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 25. §. 1. per hoc *quod voluntariè moveri, & ſpontaneo appetitu ferri ad ea poteſt, quæ bona, vel mala judicat, vel judicare velit*: quia licèt hoc rectè intellectum verum ſit, reſpectu liberi arbitrii creati, & imperfecti, utpotè ex nihilo procedentis, non tamen hæc indifferentia ad malum eſt de conceptu eſſentiali libertatis, ſed ſolum indifferentia contradictionis ad velle, vel non velle; ſive indifferentia exercitii ad velle hoc bonum, vel aliud bonum: qui eſt veriſſimus Magiſtri ſententiarum ſenſus: quare occurrit ipſe immediate argumento, quod nec in Deo, nec in Angelis eſſet liberum arbitrium, dicens: *Et quidem ſecundùm prædictam aſſignationem in his tantùm eſſe videtur liberum arbitrium, qui voluntatem mutare, & in contraria poſſunt deflectere. In quorum ſcilicet, poteſtate eſt eligere bonum, vel malum: & utrumlibet ſecundùm electionem facere, vel dimittere, ſecundùm quòd nec in Deo, nec in his omnibus, qui tantâ beatitudinis gratiâ ſunt roborati, ut jam peccare nequeant, liberum arbitrium eſſe nequit. Sed quòd Deus liberum arbitrium habeat, Auguſtinus docet in lib.* 22. *de Civit. Dei ita inquiens: Certè Deus ipſe, numquid quoniam peccare non poteſt, ideo liberum arbitrium habere negandus eſt? Ambroſius quoque in libro de Trinit. ait: Paulus dicit: Quia omnia operatur unus atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult, ideſt præbere voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Quibus verbis abundè teſtatur Magiſter ſententiarum illam definitionem liberi arbitrii antea datam non eſſe eſſentialem, ſeu explicativam conceptûs formaliſſimi libertatis.

27. Hìc quaſi de reportata victoria, me juveniliter inſultat *Caducifer*

fer pag. 266. num. 38. ac ſi injuriâ affecerim Magiſtrum ſententiarum; cujus definitionem libertatis dixeram eſſe explicandam; hiſce verbis: *Non ita debuiſſe recentiorem Theologum (cujuſmodi ille auctor eſt, alioqui doctus) amandare definitionem, & primarium conceptum allatum a Magiſtro ſententiarum &c.* Sed legat ille *S. Antoninum* 1. p. tit. 4. cap. 2. ante §. videbit explicationem definitionis datam non novam, ſed antiquiſſimam eſſe: ita enim S. Archi-Præſul noſter: *Et nota quòd hæc definitio liberi arbitrii tantum convenit libero arbitrio hominis, dum eſt viator: vel ſi intelligatur de libero arbitrio Angeli, tunc oportet intelligere de ipſo quantùm ad ſtatum primum Angelorum, in quo fuerunt vertibiles ſecundùm Alexandrum de Hales, in ſumma Raynerius.* Nonnè hoc idem eſt, ac dicere, quod hæc indifferentia ad malum non eſt de conceptu eſſentiali libertatis? Sed notanda hic inſignis fraus *Caduciferi*; qui crimen committit, cujus me reum injuſtè poſtulat: cum enim dixerim num. 10. *Dicitur ad utrumlibet, non quomodò aſſeritur à Magiſtro in 2. diſt. 25. §. 1. quia liberè poteſt moveri ad hoc, vel ad ejus contrarium; nempe, ut ait ipſe diſt. 24. §. 5. quia bonum eligit gratiâ exiſtente, vel malum ea deſerente*, hæc ultima verba ſic immutavit peſſimâ fide Caducifer: *Quia bonum poteſt eligere, gratiâ exiſtente; vel malum eâ deſerente.* Nota *To poteſt* appoſitum ab ipſo, quod non adeſt in Magiſtro ſententiarum, nec ego dixi; quaſi dixiſſet Magiſter ſententiarum, voluntatem tunc ſolum poſſe eligere bonum, quando adeſt gratia; tunc poſſe malum, quando abeſt. Quò tendant hæ pudendæ auctorum veterum corruptiones, ſatis, me tacente, percipiet quilibet, qui conſiderare voluerit hæc ejuſdem auctoris verba pag. 86. num. 126. *in hæreticis oſoribus Romanæ Eccleſiæ totum crimen ſitum eſt in foco morboſiſſimo vetuſtatis*: ex quibus ſat patet eum auctorem poſt Lutherum, Calvinum, Mornæum & alios bellum indicere antiquitati, hanc vocans *focum morboſiſſimum*, ut ſic ſit locus novitati ſtabiliendæ. Fortè etiam hâc corruptione textus, & ſequente invectivâ, ob explicatam Magiſtri ſententiarum definitionem, ſperavit obtineri poſſe, ut Thomiſtæ impoſterùm ſuô corruptô textu uterentur, definientes liberum arbitrium eſſe, quô homo *bonum eligere poteſt gratiâ exiſtente; vel malum eâ deſerente*: ſicque eos facilius de Janſeniſmo, Calviniſmo, Lutheraniſmo poſſet inſimulare: quod ne fiat, ſufficiat hic admonuiſſe lectorem fraudis.

28. Sed ne quid intactum relinquamus, examinare attentius operæ pretium erit auctores, quos ipſe adducit, *Ocham*, *Goddam*, *Rubione*, *Deram*, *Angeſto*, quorum plures cum ignoti ſint, non facile poſſunt inſpici ad videnda antecedentia, & conſequentia; e quibus mentem auctorum ſæpè venari debemus. At, ſi vel illa ſolum, quæ ex ipſis tranſcripſit attentè inſpicere velimus, quam parum ipſi faveant, apertiſſimè conſtabit. Refert *Dionyſium Ciſtercienſem* in 2. diſt. 24. q. unica, art. 1. concluſ. 5. dicentem *arbitrium liberum ſecundum quid (ſive creatum, ut ipſe intelligit) ideo dicitur ſic liberum, quia poſitis omnibus extrinſecis ad ſuum agere requiſitis, liberè poteſt agere, & non agere.* Cedo, quid hic eſt contra doctrinam Thomiſticam? Refert pag. 265. *Marſilium* dicen-

dicentem: *libertas voluntatis pro ſtatu viæ in hoc principaliter videtur exiſtere, quia poſitis cauſis efficientibus ex parte objecti* (nota) *& repræſentationis ad ipſius acceptationem, voluntas poteſt ipſum non acceptare . . . item poſitis &c.* Refert quoque *Deram*, ſeu *Dezam* dicentem: *Potentiam liberam eſſe, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere* (nota) *ſed non ex ſuppoſitione quod agat.* Pag. ſequenti refert *Stunicam* dicentem: *Auxilium Dei numeratur in requiſitis ad agendum: illo igitur poſito, integrum eſt voluntati, ut agat, vel non agat* (nota) *ſed qui ita definiunt, ſi intelligant* RE *jam adhibitis requiſitis ad agendum, definitio eſt valdè ridicula; ſi verò proximâ poteſtate poſitâ intelligantur, ita ut quoties mihi placuerit, nihil impediet, quominus agam, vel non agam, vera eſt definitio.* His, aliiſque teſtimoniis utitur *Caducifer* ad probandum neceſſe eſſe ad libertatem arbitrii, ut poſitis omnibus omnino ad agendum requiſitis, ipsâ etiam motione Divinâ, quam Thomiſtæ præmotionem phyſicam appellant, poſſit adhuc voluntas actum ponere, vel non ponere, vel ponere ejus contrarium: & non reflectit, aut vult reflectere, quod primus loquatur de requiſitis ex *parte objecti* & repræſentationis ad ipſius acceptationem. Secundus quoque expreſsè addit definitionem illam veram eſſe non poſſe, *in ſuppoſitione quod agat*, quod tamen manifeſtè ſupponitur, ſi omnia omnino requiſita ad agendum, uſque ad ipſum influxum cauſæ primæ, adeoque & cauſæ ſecundæ, quia juxta adverſarios influxus illi identificantur, ſupponantur actu adeſſe. Porrò tertius etiam vocat *Caduciferum* ridiculum, ſi ita intelligat ſuam definitionem, quod in re jam adhibitis requiſitis ad agendum adhuc debeat eſſe in poteſtate arbitrii agere, vel non agere: ſed *qui ita definiunt*, inquit *Stunica*, qui eſt tertius à nobis relatus, *ſi intelligant re jam adhibitis requiſitis ad agendum, definitio eſt valdè ridicula.* Ridiculam definitionem, ſi intelligatur eô modô, quô ille eam intelligit, & intelligere debet; ſi inde aliquid concludere velit contra Thomiſtas; eô ſenſu, ſcilicet, quòd in re poſitis omnibus ad agendum requiſitis, nullo excepto, poſſit adhuc voluntas agere, vel non agere. Hæc tamen nec intelligit, nec intelligere vult, & quaſi jam victoriam adeptus adverſus Thomiſtas, illis leviter, & abſque reflexione recenſitis, ad ulteriora tendit, quaſi re jam confectâ. Libet ipſum interrogare, exiſtimet nè neceſſarium eſſe ad libertatem arbitrii, ut poſitô jam influxu cauſæ primæ, & cauſæ etiam ſecundæ, poſſit homo agere adhuc, vel non agere? Dicet haud dubio hoc ridiculum eſſe, quia tunc homo ſupponitur agere: ex ſuppoſitione autem quod homo agat, impoſſibile eſt ipſum non agere. Ridiculum ergo id quoque eſt ſuppoſitâ præmotione, quæ eſt ſic infallibiliter connexa cum actu ut cum eâ ſimul in eodem inſtanti reali adſit actus, ſeu operatio. Sed eo revertamur, unde digreſſi ſumus.

29. Ulterius dicitur facultas *ad utrumlibet*, non quæ neceſſario ſit talis ratione ejuſdem virtutis, ſed ſufficit, quod poſſit operari bonum ſupernaturale ratione gratiæ, quæ det poſſe, cum ſine ipſa ſit intrinſece impotens, niſi adjuvetur ab Omnipotente bono, in quo omnia poſſumus;

ſumus; & ratione ſui ſit potens liberum arbitrium ad peccandum; nam ad male agendum datur ſine adjutorio Dei efficienter influenti, tametſi per modum conditionis præexiſtat libera voluntas. Quæ doctrina maxime obſervanda venit adverſus eos, qui docent habitus ſupernaturales, & auxilia conſtituere poteſtatem ad peccandum: Sic P. *Marin* tract. 13. *de juſtificatione* diſp. 6. ſect. 2. num. 36. docet habitum ſpei conſtituere poteſtatem non ſolùm ad actum ſpei, ſed ad deſperationem. Verba ſunt: *Ad 3. cum actus deſperationis ſolum opponatur ex lege Dei cum habitu ſpei, recte poteſt conſtituere poteſtatem ad ſpem, & deſperationem, quæ poteſtas ſimul ſit poteſtas ad impediendam legem Dei.* Et iterum ibi num. 47. addit. *In Angelis*, & Adamo ante lapſum poſtquam diſtinxit duplicem dari ſufficientiam, aliam ad opera ſupererogationis, quibus diſponitur ad perſeverandum in gratia.... aliam ad peccatum, & illius carentiam, de iſta aſſerit, *& hæc conſtituebatur per auxilium actuale. Et dici etiam poterat, quod in gratia fundabatur hæc ſecunda ſufficientia: quia ipſa remote ſe habens radicabat auxilia, quæ conſtituebant ſufficientiam proximam ad peccatum, & carentiam peccati.* Et ratio eſt; nam virtutes ſupernaturales dantur ad actus virtutum: ideòque virtutes ſunt, quia robur præſtant ad proprios actus, & ut non deficiamus in actus oppoſitos: ergo non conſtituunt potentiam ad iſtos: quare quod credamus, quod ſperemus, ex Deo eſt; quod diſcredamus, & deſperemus, non ex Deo, neque ex virtutibus eſt. Et ſane quomodò auxilium Dei, aut gratia dici poteſt, quæ dat poſſe peccare, poſſe agere contra naturam, & finem gratiæ? Hæc eſt communicatio Divinæ virtutis, ne deficiamus, cum e contra perditio ex nobis ſit, juxta illud Oſeæ 13. 9. *Perditio tua ex te.* Hoc millies docet *Auguſtinus* lib. de corrept. & grat. cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab Omnipotente Deo.* Et lib. 5. Oper. imperf. num. 42. *Operatur Deus in homine voluntatem bonam... malæ autem voluntatis ſuæ unuſquiſque eſt auctor.* Et lib. 2. de peccat. merit. cap. 5. *Ad peccandum non adjuvamur à Deo, juſta autem facere non poſſumus, niſi adjuvemur.* Quod & repetit ſerm. 156. aliàs 13. de verbis Apoſtoli. Et lib. 2. contra *duas Epiſtolas Pelagii* cap. 5. num. 9. Cui conſentiunt S. *Proſper* ad cap. Gall. object. 6. *Cum in bonis voluntas ſit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda ſine gratia.* S. *Fulgentius* lib. 3. de vera prædeſt. & grat. cap. 17. *Mali operandi poteſtas ex ſolo liberæ voluntatis habetur arbitrio... poteſtas autem bene operandi tunc libero ineſt arbitrio, quando donatur à Deo.* S. *Gregorius* lib. 11. Moral. cap. 5. *ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa.* Hoc ſanè ſufficit ad libertatem. Tum, quia non requiritur, quod ratione ejuſdem virtutis poſſit ad utrumque libertatis extremum, quòd & fateri tenentur Adverſarii noſtri; nam in ipſorum ſententia non eſt voluntas adæquatè potens ad actum charitatis ratione ſui, ſed ratione charitatis; & tamen ſola voluntas ratione ſui eſt potens omittere, vel etiam elicere actum oppoſitum; cum nec inadæquatè ad omiſſionem actus, aut

actum

actum oppoſitum concurrat charitas. Immo voluntas in ipſorum ſententia immediatè inadæquatè concurrens ad actum charitatis, influit ratione potentiæ obedientialis, & omiſſio eſt à voluntate ratione potentiæ naturalis: ergo non requiritur, ut voluntas ſit libera ad actum, quòd ratione ejuſdem virtutis ſit potens ad actum, & ejus omiſſionem. Et ratio à priori eſt, quia datur vera libertas, per hoc quod detur verum poſſe ad actum ſupernaturalem: & ſuppoſitâ gratiâ retinet voluntas naturalem vim ad omittendum, vel ad actum oppoſitum; cùm hæc exercitia intra ambitum ſuæ naturalis virtutis contineantur, & ad quæ elevatio dans poſſe minimè requiritur: ergo explicatur perfectiſſimè ratio libertatis, per hoc quod ſit potens ad bonum ſupernaturale ratione gratiæ, & ratione ſui ad omiſſionem, vel actum oppoſitum.

30. Hoc ſanè certiſſimum eſt, quippè oppoſitum eſt *Celeſtii* ſententia, aſſerentis, liberum arbitrium non eſſe, ſi indigeat Dei auxiliô: cujus fidem facit *Auguſtinus* de geſtis *Pelagii* cap. 18. *Non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeret auxiliô, quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque aut facere aliquid, aut non facere*. Debet ergo ſupponi, ut in Scripturis evidentiſſimum, & ex fidei noſtræ elementis indubitatiſſimum, quòd liberum arbitrium ad peccandum valet, non tamen ſine gratia ad benè ſalutariter operandum; cujus rei efficaciſſimum argumentum S. Doctor Epiſt. 215. aliàs 47. *Valentino* ex illo Prov. 4. v. 26. luculenter exhibet ſequentibus verbis: *Attendite, quid per Salomonem moneat Spiritus Sanctus. Rectos curſus, inquit, fac pedibus tuis, & vias tuas dirige. Ne declines in dextram, neque in ſiniſtram. Averte autem pedem tuum à via mala. Vias enim, quæ à dextris ſunt, novit Dominus: perverſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos; itinera autem tua in pace producet. In his verbis Sanctæ Scripturæ conſiderate Fratres, quia ſi non eſſet liberum arbitrium, non diceretur: Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dextram, neque in ſiniſtram. Et tamen ſine Dei gratia ſi poſſet hoc fieri, non diceretur poſtea: Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet*. En liberum arbitrium, at in ordine ſupernaturali gratiâ Dei ad bonum adjutum, & conſtitutum, quod non evacuatur, ſed ſtatuitur per gratiam, ut dicit *Auguſtinus* lib. de Spirit. & littera cap. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Abſit: ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus*; remanet namque adhuc ſub gratia prævenienti indifferentia illa dominii, ſeu poteſtatis ad utrumque libertatis extremum, licèt deſtruatur indifferentia ſuſpenſionis; ſive hæc intelligantur de gratia ſufficiente, ſive de efficaci. De ſufficiente, ut geminum hinc inde vitemus ſcopulum, & nec vi liberi arbitrii ſalutariter nos poſſe operari cum *Pelagio*, nec impoſſibilia Deum præcipere cum *Luthero* dicamus. Id etiam neceſſarium videtur de gratia ab intrinſeco efficaci; nam ipſa quoque cum illa indifferentia dominii, ſeu poteſtatis ad utrumque libertatis extremum componitur, licèt deſtruat indifferentiam ſuſpenſionis.

31. Dicitur ulterius *facultas ad utrumlibet*; non facultas, quæ ſit

indifferens indifferentiâ potentiæ reſpectu ſui, ſive ad actum. Hæc enim nequit eſſe de conceptu eſſentiali libertatis: tum, quia in ſuo conceptu formali imperfectionem, & potentialitatem includit: tum, quia Deo, in quo perfectiſſimè reperitur libertas, repugnat, cùm ſit actus purus ſemper, & ab æterno, & pro omni priori naturæ operans: tum quia deſtrueretur libertas per ipſummet exercitium libertatis, quô aufertur hujuſmodi indifferentia, quod eſt chimæricum, teſte Divo *Bernardo* in tract. de libero arbitrio dicente: *Impoſſibile namque eſt, voluntatem de ſe ipſa ſuâ privari libertate*. Quis enim credet potentiam liberam, quæ per actum, vel exercitium perficitur, per ipſum deſtrui? Quomodò intelligi poteſt, Deum creaſſe potentiam propter actum eliciendum, & creaſſe propter ſui ruinam, & deſtructionem? Et tandem quia ex terminis repugnat actum determinatum elici à potentia indifferenti, ut indifferenti; nec enim ab indeterminato poteſt oriri aliquid determinatum, cùm ſit evidens, quòd nemo dat, quod non habet: ergo ſi actus elicitur à potentia, ſecundùm quod potentia eſſentialiter ſe habet pro priori ad actum, ſi pro hoc priori naturæ ad actum eſt eſſentialiter conſtituta, mediâ illâ indifferentiâ, jam actus determinatus eſſet à potentia indifferenti, & indeterminata formaliter ut tali. Solùm ergo vocibus illa explicatur indifferentia, quæ talis ſit in ordine ad objectum, vi cujus remanet potentia domina ſui actûs, actuſque ſtat in manu conſilii ſui: ſic enim elicitur conſenſus circa tale bonum, vel circa tale medium, quod poteſt ab ipſa non elici, ut in articulo immediato demonſtrabitur.

32. Egregiè, & luculenter hoc magis explicat Angelicus Præceptor 1. contra Gent. cap. 82. *Ad utrumlibet eſſe, alicui virtuti poteſt convenire dupliciter; unô modô ex parte ſui; aliô modô ex parte ejus, ad quod dicitur. Ex parte quidem ſui, quando nondum conſecuta eſt ſuam perfectionem, per quam ad unum determinetur. Unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialitas in ipſa, ſicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum aſſequutus eſt principia, ex quibus ad alterum determinetur. Ex parte autem ejus, ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet eſſe, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen utrumque eſſe poteſt: ſicut aliquis, qui diverſis inſtrumentis uti poteſt æqualiter ad idem opus perficiendum: hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad ejus eminentiam, in quantùm utrumlibet oppoſitorum excedit; & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad utrumlibet ſe habens*. Quam doctrinam exponit eleganter *Ferrarienſis*: dum voluntatem conſiderat, vel quà formaliter eſt *potentia* ad utrumlibet, vel quà formaliter eſt *in potentia* ad utrumlibet. Primùm eſt de conceptu eſſentiali libertatis, non tamen quod ſit *in potentia* ad utrumlibet. Sic in Deo, ut diximus, datur perfectiſſima libertas, quin detur aliquod inſtans, in quo Divina voluntas potuerit eſſe in potentia; fuit ſimiliter libertas in anima *Chriſti* Domini, & in Angelis in primo inſtanti; quin voluntas in nullo antecedenti potuerit eſſe ſuſpenſa, cùm ante primum, nullum inſtans antecedat.

33. Tur-

33. Turpiter erravit *Janſenius* lib. 7. de grat. Chriſti, dum ad reprobandam libertatem arbitrii in indifferentia conſtitutam, ſic arguit: quia ſequeretur operationem Divinæ gratiæ libertati arbitrii repugnare, quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere, vel non agere; velle, vel non velle. Quaſi diceret: gratia efficax tollit indifferentiam, & non libertatem: Ergo libertas non conſiſtit in indifferentia. Futile ſanè argumentum. Non conſiſtit quidem libertas in indifferentia illa ſuſpenſionis, quæ per gratiam deſtruitur, benè tamen in indifferentia poteſtatis, quæ per gratiam non tollitur. Sicut ergo eſſet apud ipſum inefficax argumentum: Determinatio ſtatus innocentiæ tollit indifferentiam, & non libertatem: Ergo libertas ſtatus innocentiæ non conſiſtit in indifferentia: ita & nos aſſerimus, libertatem non conſiſtere in indifferentia pugnante cum determinatione actus, ſed in alia indifferentia, quæ eſt ad utrumque libertatis extremum, quâ actu agens componit poteſtatem agendi cum poteſtate non agendi. Hæc enim eſt vera poteſtas cauſæ liberæ conſtitutiva, poſſe agere, non neceſſariò, ſed liberè: vel aliis terminis, poſſe agere compoſitum cum poſſe non agere. Si enim idem eſt non eſſe compoſitum cum uno contradictorio, ac eſſe compoſitum cum alio, hæc erit evidens conſequentia: poteſtas agendi, quæ non eſt compoſita cum poteſtate ad non agendum, debet eſſe compoſita cum carentia poteſtatis ad non agendum: At hæc non eſt poteſtas libera, ſed merum poſſe agere neceſſariò; quid enim magis neceſſarium, quàm quod ita eſt, ut non poſſit non eſſe? Ergo poteſtas conſtitutiva libertatis eſt poteſtas agendi compoſita cum poteſtate non agendi.

34. Ex quibus inferes quam injuſtè increpentur noſtri Thomiſtæ, quaſi non velint admittere hanc definitionem liberi arbitrii: *Liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt agere, & non agere*; & quam R. P. *Thyrſo* notam fuiſſe *Ariſtoteli*, D. *Auguſtino*, D. *Thomæ*, Conciliis, & PP. aſſerit tom. 4. diſput. ſect. 64. num. 84. Quamvis SS. M. *Lemos* tom. 3. par. 1. tract. 2. cap. 1. non ex illis, ſed ex *Almayno* acceptam eruditiſſimè explicet. Nullus ex Thomiſtis definitionem iſtam rejicit. Solum impugnatur ab ipſis ſiniſtra Adverſariorum expoſitio, quod debeat intelligi in ſenſu compoſito; ita, quod poſitis omnibus requiſitis antecedenter ad actionem, ſive prioritate temporis, ſive prioritate naturæ; ſive ſit prævia motio Dei, ſive ſit aliud quodcumque poſitum à Deo, voluntas poſſit agere, & ſimul cum omnibus illis requiſitis poſſit non agere; id eſt conjungere cum omnibus illis, etiam cum Dei prævio influxu, non agere. Ita P. *Molina* in concord. diſp. 25. §. *Alio modo*, P. *Suarez* in Metaphyſ. diſp. 19. Et lib. 1. de concurſ. Dei cum voluntate creata cap. 2. & 3., & communiter omnes AA. Societatis recentiores.

35. Hanc definitionem non in ſenſu diviſo, ſed in compoſito intellectam falſiſſimam, & penitus repugnantem libertati creatæ, & omnipotentiæ Dei judicant Thomiſtæ. Falſa eſt primò; quia efficax imperium intellectûs eſt ex prærequiſitis, ut voluntas operetur; & tamen

ſtante illo, voluntas non poteſt non operari in ſenſu compoſito, alias non operaretur juxta propoſitionem intellectûs. Secundò in ſententia contrariorum, ſuppoſitâ ſcientiâ conditionata de conſenſu Petri ſub tali auxilio, in tali tempore, cum talibus circumſtantiis, & ſuppoſito decreto Dei de purificanda conditione, vel de offerendo Petro in illa occaſione auxilio congruo, ita elicit infallibiliter Petrus conſenſum, quod nequit cum prænotatis ſuppoſitis componere diſſenſum; & tamen in Petro, juxta contrariorum ſententiam, manet potentia ad diſſenſum, & liberè Petrus operatur, ut neceſſario tenentur dicere contrarii: ergo falſiſſima eſt definitio, ſi intelligatur in ſenſu compoſito.

36. Eſt non minus repugnans libertati creatæ. Etenim in prædicta definitione ſupponitur non dari gratiam ab intrinſeco efficacem, quam in naturalibus appellamus phyſicam prædeterminationem, quâ voluntas creata pro priori naturæ ad actionem moveatur à Deo. Supponitur ſimiliter voluntatem à ſe ipſa primò moveri ad agendum: ait enim, quod poſitis omnibus requiſitis, etiam Dei motione, poteſt voluntas in ſenſu compoſito illius, ponere actum oppoſitum. Quæ omnia juxta D. Thomæ doctrinam deſtruunt veram Philoſophiam, & rationem ſecundi liberi, & omnipotentiæ Dei: voluntas namque in ſuo exercitio libero vel ſubjicitur Deo, vel contra, Deus in concurrendo ſubjicitur voluntati. Si primum; ergo medium illud, quo Deus ſibi voluntatem ſubjicit, non poteſt voluntas pro ſuo dominio componere cum quovis extremo ſuæ libertatis. Si ſecundum: ergo Deus voluntati erit ſubjectus, dum medium, quo concurrit, voluntati ſubjicitur. Eſt ergo in principiis Thomiſtarum ſic intellecta, ut à contrariis intelligitur, repugnans libertati creatæ: ſicut è contra in ſenſu diviſo intellecta optimè ſalvatur eſſentia libertatis; nam per hoc, quod poſitis omnibus requiſitis ad actum, ſit ſimul potentia ad oppoſitum actûs, diſtinguitur cauſa libera à neceſſaria; in qua talis potentia ad oppoſitum, poſitis omnibus requiſitis, non datur. Quare Concilium Tridentinum ſeſs. 6. de juſtif. Can. 4. agens de libertate ſolùm ait, *quod liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo poſſit diſſentire, ſi velit*; ideſt, habet potentiam ad diſſenſum. Quis ergo non videt totum hoc eſſe contra rationem definitionis? Definitiones enim ſunt communes animorum ſapientûm conceptiones, in quibus omnes convenire debent, ut inde cognoſcatur, cui conveniat eſſentia rei definitæ, per argumentum à definitione ad definitum. Non ergo debent in ipſa involvi difficultates, in decurſu diſputationis reſolvendæ: maximè tot graviſſimis Auctoribus propugnantibus poteſtatem iſtam cauſæ ſecundæ liberæ penitùs repugnare: ergo hæc definitio ab Auctoribus in ſenſu compoſito intellecta, nequit ut propria notio libertatis aſſignari.

37. Non poſſum hìc ſilentio præterire modum, quo *Caducæus* part. 2. punct. 9. explicat conſtitutivum libertatis, dicens num. 234. *Suppono 3. conformiter ad ſuperiora, adeaque plus declaranda, conceptum libertatis, ſeu potentiæ liberæ, qui communiter circumfertur, & quem ſupra per otium explicuimus, vindicavimuſque, ſcilicet quòd*

ſit

ſit illa facultas, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, vel non agendum poteſt pro libito ſui agere, vel non agere, non ſolum claudere intra gremium talis potentiæ liberæ veram potentiam ad agendum, & veram potentiam ad non agendum, ſeu repugnandum circa idem objectum; ſed etiam facultatem electivam, libitivam, ſeu reſolutivam talis indifferentiæ, quæ non reſpicit quidem utrumque extremum, ſed unum determinatè præ altero, nam ſi hæc facultas ulterior voluntatis ſic ſe explicans, volo hoc præ illo, libet hoc præ illo, eſſet libitiva indifferenter reſpectu utriuſque extremi ejuſdem numero libertatis, daretur proceſſus in infinitum indifferentiarum, & nunquam detegeretur vera radix determinativa ſui, quâ debet pollêre voluntas. Quare conceptus veræ, & propriæ libertatis duo dicit, ſcilicet indifferentiam agendi, & non agendi, ſive agendi, & contra agendi, & inſuper vim quamdam determinativam (non determinatam, quia determinata ſolum eſt ad unum; determinativa verò eſt ad unum præ altero, cujus poſitio eſt etiam in ſua poteſtate) Quòd autem vera libertas claudat hæc duo, præterquam quòd ferè ex terminis patet, & quoad indifferentiam agendi, & non agendi eſt clariſſima; quoad vim ſe determinandi patet authoritate, & ratione. Authoritate ex Clemente Romano Epiſt. 13. ibi: Nihil eſt, quòd habentes fidem ad credendum determinet, niſi arbitrium eorum. Ex Anſelmo in Concordia cap. 1. Sola voluntas determinat ibi, quid teneat; ex D. Thoma in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 1. in corpor. ibi: Non eſſet homo liberi arbitrii, niſi ad ipſum determinatio ſui actus pertineret. Et diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. ibi: Ipſa potentia voluntatis quantùm in ſe, eſt indifferens ad plura: ſed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate; in naturalibus verò determinatio eſt ab agente. Et ne ſim prolixus, poſſem plura loca exhibere, & Authores plures, quos productis verbis profert P. Ruyz à Montoya, de ſcientia, diſp. 49. Sic ille, quibus ingenium venditat, modumque, ſi placet, quò profundè aperitur ſtructura libertatis, glorioſius prædicat.

38. At perperàm profectò conſtitutivum libertatis aperit. Fallitur primò, dum in libertate verè libera contradiſtinguit veram potentiam ad agendum, & veram potentiam ad non agendum, ſeu repugnandum circa idem objectum, facultati electivæ, libitivæ, ſeu reſolutivæ talis indifferentiæ. Quis uſquam Scholaſticorum ſibi magnum hoc inter utrumque finxit diſcrimen? Ac ſi aliud eſſet potentia ad agendum, & non agendum, & facultas electiva, libitiva, ſeu reſolutiva indifferentiæ libertatis? Facultas illa electiva, libitiva, ſeu reſolutiva libertatis, nihil aliud eſt, quàm poſſe voluntatem per ſui determinationem reſolvere indifferentiam libertatis; ſed poſſe voluntatem per ſui determinationem reſolvere indifferentiam libertatis, hoc idem eſt, atque poſſe voluntatem agere, & non agere; ergo falsò in conceptu formaliſſimo libertatis contradiſtinguit potentiam ad agendum & non agendum, ab indifferentia electiva, libitiva, & reſolutiva ſuæ indifferentiæ.

39. Turpius longè fallitur ille, dum aſſerit facultatem electivam, libi-

libitivam, & reſolutivam libertatis, quæ juxta ipſum ingreditur in conceptu formaliſſimo libertatis, non reſpicere utrumque extremum, ſed unum determinatè; quòd apertè falſiſſimum eſt. Si namque libertas eſt facultas, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, & non agendum, poteſt pro libito ſuo agere, & non agere, ut ipſe concedit; ergo hæc facultas non debet reſpicere unum extremum determinatè, ſed utrumque cum omnimoda indifferentia ad hoc, vel illud. Alias eſſet ſolum libertas, vel facultas illa ad unum extremum determinata, cum ſolum eſſet virtus determinandi unum extremum. Rurſus totum hoc apertam confuſionem involvit; ſiquidem hujuſmodi facultas determinativa ad unum præ alio, ſeu vera radix determinativa ſui, aut eſt eadem cum potentia libera, ſive cum voluntatis indifferentia ad agendum, vel non agendum, aut non? Si primum, idem indifferens ſui ipſius pariter indifferentis eſſet determinativum, quod certo implicat, vel daretur proceſſus indifferentiarum in infinitum, quem *Ortizius* vitare contendit; ſi ſecundum, extra chorum ſaltat; quia non erit potentia libera, ſed libertatis exercitium verbis ſuis ita explicatum: volo hoc præ illo, nolo hoc præ illo. Confundit ergo Author iſte exercitium libertatis cum poteſtate conſtitutiva libertatis; ſeu libitum voluntatis, cum facultate libitiva. Libitum cum ſit ipſa determinatio formalis libertatis, eſt ipſa reſolutio indifferentiæ; & ideo debet reſpicere determinatè unum extremum præ altero. At facultas electiva, libitiva, cum ſit de conceptu libertatis, ut ab eo aſſeritur, ſitque ipſa indifferentia activa, debet reſpicere utrumque extremum; etſi in exercitio reſolvenda ſit talis indifferentia, per poſitionem unius determinati extremi, præ alio.

40. Præterea libitum voluntatis, quo determinat ſui indifferentiam eſt pro ſigno exercitii, ut affirmat ille ſub finem num. ſequentis 235. *quòd quidem libitum ſui, quamvis in exercenda qualibet libertate individua ſit determinatum, vel potius determinativum ad alteram partem contradictionis; cum tamen ſit pro ſigno exercitii.* Facultas verò libitiva eſt pro ſigno priori ad exercitia libertatis; cum omnis actus ſecundus per ſe loquendo, ſupponat actum primum; ipſaque indifferentia activa potentia ſit in ſigno antecedente ejus exercitium. Hinc evidens fit hujus Auctoris equivocatio. Explicat præfato num. 235. libitum voluntatis hiſce verbis, *volo hoc potiùs, quàm illud*; & initio num. 234. facultatem libitivam eiſdem terminis exponit: *Volo hoc præ illo, libet hoc præ illo*: ergo vel libitum hoc non eſt è linea exercitii, vel ſi eſt exercitium, nequit ingredi conſtitutivum potentiæ liberæ.

41. Tandem mirum profectò videri debet, quod inutili labore adductis teſtimoniis *Clementis*, *Anſelmi*, & D. *Thomæ* utatur in comprobationem Doctrinæ. Quid ex eis colligat expoſitioni ſuæ favens, & nobis contrarium ingenuè fateor, penitùs ignoro: Quandoquidem nullus eſt ex ſchola ſocietatis, qui eiſdem comprobare velit, quod ultrà indifferentiam agendi, & non agendi, debet in conſtitutivo libertatis ingredi ea facultas, ſeu vis determinativa, ac ſi hæc foret diſtincta ab

illa,

illa, cùm unicè deſerviant ut probent, ut infrà videbitur, quòd ſuppoſitâ libertate integrè conſtitutâ, conſenſus poſterior non eſt liber à eo, ſed creaturæ; quibus diſertè, & invictè reſpondent Thomiſtæ. Ubi obiter notandum, malè ab ipſo fuiſſe tranſcriptum textum D. *Thomæ* ex 2. diſt.9. in quo non legitur: *Non eſt ab alio determinante*, ſed ſolùm: *non eſt ab alio determinatè*: quod ſatis indicat ſolùm excludere determinationem oppoſitam indifferentiæ poteſtatis, non verò determinationem oppoſitam indifferentiæ ſuſpenſionis, qualis eſt determinatio Divina.

42. Omitto Epiſtolam 13. *Clementis* Romani, quam eſſe omninò fictitiam ſatis conſtat, quæ nullibi invenitur, & præter primam, & ſecundam ad *Corinthios* inſcriptas, aliæ quinque ſuſpectæ habentur etiam à variis eruditiſſimis Jeſuitis, ut videre eſt apud *Labbæum* Concil. tom. 1. Verùm tranſeat hoc. An nè inde infertur ea deſcriptio libertatis, quam Auctor probare debebat? *Nihil eſt*, inquit prima authoritas, *quod habentes fidem ad credendum determinet, niſi arbitrium eorum*. Cur ergo Auctor Caducæi tam ſæpe admittit neceſſitatem gratiæ *efficacis ex ſe*, ſaltem poſt prævifionem conditionatam, prout habet pag.25. in fine num. 44. his verbis: *In ſententia Jeſuitarum ante actualem conſenſum jam venit gratia collata ex ſe efficax, & diſtincta à merè ſufficienti ex prævifione conditionata*? Deinde *Anſelmus* dicit: *Sola voluntas determinat ibi quid teneat*: ergo rurſus inutilis gratia efficax, etiam more Societatis explicata. Unde authoritas illa, & aliæ nimis probant, ſi crudè accipiantur, adeoque nihil probant. Oportet ergo adhibere rationabilem expoſitionem dicendo: quòd ſola voluntas ſe determinat, in ſua ſcilicet linea. Voluntas creata eſt agens ſecundum, liberum ſecundum, determinativum ſecundum; ſecundum autem neceſſariò ſupponit primum: igitur determinatio voluntatis, vel liberatis creatæ neceſſariò ſupponit determinationem voluntatis primæ, & primi liberi. Hæc doctrina, cùm perpetuò inculcetur à S. *Thoma*, valebit etiam ad ipſius authoritates objectas exponendas. Videri poterit 1. 2. q. 79. art. 2. & q. 109. art. 2. Qui hiſce acquieſcere non volunt audiant *Auguſtinum* lib. de *Spir.* & *litt.* cap. 30. *An ita ergo ſunt liberi, ut nec Deum habere Dominum velint?* Et epiſt. 105. *Quidquid lex Dei jubet, non niſi eo, qui jubet adjuvante, inſpirante, donante compleatur*. Notent, *eo* non ſolùm *adjuvante*, ſed *inſpirante*, ſed *donante*. Unde pulchrè ad rem noſtram olim ſcripſit Academia Duacena, apud P. *Lemos* tom. 1. *Non ſanè videmus, quomodo alitèr liberum voluntatis dominium deſtrui poſſit, quàm non agnoſcendo prædeterminationem; quam facilè intelliget, qui illinc primitatem* [ex parte Dei] *hinc* (ex parte liberi arbitrii) *ſubordinationem, & dependentiam velit ſeriò notare*.

D U-

DUBIUM II.

In quo conſiſtat radix eſſentialis libertatis?

§. I.

1. AD pleniorem hujuſce Dubii reſolutionem, præſtat hìc accuratè elucidare, qualiter conceptus libertatis, & naturæ ſe habeant in voluntate. Supponimus ergo conceptum libertatis, & naturæ non pertinere ad conſtitutionem metaphyſicam voluntatis. Et quidem de ratione libertatis apertiſſimum eſt; cùm tunc electio circa media, quæ eſt actus proprius libertatis, & per ſe primò correſpondens voluntati ut liberæ; ut expreſsè docet D. *Thomas* 1. p. qu. 83. art. 3. dicens: *Proprium liberi arbitrii eſt electio; & ideò naturam liberi arbitrii ex electione conſiderare oportet*; hæc, inquam, eſſet actus primarius inadæquatus voluntatis, quod eſt omninò falſum in Thomiſtarum doctrina, aſſerentium media formaliter ut talia ſpectare ad objectum ſecundarium voluntatis. Tum etiam, quia ratio libertatis purè per accidens ſe habet ad diverſificandas vires appetitivas; cùm proveniat in voluntate ex judicio indifferenti, ſicut neceſſitas ex judicio determinato; & judicium indifferens, & determinatum non diverſificant eſſentialiter objectum in eſſe appetibilis, cùm ſint extra lineam appetibilis; igitur nec ratio libertatis, aut neceſſitatis diverſificant eſſentialiter metaphyſicè rationem genericam appetitûs eliciti. Quarè & conſequenter conceptus naturæ in voluntate, ſive neceſſariò, quoad exercitium, ſive quoad ſpeciem operante, non eſt differentia metaphyſica voluntatis; nam ordo voluntatis ad actum ut neceſſariò eliciendum, in quo ordine conſiſtit conceptus naturæ, eſt modus accidentalis actus voluntatis in ratione actûs, & in ratione ſpecificantis immediatè voluntatem, ac per conſequens extra ejus eſſentiam metaphyſicam. Voluntas quippè metaphyſicè definitur, *appetitus rationalis*, *ſive*, *appetitus tendens in bonum apprehenſum per intellectum*, & præciſivè à tali modo operandi, ſivè liberè, ſalvatur conceptus metaphyſicus expreſſus in definitione, immò præciſivè à tali modo operandi intelligitur voluntas creata eſſentialiter diſtincta in ratione appetitûs, ab appetitu ſenſitivo, & naturali; cùm intelligatur voluntas tendens in bonum univerſale apprehenſum per intellectum; ſicut appetitus ſenſitivus ad bonum ſenſibile particulare apprehenſum per ſenſum: in quo conſtituit D. *Thomas* eſſentialem differentiam utriuſque appetitûs intellectivi, & ſenſitivi, ut videre eſt 1. p. q. 80. art. 2. & q. 25. de verit. art. 1. & ob quam diverſitatem differunt ſpecie ſenſus proprius, & ſenſus communis. Quod & veriſſimum eſt reſpectu neceſſitatis quoad ſpecificationem in ordine ad bonum in communi, ſive ad beatitudinem ut ſic. Etenim ſic neceſſitata eſt voluntas, quia tale bonum eſt objectum adæquatum ſpecificativum illius: ergo prius intelligitur in voluntate ordo ad tale obje-

objectum, quam neceſſitas ad illud; quæ ſolum ſubſequitur per modum proprietatis ad ejus eſſentiam metaphyſicam. Non ergo ad conſtitutivum libertatis metaphyſicum pertinent conceptus libertatis, & naturæ.

2. Hìc tamen cum Doctiſſimo Mag. *Aliaga* tract. de voluntario, & involuntario dub. 6. §.6. num.20. obſervandum maximè: Quod *cum libertas n n ſit realiter diſtincta quoad rectum à voluntate, ſed ſit ipſa entitas ut connotans cognitionem indifferentem ex parte intellectus, ſtat quàm optimè illam eſſe de eſſentià phyſicà voluntatis; ſimiliterque ſtat repugnare voluntatem creatam, cui eſſentialiter non conveniet poſſe liberè operari. Conſtat hoc aliquibus exemplis. Siquidem ſubſtantia Angeli v. g. convenit eſſentialitèr poſſe gerere munus ſpeciei impreſſæ, in ordine ad cognitionem ſui; & tamen prædictum munus non conſtituit metaphyſicè ſubſtantiam illius. Similiter intellectus creatus habet eſſentialiter poſſe intelligere practicè, & inſuper poſſe intuitivè cognoſcere aliqua objecta, & tamen conceptus practicè intellectivi, & intuitivi non ſpectant ad conſtitutionem metaphyſicam illius; cum ſola extenſio ad opus faciat intellectum practicum. Idem conſtat in potentia ad cognoſcendum entia rationis eſſentialiter convenienti intellectui; cum tamen vis cognoſcitiva illius non ſpectet ad eſſentiam metaphyſicam illius, utpote terminata ad objectum ſecundarium*. Sicut ergo in his exemplis conceptus iſti pertinent ad eſſentiam phyſicam, & ſe habent per modum proprietatis ad eſſentiam metaphyſicam; ita conceptus iſti libertatis, & naturæ ſunt proprietates voluntatis, non vero metaphyſicæ differentiæ inadæquate illam conſtituentes. Hoc ergo hic annotandum exiſtimavi, occaſione diſtinctionis voluntatis, ut naturæ, & ut liberæ, infra adducendæ.

3. At cum libertas arbitrii ſit formaliter in voluntate, ad quam pertinet electio; cum electio ſit actus proprius libertatis, & per ſe primò correſpondens libertati ut liberæ, teſte D. *Thoma* loco citato ex 1. p. quæſt. 83. ubi S. Doctor loquitur de electione propriè accepta, cujus eſt eligere unum præ alio; cum loquatur de electione ut regulata per actum conſilii, ut conſtat ex ſequentibus verbis: *Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognoſcitivæ virtutis, ſcilicet conſilium*; hinc omiſsâ origine, & causâ extrinſecâ, ex qua tamquàm ex prima, & ſuprema radice omnis creata provenit libertas, in præſenti inquiritur principium, à quo voluntas habet prædictam intrinſecam, & eſſentialem indifferentiam, & indeterminationem: maximè dum D. *Thomas* 1. 2. q.13. art.1. electionem; quæ eſt proprius actus liberi arbitrii, per intellectum, & voluntatem definierit. Quare ut hujus non levis momenti quæſtionis reſolutio nervosè radicetur, & clarius promoveatur, ſequentes ſtatuuntur concluſiones. Et prima ſit.

§. I I.

Indifferentia rationis ſeu judicii, eſt radix libertatis.

4. HÆc eſt luculentiſſima Angelici Præceptoris doctrina 1.p. q.83. art.1.2. & 4. Et 1.2. q.13. art.2. Et q.6. art.2. ad 2. ubi ait: *Ex hoc quod ratio deliberans ſe habet ad oppoſita, voluntas in utrumque poteſt*. Et q. 17. art. 1. ad 2. *Radix libertatis eſt voluntas ſicut ſubjectum; ſed ſicut cauſa eſt ratio. Ex hoc enim voluntas liberè poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni: & ideò Philoſophi diffiniunt liberum arbitrium: quod eſt liberum de ratione judicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis*. Similia habet q.24. de verit. art. 2. *totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta*. Et in 2. diſt. 24. q.1. art. 3. In quibus expreſſis teſtimoniis habetur efficax concluſionis ratio, quæ ſic formatur. Totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta, ſi indifferentia judicii eſt ratio à priori indifferentiæ formalis voluntatis; ſed indifferentia judicii eſt radix, vel ratio à priori indifferentiæ formalis voluntatis, ut expreſsè hìc aſſerit D. *Thomas*, dùm ait: *Ex hoc voluntas liberè poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni*; ergo indifferentia rationis, ſeu judicii eſt prima radix libertatis. Quid enim aliud eſt hæc indifferentia judicii, niſi propoſitio objecti indifferentis? Quæ propoſitio objecti indifferentis, vel ipſum objectum indifferens ſic exiſtens ſub apprehenſione eſt prima radix eſſentialis indifferentiæ, & indeterminationis voluntatis; voluntas namque non poteſt ferri in incognitum: ergo ſi actus voluntatis ſemper naſcitur ex objecti cognitione, actus liber ſolùm poteſt ſequi ad formam apprehenſam indifferenter.

5. Hæc eſt mens Angelici Præceptoris, dùm aſſerit, *quod ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni*; quia nempè intellectus, vel poteſt eſſe indifferens, & indeterminatus ad judicandum; vel poteſt proponere voluntati varia objecta, quæ cum non habeant neceſſariam connexionem cum fine, in ipſis poteſt variam boni, & mali rationem conſiderare. Sic interroganti cur voluntas eſt libera? Rectè reſpondetur, quia regulata judicio indifferenti. Sicut & interroganti, cur in nobis motus ſubiti non ſunt liberi? Optimè reſpondetur. quia oriuntur in nobis à judicio ſubitaneo, & determinato. Ab hac ergo indifferentia judicii ſumit ſpeciem libertas voluntatis, cum objectum propoſitum ſub indifferentia, ſit ejus objectum ſpecificativum. Aliud namque eſt, quod judicium proponens objectivam indifferentiam ſe habeat per modum conditionis; aliud, quòd indifferentia objectiva propoſita per judicium, non ſit ratio formalis ſpecificativa. Primum concedimus; quia hoc complexum *judicium proponens* dicit in recto judicium, quod eſt de linea apprehenſionis. Secundum eſt falſum, quia indifferentia objectiva ità dat ſpeciem, ut ſine ipſa nequeat eſſe libertas, ſivè quoad ſpecificationem, ſivè quoad exercitium.

6. Hìc

6. Hìc notandum venit quantum diſtet hæc prædicta cognitio indifferens, quæ à Thomiſtis explicatur per attingere ſignatè objectum ut indifferenter volibile, à modo quo doctrinam iſtam explicat P. *Avendaño* in ſua Diſp. de human. libert. cap. 2. n. 5. aſſerens, quod conſiſtit hoc attingere ſignatè tale objectum, *in eo, quod exiſtimet, ſe eſſe liberum, ſubjectum illam eliciens*. Hoc enim à nullo Thomiſta aſſeritur: ſufficit namque, quod judicium indifferens, in quantum extrinſecè conſtituit actum primum liberum voluntatis, proponat objectum indifferens, attingendo ſignatè id, in quo indifferentia objectiva conſiſtit, etſi non percipiat, quod illud à ſe attactum ſit indifferentia objectiva. Nec enim hoc requiritur ad libertatem voluntatis; cum rectè cohæreat iſta cum eo, quod non exiſtimet, judicans per illum judicium, ſe eſſe liberum: immò & cum eo, quod ſpeculativè erret judicando ſe non eſſe liberum, ut in aliquibus Hæreticis contingere poteſt. Et cùm ab AA. Societatis ſic explicetur cognitio indifferens conſtituens voluntatem ad volendum; cum nullus neget, nec negare poſſit cognitioni indifferenti objectum, ſignatè inſpectum, quod nequit eſſe aliud, quam id, in quo conſiſtit indifferentia objectiva: hinc fit nullum eſſe diſcrimen inter Thomiſtas, & Auctores Scientiæ mediæ circa cognitionem indifferentem ad libertatem eſſentialiter requiſitam.

7. Sed objicies: ſi indifferentia judicii conſtituit libertatem formalem, poſitâ indifferentiâ judicii in intellectu, non eſt difficile conciliare libertatem noſtram cum gratia ab intrinſeco efficaci, & prædeſtinatione, quod eſt, ut diximus ſuperiùs, difficillimum cognitioni humanæ. Facile namque percipitur, quod gratia, & prædeſtinatio non impedit judicium illud, quo judicatur objectum indifferenter volibile: ergo ſi ſe habet ut radix libertatis, non jam erit difficile conciliare libertatem noſtram cum gratia ab intrinſeco efficaci, & prædeſtinatione. Secundo: ad libertatem ut ſpecificativum formale ſtatuitur indifferentia judicii: ergo negans libertatem voluntatis, & concedens indifferentiam judicii, non negat rem, & eſſentiam libertatis: ſed Lutherani concedunt indifferentiam judicii: ergo non negant eſſentiam libertatis, ſed tantum vocem, cujus oppoſitum definivit Concilium Tridentinum ſeſs.6.

8. Hoc argumentum confundit radicem cum radicato: indifferentiam objectivam cum indifferentia formali ſubjectiva convenienti potentiæ formaliter liberæ. Libertas namque formalis non conſiſtit in indifferentia objectiva, vel quæ ſe tenet ex parte objecti, dum ratio cognoſcit, & proponit objectum, ut indifferenter volibile; vel, ut loquitur D. *Thomas*, dum proponit varias rationes boni, & mali. Ratio inſuper non eſt indifferens formaliter in ſe ipſa, nec cum dominio circa actum electionis, ut unum præ alio eligat, nec quod circa hoc objectum, potiùs quàm circa aliud operetur, cum tota electio ſit voluntatis. Abſurdum namque, & impoſſibile eſt, quod ratio ſit formaliter libera: tùm, quia peccaret homo ante conſenſum voluntatis, immò & bis peccaret, cum primò judicat eſſe faciendum id, quod non licet: & deindè id ipſum eligit. Tùm, quia ignorantia involuntaria à peccato

non excuſaret. Nec enim ad peccandum requiritur aliud, niſi libertas: undè in ratione, ſi ipſa eſt formaliter libera, poſſet eſſe peccatum. Solùm ergo in voluntate datur hæc indifferentia formalis, ut unum, vel aliud eligat, licèt ſemper velit, quod magis conveniens ipſi proponitur per rationis imperium. Hujus ergo indifferentiæ formalis ipſi voluntati convenientis prima radix eſt indifferentia rationis: nam cum voluntas profluat ab eſſentia animæ rationalis, mediante intellectu, in genere cauſæ efficientis, debet libertas formalis, quæ eſt de eſſentia libertatis, eſſe in intellectu, ſicut in radice, & in cauſa. Cum enim eſſentialis, & quidditativa libertatis actualis notio nobis ignota ſit, hanc, ſicut & aliarum rerum eſſentias, quia per veram definitionem explicare non poſſumus; ideò pro notitia eſſentiæ libertatis actualis ad deſcriptionem ex cauſa, & radice recurrere debemus.

9. Quo ſuppoſito facilis eſt ad argumentum ſolutio. Ad primum dicitur, quod cum libertas formalis non ſit ipſa indifferentia judicii, Theologi aſſerentes indifferentiam in judicio, & ponentes in voluntate libertatem formalem, per hoc quod voluntas directa judicio rationis ſit potens ad utrumlibet, cum iſta indifferentia ſubjectiva orta ex indifferentia objectiva, difficillimum judicant componere certitudinem, & infallibilitatem prædeſtinationis, & efficaciam Divinæ gratiæ moventis infallibiliter voluntatem noſtram liberam ad unum extremum, & quod tunc voluntas noſtra libera ſic illud efficiat, quod poſſit aliud loco ipſius operari. Ad ſecundum, quod Lutherani admittentes indifferentiam in judicio, & negantes libertatem in voluntate, non ſolùm negant vocem, ſed eſſentiam libertatis, cum indifferentia judicii non ſit ipſa libertas formalis. Immò turpiùs errant, dum concedentes radicem libertatis, ſeu indifferentiam judicii in intellectu, protervè negant in voluntate radicatum à tali radice, quod eſt libertas formalis.

10. Hic reponit *Caducifer* pag. 279. num. 54. meumque taxat argumentandi genus, dicens: *Uti nec rectè eos redarguit R. Benitez ex eo, quòd concesſâ radice, ex eo præcisè teverentur concedere radicatum; cum potius argumentum ſolùm valeat a contrario; ſcilicet eum, qui concedit radicatum, debere concedere radicem.* Sed non reflectit ille hoc magis eſſe contra ipſum, & ſuos Symmiſtas, quam contra me. Nam ita argumentatur contra Thomiſtas: Quod hæretici admittant talem radicem libertatis, ac per conſequens videantur admittere libertatem, non minus, quam Thomiſtæ: ecce qualiter *Ortizius* ex conceſſione radicis infert conceſſionem radicati: ſi ergo per *Caduciferum* cum ſuis ita argumentari non licet; ſequitur malè contra Thomiſtas eos argumentari. Mirum ergo videri non debet damnatos eſſe Lutheranos, Calviniſtas, alioſque hæreticos, quia licèt concederetur eos admiſiſſe indifferentiam judicii, quam dicimus radicem libertatis; expreſſis tamen verbis negant libertatem in nobis reperiri, prætendentes libertatem in nobis poſt peccatum, non eſſe niſi *rem de ſolo titulo*, *vel titulum ſine re*; atque hoc fieri poſſe, ſcilicet, quod aliquis admiſsâ radice neget radicatum, *Caducifer* ultro admittit. Si ergo quis ita arguat: *Lutherus*, *Cal-*

Calvinus, Janſenius admiſerunt indifferentiam judicii, quæ ſecundùm vos, eſt radix libertatis, ergo admiſerunt libertatem. Reſp. Tranſeat antecedens. Nego conſequentian. Licèt enim indifferentia judicii ſit radix libertatis, non eſt tamen ipſa formalis libertas, quæ in activa indifferentia voluntatis conſiſtit. Porrò hanc activam indifferentiam negarunt illi hæretici. Et de *Luthero* quidem apertè id habemus ex ejus verbis; nam articulus ejus 36. à *Leone* X. damnatus, hic erat: *Liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo; & dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Et lib. de ſervo arbit. ait: *Gratia prædicatur: ergo liberum arbitrium tollitur. Auxilium gratiæ commendatur: ergo liberum arbitrium deſtruitur.* Et iterum: *Quotquot ſunt loca in Scripturis Divinis, quæ meminerunt auxilii, tot ſunt, quæ tollunt libertatem.* De *Calvino* non eſt minus manifeſtum. Ita enim ait in Antidoto Canonum Conc. Trid. *de verbo ne moveamus rixam. Sed quia per liberum arbitrium intelligunt* (Tridentini PP.) *eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera, & ſoluta, titulum ſine re eſſe, qui affirmant, Chriſtum habent* Auctorem. Rurſus contra *Phigium* de lib. arb. lib. 3. *His ſubſcribimus nos quoque, ſi liberum, pro ſpontè poſitum, interpreteris.* De *Janſenio* ſufficit recordari tertiæ propoſitionis damnatæ: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Et lib. 7. de grat. Chriſti: *Libertati arbitrii ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id, quod poteſt, eſſe contrariam; omnemque actum voluntarium, ſeu ſpontaneum eſſe liberum,* ait. Unde licèt *Calvinus*, & *Janſenius* aliquando dicant, hominem, etiam in natura lapſa, eſſe liberi arbitrii; voces illæ ſunt, cui nihil rei reſpondeat; ac omnino ſimiles ſunt illis, qui faterentur quidem homines eſſe in mundo, negarent tamen reperiri in eodem animalia rationalia.

§. III.

Nonnulla ex Ortizio obſervatione digna proponuntur.

11. ADverſus ea, quæ ſupra & modò diximus de radice libertatis, agit *Caducifer* p.2. punct. 4. à pag.261. ad pag.278., ubi plura notatu digna reperiuntur. Enimvero num. 34. ſic lego: *Primo igitur ſatagam luculenter oſtendere ſyſtema libertatis, ab ipſis,* Maſſoulie, Graveſon, Benitez, *propoſitum, eſſe recens inventum, licèt affabrè perpolitum, contra rationem legitimam libertatis, tota retro Theologorum vetuſtate receptam. Secundò, conabor oſtendere SS. Patribus Scholæ Principibus Auguſtino, & Thomæ, tale ſiſtema eſſe diſſentaneum. Tertiò demum rationum momentis illud pro virili quatere non gravabor.* Num.53. *Accedendo vero jam ad 3. caput, & medium evertendi ſyſtema libertatis ſupra relatum breviter rationum capita attingemus, quibus videtur explodi. Igitur* 1. *eſt contra torrentem auctoritatis, & vetuſtatis, & communem hominum apprehenſionem, ac*

denique contra ipſum D. Thomam, quem ſibi Patronum auſpicantur. Neſcio quid hic mirer magis, an Auctoris larvati ignorantiam, an malevolentiam. Ignorantiam quidem, ſi verè exiſtimat ſententiam collocantem radicem libertatis in judicio indifferenti intellectûs, eſſe recenter à Thomiſtis illis inventam, eiſque propriam; aut ſi cogitet idem ipſis eſſe formalem libertatem, & radicem formalis libertatis: malevolentiam verò ſi ſciens contrarium, eos tamen impugnavit, ac ſi ipſi illius ſyſtematis forent recentes inventores; illaque duo, radicem dico libertatis cum ipſa libertate formali confunderent: contra quam confuſionem militant præcipuè illa, quæ totis illis 18. paginis, multô labore, nullâ tamen neceſſitate, aut fructu corraſit. Si peccatum illius malevolentiæ ſit, opto ei à Deo meliorem mentem: ſi ignorantiæ, huic curandæ deſervire poterunt, quæ toto dubio 2. præſertim initio §.2. dicimus, ſi modo dignetur illa attentiùs legere. Quod ſi hæc non ſufficiant, legat conſodalem ſuum P. *Platelium* tom.2. ſynop. Theol. cap.1. §. 5. n. 62. ubi hæc inveniet oppido opportuna: *Libertas formalis conſiſtit in indifferentia activa voluntatis ad utrumlibet pro libitu vertibilis, non in ſola indifferentia judicii* (quod etiam dicunt Thomiſtæ:) *quæ ſolùm eſt radix libertatis* (nota:) *non ipſa formalis libertas, ita Suarez, Vazquez, & alii communius.* Atque hæc ſufficerent ad folia illa decem & octo refellenda. Sed aliqua ſunt tamen non omnino prætereunda.

12. Primum in illis 18. paginis notabile eſt, quod pag. 270. n. 44. prætendat conſtare ex S. *Thoma*, quòd radix libertatis non ſit in intellectu: & paulo poſt pag. 273. num. 49. adfert ex quæſt. 24. de verit. art.6. reſp. ad 4. ubi aſſerit S. Doctor: *Si tamen rationalis à rationis potentia ſumeretur; prædicta auctoritas ſignificaret rationem eſſe primam liberi arbitrii originem, non autem immediatum electionis principium.* Et num.ſequenti refert ex Magiſtro *Maſſoulie*, quod S.*Thomas* 1.p. q. 83. art. 2. animadvertit non pertinere æqualiter ad libertatem, & judicium rationis, & electionem voluntatis; ſed ſimpliciter libertatem repoſitam eſſe in voluntate; libertatis vero radicem, aut regulam eſſe rationem.

13. Secundum, quod eadem pag. 273. n. 50. dicit: „ Ut verâ fide „ cuncta tractentur, duo hìc prætermitti non debent. Primum eſt, quod „ Fr.*Antonius Maſſaulie* pag.247. fateri videtur cum D.*Thoma*, & *Auguſtino radicem libertatis in libertate*; (dicere voluit in voluntate:) „ *eſſe poſitam.* Ait enim primo ſic: *Igitur his omnibus argumentis planè* „ *convincitur, primam atque immediatam libertatis radicem eſſe voluntatis amplitudinem* &c. „ In fine vero ejuſdem numeri, immemor eorum, quæ initio dixerat, dicit eximium P. *Maſſoulie toto art. præcedenti valdè ex profeſſo primam, & ſecundam radicem libertatis aſſignare intellectui; tertiam verò tantummodò voluntati*: ex quibus maniſeſtè patet prima verba Maſſoulie eſſe corrupta, legendumque *proximam, & immediatam*, non *primam, & immediatam*, ut ponit Caducifer, qui poterat facilè errorem illum corrigere.

14. Tertium, quòd num. 45. ex variis auctoritatibus, numero præce-

cedenti relatis, inferat neceſſitatem, quâ voluntas adhæret fini, ſolùm eſſe naturalis inclinationis, quæ relinquit liberam voluntatem, ſeu intentionem finis. Verùm cum ſit libertas multiplex juxta multiplicitatem ſervitutis, cui opponitur, ut ſupra diximus; alia eſt enim libertas à coactione, alia libertas à neceſſitate, rurſus alia à miſeria, alia à peccato, neceſſe erat addere, quam libertatem relinquat neceſſitas naturalis inclinationis. Certum enim eſt, non relinquere libertatem à neceſſitate, ut ex terminis patet: ſolùm ergo importat neceſſitas naturalis inclinationis libertatem à coactione, quæ eſt ab extrinſeco principio, & non ſufficit ad merendum, vel demerendum, prout docet Angel. Doct. q. 22. de verit. art. 7. dicens: *Quando ex propria ratione adjuvante gratiâ homo apprehendit aliquod ſpeciale bonum, ut*, ideſt tamquam, *ſuam beatitudinem, in quo verè ſua beatitudo conſiſtit; tunc meretur, non ex hoc* (nota) *quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit, ſed ex hoc, quòd appetit hoc ſpeciale, quòd naturaliter non appetit, ut viſionem Dei, in quo tamen ſecundùm rei veritatem ſua beatitudo conſiſtit. Si verò aliquis per rationem reducatur, ut appetat aliquod ſpeciale, ut*, ideſt tamquam, *ſuam beatitudinem, puta corporales delectationes, in quibus tamen ſua beatitudo non conſiſtit ſecundùm rei veritatem, ſic appetendo beatitudinem demeretur: non quia appetit beatitudinem, ſed quia indebitè appetit, hoc, ut beatitudinem, in quo tamen ſua beatitudo non eſt. Patet igitur* (nota) *quòd volendo id, quod quis naturaliter vult, ſecundùm ſe non eſt meritorium, nec demeritorium; ſed ſecundùm, quòd ſpecificatur ad hoc, vel illud, poteſt eſſe meritorium, vel demeritorium.*

15. Quartum, quod pag. 272. num. 48. relatâ ex Magiſtro *Maſſoulié* diſtinctione libertatis in eam, quæ eſt voluntatis, quà voluntas eſt, & in alteram, quæ eſt voluntatis, quatenus dicitur liberum arbitrium adjungit num. 49. *qui quidem* (Maſſoulié) *ex hac diviſione à ſe facta ſuſtinere non renuit libertatem voluntatis eſſe à ſola coactione; licèt libertas arbitrii debeat eſſe indifferentiæ. Qui modus dicendi videtur mihi periculoſus, non ſecus ac præfata diviſio ipſo D. Thomæ manifeſtè contraria.* Et cur, obſecro, modus ille periculoſus eſt? An putat Magiſtrum *Maſſoulié* in voluntate non admittere libertatem indifferentiæ? Aut eum per liberum arbitrium indigitaſſe intellectum, non volutatem? Ita aut putaſſe videtur, aut aliis perſuadere voluiſſe: cum tamen expreſsè Auctor ille, & quidem in verbis relatis à Caducifero num. 50. fateatur libertatem ſimpliciter dictam reperiri in voluntate: en verba ex pag. 273. *quibus in locis animadvertit non pertinere æqualiter ad libertatem, & judicium rationis, & electionem voluntatis; ſed ſimpliciter libertatem* (nota) *repoſitam eſſe in voluntate.* Erravit ergo ſolemniter, ſi exiſtimavit Magiſtrum *Maſſoulié* non agnoſcere libertatem ſimpliciter talem, quæ eſt indifferentiæ, in voluntate. Cauſa erroris eſſe potuit, quòd *Caducifer* ſumpſerit liberum arbitrium pro potentia diſtincta à voluntate, ſive pro intellectu; cum ſolùm ſignificet apud præfatum Magiſtrum, ac D. *Thomam* etiam, certum actum voluntatis,

ſicut

ſicut etiam voluntas ut voluntas. Hæc habemus ex verbis S. *Thomæ* q. 24. de verit. art.6. ubi dicit S. Doct. *Unde liberum arbitrium eſt ipſa voluntas; nominat autem eam, non abſolutè, ſed in ordinem ad aliquem actum ejus, qui eſt eligere.* Sicut voluntas ut natura ſignificat eamdem potentiam in ordine ad actum, quem ex naturali inclinatione elicit;non ex electione. Immo hoc demum agnoſcit *Caducifer* pag.278. num. 57. dicens: *ubi obiter nota, quod ſi qua eſt diſtinctio apud D. Thomam voluntatis, & liberi arbitrii, nulla eſt quoad potentiam, vel facultatem liberam, ſed ſolùm quoad exercitium ejus electivum mediorum: eo quod cum voluntas agit de aliquo medio eligendo inter plura advocat intellectum ut arbitrum &c. Et ita formaliſſimè loquendo, ſolùm in exercitio electivo dicitur voluntas liberum arbitrium &c.* Unde patet nec à S.*Thoma* diſcordare præfatum Magiſtrum Maſſoulie,& multo minus eſſe, quod dicit, periculoſum.

16. Denique, aliis omiſſis, ſit ultimum pag. 263. promittit oſtenſurum ſe, quod radix prima libertatis non ſit in intellectu, ut Thomiſtæ cum ſuo Angelico Præceptore affirmant. In quem finem adductis Platone, Ariſtotele, quibuſdam etiam è Nominalibus, Dominicanis, aliiſque priſcis Theologis, tum SS. Patribus Græcis, ac Latinis, ex quibus tandem pag.273. num. 49. in fine concludit *radicem libertatis immediatam eſſe in voluntate, non vero in intellectu.* Atqui non quærebatur, quæ eſſet *immediata* radix libertatis, ſed quæ *prima*? Ex quibus conſtat per omnes illas paginas *Caduciferum* inſigniter abuſum fuiſſe lectorum patientiâ. Inſuper malam ſuam fidem rurſum prodit, cum S.*Thomas*, quem non formidat in teſtem vocare, melius habens perſpectas veterum Patrum doctrinas quæſt. 24. de verit. art. 2. dicat, *quod totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta.* Ex quo eodem articulo refert *Caducifer* pag. 277. in fine ſequentia S. *Thomæ* verba: *Tota ratio libertatis ex modo cognitionis pendet.* Quod & profundè dixit *Bellarminus* lib. 4. de grat. & liber. arbit. cap.10. *Talis eſt*, inquit, *in unoquoque appetendi modus qualis cognoſcendi: appetitio enim cognitionem ſequitur: nec fieri poteſt, ut quis appetat rem incognitam. At verò in hominibus,* proſequitur, *eſt cognitio finis, & mediorum, quæ ad finem aſſequendum opportuna ſunt: ergo hominum appetitio ex neceſſitate quidem fertur in finem, & media, quæ cum fine connexa eſſe cognoſcuntur; ſed in alia non poteſt niſi contingenter ferri.* Immerito ergo *Caducifer* pag. 275. num.53. inter alia hæc, ex malè confutis principiis deducit, primò, quod ſententia conſtituens radicem libertatis in ratione, eſt *contra torrentem auctoritatis, & vetuſtatis, & communem hominum apprehenſionem, ac denique contra ipſum D. Thomam, quem ſibi Patronum auſpicantur*; cujus dicti falſitas conſtat ex tot S. Doctoris teſtimoniis à nobis relatis. Secundò, *quod propriè, & ſimpliciter coactio ſolùm eſt voluntatis, non intellectus*: id quod verè eſt contra torrentem auctoritatis, & vetuſtatis, & communem hominum apprehenſionem, quibus perſpicuum eſt, ac perſuaſum, cæteras quidem potentias, maximè exteriores cogi poſſe, voluntatem autem in ſe ipſa nullatenus coactionem admit-

admittere, ut dubio ſequenti §. 1. num. 2. probabimus auctoritate D. *Thomæ*, D. *Anſelmi*, D. *Damaſceni*, & D. *Bernardi*: idque paulo ante, quo mireris lector, *Caducifer* ipſe ex S. *Bernardo* lib. de grat. & liber. arbit. dixerat his verbis pag. 270. num. 43. *Vita, ſenſus, appetitus, memoria, ingenium, & ſi quæ talia ſunt, eo ipſo ſubjacent neceſſitati, quo non planè ſubdita ſunt voluntati. Ipſam vero* (nota) *quia impoſſibile eſt de ſe ipſa ſibi non obedire: (nemo quippe non vult, quod vult, aut vult, quod non vult) etiam impoſſibile eſt ſua privari libertate. Poteſt quidem mutari voluntas, ſed nonniſi in aliam voluntatem, ut numquàm amittat libertatem. Tam ergo non poteſt privari illâ, quàm nec ſe ipsâ. Si poterit homo aliquando, aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, & non voluntate, poterit & carere libertate voluntas*. Caducæum oportebat eſſe memorem. Nec eum fugere potuit qualiter Magiſter *Maſſouliè* diſſertat. 2. de libert. creat. q.3. art.7. pro meritis excipit P. *Suarez*, calidum, & frigidum eodem ore ſpirantem eò quòd tom.1. de grat. Prolog.1. cap.4. num.9. aſſumpſerit probandum, Deum poſſe neceſſitare voluntatem ſtante judicio indifferenti, dicens: *Hanc aſſertionem* EXPRESSE *docuit S.Thomas* q.22. de verit. art.8. cùm tamen contrarium docuiſſe S. *Thomam* ad oculum demonſtret *Maſſouliè* loco citato. Sanè hæc legens mihi viſus eſt Caducifer ſuo nimis indulgere genio, res compertiſſimas præpoſterè in dubium vertere, planas, atque apertas in alienum ſenſum detorquere, omniaque, pro ſuo arbitrio, & quaſi Mercurii auctoritate, & fide interpretari.

§. IV.

Secunda Conclusio.

Electio voluntatis pendet eſſentialiter ab ultimo judicio rationis.

17. HÆc Concluſio conſonat menti SS. PP. aſſerentium libertatem arbitrii conſiſtere in cognitione judicii, & optione eligendi; in illa cauſaliter; in iſta formaliter. Sic D. *Bernardus*, *itaut multa faciat per ipſam contra ipſam, hoc eſt per ejus miniſterium, contra ejus concilium ſive judicium*. Et infra: *Is ergo talis conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis, quod ſecum ſemper & ubique portat, indeclinabile judicium, non incongruè dicetur (ut arbitror) liberum arbitrium, ipſe liber ſui propter voluntatem, ipſe judex ſui propter rationem, & merito libertatem comitatur judicium: quoniam quidem, quod liberum ſui eſt; profectò, ubi peccat, ibi ſe indicat. Eſt autem judicium, quia juſtè profectò, ſi peccat, patitur quòd nolit, qui non peccat niſi velit*. Et Divus *Auguſtinus* lib. 8. de Trinit. cap. 4. *Nemo poteſt amare incognitum*: igitur ſine rationis actu præcedente nulla poteſt eſſe electio. Et Angelicus Præceptor 1.p.

q.83. art.1. *Quod judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis; ideò agit homo libero arbitrio, potens in diverſa ferri.* Et 1.2. quæſt.13. art. 1. *Voluntas in ſuum objectum tendit ſecundùm ordinem rationis, eo quod vis apprehenſiva appetitivæ ſuum objectum repræſentat.* Et q. 17. art.1. *Imperare autem, eſt quidem eſſentialiter actus rationis.* Quod explicat Eminentiſs. Card. *Cajetanus*, ibi: *Solus intellectus ordinat, eo quod quidquid ordinis in naturalibus, & voluntariis eſt, à ratione proficiſcitur, & in illam reſolvitur.*

18. Ex quibus omnibus ratio probativa deducitur. Si voluntas tendit in ſuum objectum ſecundùm ordinem rationis, dùm judicium eſt indifferens, debet eſſe ipſa voluntas: ergo ex judicio determinato ſolùm determinata poteſt eſſe voluntas; alias voluntas non rationalis eſſet appetitus: ſuæ quippè determinationis nulla eſſet aſſignabilis ratio. Non indifferentia judicii, cum judicium hoc præſupponatur indifferens ad agere, & non agere, & componibile cum utroque extremo libertatis: ergo non eſt ratio inferens determinatè unum extremum, ſed unum, vel aliud indifferenter: ergo cum non ſit alia aſſignabilis cauſa, vel dicendum eſt, quod daretur electio ſine judicio, & actus ſine objecto, cum vis apprehenſiva objectum non repræſentaret; vel quod voluntatis electio pendet neceſſariò ab ultimo judicio practico rationis dictante unum præ alio.

19. Sic in ſententia affirmante appetitum ſenſitivum regulari apprehenſione formatâ ex inſtinctu naturæ, appetitus ſenſitivus eſt ad unum in homine determinatus, quia cognitio ſenſuum, à qua pendet, naturaliter eſt determinata. Et voluntas humana reſpectu ultimi finis determinata eſt ad unum, ſaltèm quoad ſpecificationem, eo quod judicium rationis reſpectu ejuſdem eſt determinatum. Sic & voluntas Beatorum reſpectu ultimi finis determinata eſt etiam quoad exercitium, eo quòd judicium rationis illum finem repræſentans, perfectè applicatum mentibus beatorum, ſemper eſt ipſis præſens: ergo ſi ponitur judicium determinatum dictans hic, & nunc abſolutè omnibus conſideratis hoc eſſe eligendum, neceſſario ſequitur, quod voluntas illud eligit.

20. Explicatur hoc: Nemo eſt qui, ſi quæratur ab eo, cur aliquid agat? Non reſpondeat, quia judico, hoc ita eſſe faciendum: ergo ratio hujus, quod eſt voluntatem determinatè libere agere, ex aliquo motivo eſt deducenda; ſed hæc ratio ſolùm poteſt deſumi à convenientia objecti determinatè propoſita per judicium determinatum: tum quia judicium indifferens non præfert convenientiam diſconvenientiæ: tum quia in ſenſu compoſito judicii indifferentis proponentis ſimul convenientiam, & diſconvenientiam objecti, poteſt poni rationabiliter tàm agere motum à convenientia objecti, quàm non agere erga objectum, quod ut diſconveniens proponitur: ergo tantùm poteſt deſumi ratio hujus, quod eſt voluntatem determinatè libere agere, ex eo quod voluntas dirigatur actuali judicio rationis determinatè proponente voluntati convenientiam objecti.

21. Si quis reponat; quod idem judicium indifferens proponens convenientiam, & diſconvenientiam, non æquè utrumque proponit, ſed in ipſo judicio poteſt repræſentari convenientia, ut magis alliciens voluntatem, & ſimul ut minus retrahens diſconvenientia, quod eſt ſufficiens motivum determinationis voluntatis. Ita ſanè: ſed iterùm interrogo: judicium hoc cum majori vi alliciendi voluntatem, vel ſufficit, ut agens liberè operans liberè eligat, vel non? Si primum, hoc, ut diximus, eſt omninò falſum; cum ſit componibile judicium hoc indifferens cum majori vi alliciente voluntatem, & cum utroque extremo libertatis. Si dicatur ſecundum? Ergo ut eligat, requiritur aliud judicium determinatum. Modo ſic; ut proponatur hoc judicium determinatum, vel deficit primum judicium indifferens, vel non? Si deficit; Ergo hoc judicium indifferens eſt incomponibile cum actu liberè non agere: ergo requiritur aliud judicium determinatum, quod intendimus, & propugnamus. Si ſecundum dicatur, & concedatur hoc judicium determinatum compoſitum cum primo illo judicio indifferenti; cum majori vi alliciendi convenientiam, hoc eſt omninò repugnans. Quid enim magis repugnans quam quod componantur duo judicia, quorum primum dicat magis ſequendam convenientiam objecti, quam fugiendam ejuſdem objecti diſconvenientiam; & aliud præcisè dicat, fugiendam diſconvenientiam objecti?

22. Clariùs, & urgentiùs. Verum eſt, quod judicium indifferens ſpeculativum vivaciùs proponens allicentiam convenientiæ, quàm vim retrahendi, poteſt eſſe componibile cum judicio practico determinatè dictante eſſe fugiendam hic, & nunc diſconvenientiam objecti, dummodò tamen proponat præferendam convenientiam ſecundùm ſe, non tamen ſi ipſam proponat præferendam prout hic, & nunc. Quæ enim judicia aſſignari poſſunt incompoſſibilia, ſi hæc duo ſunt componibilia. *Diſconvenientiæ eſt præferenda convenientia prout hic & nunc; convenientiæ præferenda eſt diſconvenientia prout hic & nunc*. Cum unum involvat negationem alterius. Sic qui ex duobus bonis judicat ſpeculativè unum eſſe hic & nunc præferendum alteri, nequit judicare practicè hoc eſſe præferendum hic & nunc alteri; quia hæc duo judicia ſunt inter ſe incompoſſibilia: ergo & incompoſſibilia debent judicari duo hæc aſſignata judicia, quorum unum proponit convenientiam ut hic & nunc præferendam diſconvenientiæ, & aliud determinatè dictat, hic & nunc diſconvenientiam eſſe convenientiæ præponendam. Hanc doctrinam ſequentibus verbis expreſſit Emus Card. *Bellarmin.* lib. 3. de Grat. & lib. arbit. cap. 8. *Reſpondeo judicium ultimum non pati ſecum aliud judicium ſimile, quia eſſent contradicentia, & repugnantia judicia. Itaque ultimum judicium non negat, quin alia ſint media utilia ad eundem finem, ſed dicit, omnibus conſideratis hic & nunc, hoc unum eſſe accipiendum tanquam utiliſſimum, ac per hoc abſolutè, & ſimpliciter melius cæteris; quare ſi voluntas tunc eligeret aliquid aliud, haberet quidem rationem, cur eligeret illud tale medium, quia nimirùm eſt utile; ſed non haberet rationem ullam, cur omitteret illud aliud, quod hic & nunc, & ſimpliciter*

citer eſt judicatum melius. *Non enim nunc habet niſi unum ultimum judicium* ; *nec poteſt habere*, *quia contradicentia eſſent*, *nimirùm omnibus conſideratis hoc eſt melius*, *& omnibus conſideratis hoc non eſt melius*. Non ergo voluntas ſemper ſequitur judicium rationis ſpeculativum, ſicut nec ſemper ſequitur ſcientiam, quæ de aliqua veritate habetur in univerſali. Qui enim habet ſcientiam de defectu, & malitia operationis, nihilominus illam in particulari judicans eſſe ſibi convenientem, ſub ſpecie boni per ultimum judicium practicum propoſitam, eligit.

23. Hæc eſt primordialis ratio, cur Philoſophus lib. 3. Ethicor. cap. 2. aſſerit, *quod electio ſit eorum*, *quæ in nobis ſunt*, *conſultativa appetitio*. Et lib. 6. cap. 2. *Electio eſt appetitivus intellectus*, *vel appetitus intellectivus* ; cur & *D. Thom.* 1. 2. q. 13. art. 1. *Quod electio eſt actus voluntatis*, *non abſolutè*, *ſed in ordine ad rationem*. Et ibi q. 14. art. 1. *Quod electionem debet præcedere conſilium*, *cum neceſſaria ſit inquiſitio de eligendis* (*quæ conſilium dicitur*) *ante judicium de eligendis*. Hæc eſt ratio, cur comparatur reſpectu voluntatis intellectus, ſicut motivum mobili, & activum paſſivo. Ex oppoſito ſequeretur, quod in eligente contra dictamen ultimum judicii practici eſſet peccatum in voluntate abſque ullo errore in intellectu contra illud Salomonis Proverb. 14. *Errant qui operantur malum*. Quod & poteſt eſſe prudentiſſimus aliquis, & iſte moribus corruptiſſimus, quod expreſsè impugnat *D. Thom.* 2. 2. q. 51. art. 3. ad 2. dicens : *Quod malorum judicium in particulari agibili ſemper corrumpitur*. Etiam in actu voluntatis reperiri poſſet abſque impreſſione rationis, quod eſt rationis proprium, & eſſentiale, nempè conferre unum cum altero, quo confunderentur potentiæ, quæ ſunt inter ſe eſſentialiter diverſæ. Et tandem negaretur voluntati noſtræ dependentia ab intellectu, quæ adhuc conceditur reſpectu voluntatis Divinæ. Actus enim liber voluntatis Divinæ juxta modum noſtrum intelligendi dependet à judicio intellectus ; non quo judicet, hoc eſſe melius, vel magis expediens, ſed quo judicat, medium aliquod, quamvis de ſe contingens, & indifferens, eſſe tamen ordinabile in finem, ac etiam ordinandum, ut docet *D. Thom.* 1. contra Gent. cap. 89. dicens : *Quod voluntas Divina in his*, *ad quæ non ſecundùm naturam ſuam determinatur*, *inclinatur quodammodo per ſuum intellectum*, *ut ſupra oſtenſum eſt*, cap. ſcilicet 83. ubi dixerat, *quòd cum bonum apprehenſum voluntatem ſicut proprium objectum determinet*, *intellectus autem Divinus non ſit extraneus ab ejus voluntate*, *cum utrumque ſit ſua eſſentia* : *ſi voluntas Dei ad aliquid volendum per ſui intellectus cognitionem determinetur*, *non erit determinatio voluntatis Divinæ per aliquid extraneum facta*. Quibus verbis conſtituit, Divinam voluntatem à ſuo Divino intellectu quoad ſpecificationem determinari. Negaretur adhuc quod conceditur Angelis, in quibus nobiliori modo, quam in nobis reperitur liberum arbitrium. In his quippè licèt intellectus ſpeculativus ſit naturaliter determinatus ad omnem veritatem, minimè tamen intellectus practicus. Hic enim poteſt, non ſolùm indif-

indifferenter hoc vel illud, ſed etiam unius, & ejuſdem utramque contradictionis partem, ſub ratione veri boni, & ad finem convenientis apprehendere, ac voluntati proponere, quia convenientia non eſt à parte rei totaliter determinata, ſicuti eſt veritas: Quod totum docet *D. Thom.* 1.p. q.59. art.2. Ex quibus omnibus conſtat, quod etiam in nobis appetitus intellectivus, qui ex ſe eſt liber ad eligendum, & non eligendum, & ad hoc, vel illud eligendum; ut in actu exercito unum præ alio eligat, neceſſe eſt, quod ratio ordinet actum ejus proponens objectum; quamvis ſic in actu exercito volens; indeterminationem ſuam retineat antecedentem.

24. Sed ut nihil ſit in reſolutione iſta obſcurum, nihil inveniatur ambiguum; non prætereamus quædam ſpeciem difficultatis inducentia. Primò: quia ex tali judicio determinato infallibiliter ſequitur primus actus voluntatis: ergo hoc judicium non præceditur ab aliquo exercitio libero voluntatis: ſed judicium determinatum, ex quo infallibiliter ſequitur exercitium voluntatis, & ad quod non præcedit exercitium liberum voluntatis, eſt judicium antecedenter neceſſitans actum voluntatis: ergo judicium determinatum deſtruit indifferentiam judicii indifferentis: ſed deſtructa indifferentia judicii deſtruitur, prima radix, & ratio libertatis: ergo judicio iſto determinato deſtruitur libertas. Vel aliter: in principiis Thomiſtarum prædeterminatio non tollit libertatem, quia componitur cum judicio indifferenti; ſed voluntatem operari cum judicio indifferenti, & ex judicio omnino determinato ad unum, diximus impoſſibile: ergo voluntas cum tali judicio non liberè operabitur. Tertiò: Quia hoc judicium determinatum deſtruit exiſtentiam phyſicæ Prædeterminationis, ideò enim Thomiſtæ probant neceſſitatem phyſicæ Prædeterminationis: ut voluntas creata ex ſe indifferens ad utrumlibet, eligat hoc extremum potius, quam aliud; ſed poſito judicio determinato voluntas eſt infallibiliter determinata ad electionem unius præ altero libertatis extremo: ergo vel neganda eſt ut inutilis Prædeterminatio phyſica, vel excludendum hoc judicium determinatum.

25. Primum argumentum faciliſimè diluitur ſi concedatur quod primus actus ſimpliciter non eſt perfectè liber; in quo ſanè nullum eſt inconveniens, cum ad illum non ſe applicet Voluntas ex priori actu; ut de actu Angeli in primo inſtanti dicimus; & de procedente à gratiâ ſtrictè operante, ut contradiſtincta a cooperante, juxtà *D. Thomæ* ſententiam 1.2. q.3. art.2. qui eſt propriè & ſimpliciter liber, capax laudabilitatis & meriti; ſed non perfectè liber, quia non ex proprio Concilio. Vel ſecundo reſpondetur ad primum, diſtinguendo maj. Ex judicio determinato formaliter ut tali nego maj. Ut libere acceptato à voluntate ſubdiſtinguo: infallibiliter, & neceſſariò ſequitur neceſſitate conſequenti concedo maj. neceſſitate antecedenti neg. maj. & ſub eadem diſtinctione conſequentis negat. conſequentia. Hoc enim judicium determinatum vel poteſt conſiderari quà formaliter purè determinatum, & prout diſtinctum ab actu imperii, & præciſivè ab acceptatione voluntatis, vel prout jam acceptatum eſt liberè à voluntate. Primo modo

non

non infert infallibiliter actum, ad quem determinat, cum remaneat poteſtas ad hoc ut poſſit ſe à tali judicio divertere, quia hoc judicium, ut notat Mag. *Joa. à S.Thoma* 1. 2. tom. 1. diſput.12. art.1. §.*Reſpondetur*, non omnem habet adjunctam infabillitatem ad opus: unde cum connotet judicium indifferens de eligibilitate unius, & alterius extremi, ſemper remanet in voluntate poteſtas ad ſe divertendum à tali judicio determinato. At ex ſuppoſitione acceptationis, qua voluntas acceptat tale judicium, nolens ab ipſo ſe divertere, voluntas remanet conſequenter neceſſitata ad id, quod dictat tale judicium. Talis enim neceſſitas eſt conſequens determinationem liberam voluntatis incluſam in actu, quo acceptavit voluntas judicium determinatum, & quo vult ab iſto judicio non ſe divertere. Id quod docet idem *Joan. à S. Thoma*, loc. cit. diſput.5. art.5. §. *Ad ſecundum reſpondetur, neceſſitari voluntatem ex ſuppoſitione, quod non vult divertere, nec vult oppoſitum, nullum eſt enim inconveniens, quia hæc non eſt neceſſitas, ſed voluntas; tenetur enim, & coarctatur, quia vult teneri.*

26. Ad ſecundum reſp. diſt. maj. Deſtruit indifferentiam poſitivam judicii indifferentis neg. maj. privativam, vel negativam conced. maj. & ſub eadem diſt. min. neg. conſeq. Duplex in judicio indifferenti conſiderari poteſt indifferentia, una poſitiva dicens virtutem per modum actûs primi ad utrumlibet ſe habentem; altera privativa, vel negativa, quæ conſiſtit in ſuſpenſione ab omni libertatis exercitio. Hæc ſecunda non eſt conſtitutiva libertatis, ut ſuperius diximus, & hæc ſola eſt, quæ deſtruitur per judicium determinatum, quod ſemper connotat permanentem propoſitionem judicii indifferentis: nec enim virtus & latitudo potentiæ diminuitur per applicationem ad actum ſecundum; unde non deſtruitur illa indifferentia poſitiva, nec ex parte potentiæ datur neceſſitas, & detrerminatio ad unum medio tali judicio determinato, quod ſolum exigitur, ut voluntas conſtituta libera in actu primo, & ad utrumlibet potens, applicetur ad unam partem præ alia ex propoſitis per judicium indifferens. Comparanturque hæc duo judicia inter ſe, ſicut in voluntate poſſe operari, & actu liberè operari: unde ſicut non opponuntur iſti duo conceptus libertatis, ita nec judicia, ex quibus ſequuntur, poſſunt inter ſe opponi. Ex quibus conſtat ſolutio ad aliam probationem.

27. Ad tertium reſp. quod ſtante hoc judicio determinato, ſtat indigentia phyſicæ Prædeterminationis, cum agens liberum creatum indigeat determinari ad ſuam electionem tàm à Deo prius, quàm à ſe ipſo: unde poſita Prædeterminatione, quâ primum determinans voluntatem creatam præmovet, debet voluntas medio judicio determinari, tanquam ſecundum liberum; ſicut poſita infallibili determinatione imperii efficacis à Thomiſtis propugnati, non ſuperfluit neceſſitas determinationis infallibilis phyſicæ Prædeterminationis ad actum uſus activi voluntatis creatæ, ad quem prærequiritur determinatio imperii efficacis ſecundùm omnes Thomiſtas: quia nempè determinatio imperii eſt determinatio à ſecundo determinante, & determinatio phyſicæ præ-

prædeterminationis correſpondet primo determinanti: ita dicendum in præſenti. Quod optimè explicat D. *Thomas* 1. 2. q. 6. art. 1. ad 1. *Non omne principium eſt principium primum; licet ergo de ratione voluntatis ſit, quod principium ejus ſit intra: non tamen eſt contra rationem voluntarii, quod principium intrinſecum cauſetur, vel moveatur ab exteriori principio, quia non eſt de ratione voluntarii, quod principium intrinſecum ſit primum principium.* Et ibi ad 3. *Deus movet hominem ad agendum, non ſolum ſicut proponens ſenſui appetibile, vel ſicut immutans corpus, ſed etiam ſicut movens ipſam voluntatem; quia omnis motus tàm voluntatis, quàm naturæ, ab eo procedit, ſicut à primo agente. Et ſicut non eſt contra rationem naturæ, quod motus naturæ ſit à Deo ſicut à primo movente, in quantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei moventis: ita non eſt contra rationem actus voluntarii, quod ſit à Deo in quantùm voluntas à Deo moveatur.* Et expreſſiùs 1. p. q. 83. art. 1. ad 4. *Dicendum, quod dicitur non eſſe in homine via ejus quantùm ad executiones electionum: in quibus homo impediri poteſt, velit nolit. Electiones autem ipſæ ſunt in nobis, ſuppoſit tamen Divino auxilio.* Et 3. contra Gent. cap. 89. *Deus non ſolum dat rebus virtutem, ſed etiam nulla res poteſt propriâ virtute agere, niſi agat in virtute ipſius, ut ſupra oſtenſum eſt: ergo homo non poteſt virtute voluntatis ſibi data uti, niſi in quantum agit in virtute Dei: illud autem, in cujus virtute agens agit, eſt cauſa non ſolum virtutis, ſed etiam actus. Quod in Artifice apparet, in cujus virtute agit inſtrumentum, etiam quod ab hoc Artifice propriam formam non accepit, ſed ſolum ab ipſo applicatur ad actum: Deus igitur eſt cauſa nobis non ſolum voluntatis, ſed etiam volendi.*

28. Hujuſque ratio ex iſta indifferentia voluntatis accipitur, quæ cum ſit activa potentialis, reduci debet per indifferentiam activam ſimpliciter talem, qualis eſt indifferentia purè activa competens Deo. Hæc enim ita ſe habet ad plura, ut intra ſe ipſam, & à ſe ipſa habeat determinationem eſſentialem ad unum volitum, nimirùm ad bonitatem Divinam, quam amat neceſſario, ex cujus amore ſe determinat ad aliorum amorem: cum ergo indifferentia voluntatis humanæ ex ſe ipſa ad nullius objecti amorem ſit determinata, nè detur proceſſus in infinitum, determinationem habet à voluntate Divina. Quod docuit D. *Thomas* 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. dicens: *Cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas Divina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem neceſſariam.* En quomodo ſtante Judicio determinato, indiget ulterius voluntas prædeterminatione phyſica, ut ſic ad electionem determinetur tam à Deo, quàm à ſe ipſa. Sed, ut diximus, neceſſitas iſta tam judicii determinati, à quo pendet electio, quàm phyſicæ prædeterminationis, eſt neceſſitas conſequens, & non concomitans, vel antecedens indifferentiam conſtitutivam libertatis in actu primo, quæ omnem determinationem ad aliquod extremum pro ſigno libertatis excludit. Tùm quia potentia ex ſe determi-

nata

nata ad unum, non habet dominium illius, cùm illud non poſſit pro ſuo placito non ponere, vel efficere. Tum quia potentia libera eſt illa, quæ ſe ipſam determinat; nam liberum eſt, quod eſt ſui actus cauſa: potentia autem, quæ ex ſe, & pro priori ad omne ſuum exercitium eſt determinata, quomodo ſe ipſam ſuo exercitio determinat? Tum quia de ratione libertatis eſt aliqua indifferentia activa ad ſuos actus; ſed potentia, quæ pro priori ad omne exercitium, & in ipſo ſigno poteſtatis eſt ad unum determinata, non eſt activè indifferens ad ſuos actus: ergo neceſſitas illa judicii determinati, & prædeterminationis non eſt conſtitutiva, nec intelligitur in ſigno libertatis, in quo intelligitur potentia proximè conjungibilis cum quolibet extremo ſuæ poteſtatis.

§. V.

Ex parte judicii requiritur ad libertatem indifferentia compoſita cum motione Dei efficaci, quâ ſtante indifferentiâ, voluntas non poteſt à Deo neceſſitari.

29. PErfectam actus liberi rationem tradituri, ad ipſam judicii objectivam indifferentiam recurrimus. In quo maximè advertendum pro illius intelligentia, quod indifferentiæ poteſtatis, de qua in præſenti agimus, immediatè opponitur antecedens determinatio ad unum, quæ potentiæ convenire poteſt multipliciter. Vel ex ipſa rei natura, ſicut convenit agentibus naturalibns, ut igni, cujus natura eſt ita ad comburendum determinata, ut nullam aliam poſſit habere operationem; vel quia facultas apprehenſiva non poteſt objectum ſub indifferentia proponere, ut apparet in Brutis, in quibus licèt ſit indifferentia paſſiva ad contraria, nulla tamen eſt indifferentia activa propter determinationem apprehenſionis, non valentis in objecto apprehenſo diſcernere convenientiam, vel diſconvenientiam objecti. Et tandem provenit hæc determinatio ad unum ex determinatione judicii adhuc in rationali potentia; quia vel judicium clarè attingit omne bonum, ut intellectus lumine gloriæ illuſtratus; vel quia judicium objecti imperfectè concipitur, ut accidit in judiciis excitantibus motus, qui dicuntur primò primi: quæ omnes determinationes deſtruunt libertatem, ut eſt communis omnium aſſertio. Sed cùm aliquando etiam couveniat determinatio potentiæ, non ex ipſa agentis natura, non ex defectu rationalis potentiæ, nec ex imperfectione judicii, ſed ex actu eodem, quo potentia ipſa ſe ad unum liberè determinavit, per hanc determinationem libertatem non tolli, omnium eſt ſententia concors, ut §. antecedenti vidimus. Quare ſolum in præſenti agimus de determinatione potentiæ, quam Thomiſtæ conſtituunt immediatè provenientem à Deo, quæ in potentia prærequirit, ac præſupponit virtutem, quâ conſtituitur potens ad quodvis extremum libertatis, illam determinans effectivè ad unum; in qua determinatione ſtatuenda, vel neganda, eſt

to-

totum inter Thomiſtas, & AA. Societatis diſſidium. Exiſtimant enim Societatis AA., qui poteſt Molinam ſcripſerunt, licèt non omnes, requiri in voluntate ſub Divina motione efficaci conſtituta, indifferentiam talem, ut cum prædicta motione Dei componere, & conjungere poſſit quodvis extremum, aut poſitivum ſit, aut negativum, nec aliter in voluntate à Deo mota, & excitata poſſe libertatem ſubſiſtere; quare phyſicam prædeterminationem rejiciunt, ut inimicam, liberoque arbitrio contrariam ut ſupra diximus §. 2. n. 16. Thomiſtæ verò hanc talem ac tantam voluntatis indifferentiam chimæricam putant, immò exiſtimant in ea aſſerenda conſtitiſſe ex parte Pelagii ſententiam, eſſeque penitus divinæ Gratiæ repugnantem.

30. Hìc inſultat mihi iterum, & multò acrius, & non ſolum *inofficiosè*, ſed & injuriosè noviſſimus ille Caducifer pag.277. dicens: *Sed nota* 1. *quinam illi erunt Jeſuitæ, qui phyſicam prædeterminationem non rejiciant, prout fuſe in prima parte hujus operis aſſertum eſt, atque vindicatum?* Hic petit ille primo, quinam erunt illi Jeſuitæ, qui phyſicam Prædeterminationem non rejiciant? Sed hic ſaltat extra chorum. Petere debebat; Quinam erunt illi Jeſuitæ qui poteſtatem conjungendi quodvis extremum cum motione Dei efficaci ad libertatem non requirant? Et tunc in promptu eſt reſponſio, ſcilicet, quod omnes illi Jeſuitæ non requirunt tam effrenem poteſtatem ad oppoſitum motionis Dei, qui fatentur motionem efficacem non ſolo conſenſu voluntatis diſtingui ab inefficaci,ſed etiam prout venit à Deo. Præterea *non omnes* dixi, extant quippe multi, iique primæ notæ erudititiſſimi, Societatis alumni, gratiæ ab intrinſeco efficacis defenſores acerrimi quos dedimus Diſp.4. Dub.2. §.5. à num. 107., & infra ſuo loco dabimus quorum ille diſſertiſſima teſtimonia, à vero germanoque ſenſu præpoſterè detorquet. Quid hic ad rem, fuerint ne aliqui Jeſuitæ qui prædeterminationem phyſicam docuerint nec ne? Non hoc ibi præcipuè agebatur: ſed *an omnes Jeſuitæ, vel aliqui ſolum, exiſtimarint requiri in voluntate, ſub Divina motione efficaci conſtituta, indifferentiam talem, ut cum prædicta motione Dei componere, & conjungere poſſint quodvis extremum, poſitivum ſit, aut negativum; nec aliter in voluntate mota, & excitata poſſe libertatem ſubſiſtere?* An omnes Jeſuitæ talem indifferentiam requirunt, ſub gratia congrua, ut ſcilicet poſſit homo in ſenſu compoſito jungere non actum cum gratia congrua ad actum? Non hoc dicet, puto. Igitur nota illa prima omitti poterat.

31. Pergit ille *Nota* 2. *hunc Auctorem, neque verè, neque officiosè indifferentiam libertatis Jeſuiticam vocare Pelagianam. Et in primis allidit ipſe ſemetipſum contra Petram Eccleſiæ damnantem ejuſmodi aſſertores in illa propoſitione quarta Janſenii; quam proſcripſit Innocentius X. ſcilicet Semipelagiani admittebant, prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Hìc captiosè nimis profectò illudit ejus incitatus animus, ut me odioſum faceret, & adverſus me ſcribendi

anſam arriperet. Non dixi quod error, aut *hæreſis* Pelagii in ea aſſerenda conſtiterit; ſed *Pelagii ſententiam* dixi. Eſt ne idem Pelagii error, hæreſis, & ſententia? An nullam ſententiam docent Patres Societatis, quam olim docuerint Pelagiani, aut Semipelagiani? Nunquid fatentur quod hi abuſi ſint ſcientiâ mediâ? Immeritò ergo, nè plus dicam, mihi affingit Auctor ille, quod me ipſum alliſerim contra Petram Eccleſiæ damnantem quartam Propoſitionem. An hoc eſt officiosè agere? Profectò Auctor ille, adeò delicatus, ut ad minimum verbum ſtatìm clamet *inofficiosè*; ut eadem pag. 1. num. 50. ob vocem *Moliniſtarum* quo uſus erat *Graveſonius* ſtatim addit. *Sic vocat Jeſuitas propter Molinam; ſed perperam, & inofficiosè*; Auctor, inquam, ille; debuiſſet ipſe quoque cavere nè committeret quòd in aliis reprehendit; & non ſolum abſtinere à voce *Banneſianorum* ad ſignificandum Dominicanos, prout facit pag. 6. n. 9. ſed multò magis à collidendo Auctores Catholicos, cum definitionibus Pontificum Romanorum; ſiquidem hoc non ſolum *inofficioſum*, ſed injurioſum ſit.

32. Sed propiùs accedamus. Putat ne Auctor ille quod per condemnationem quartæ Janſenianæ Propoſitionis definitum ſit, velut de fide, quod homo cum gratia efficaci poſſit facere in *ſenſu* compoſito, ut loquimur in Scholis, contrarium, & aliquando, imo ſæpe contingat, quod reapsè faciat contrarium? Loquatur clarè, & diſtinctè ſine reſtrictione. Si affirmat [præterquam quod, contra Bullas Pontificias, Thomiſtas faciat hæreticos:] quid dicet de illis Scripturæ textibus: *Omnis voluntas mea fiet* &c. *Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati* &c. ac infinitis aliis, quibus id ſaltem ſignificatur, fieri numquam, quod Deus velit aliquid voluntate abſolutâ; & tamen hoc non fiat. Si nunquam id fiat: Ergo, juxta Jeſuitarum axioma, non datur etiam potentia ut hoc fiat; quia fruſtra eſt potentia, ut continuo inclamant, quæ nuſquam reducitur ad actum. Dicamus plus. Certum eſt dari aliquam gratiam, quæ ſit executrix *abſolutæ Dei voluntatis* in ordine ſupernaturali; abſtraho an debeat dici, *gratia ex ſe efficax*, an *gratia congrua*, an *cumulus gratiarum*; ac ne cogar idem ſemper repetere, hìc illam appellabo *gratiam Dei ſpecialiſſimam*. Certum eſt, inquam, talem gratiam ſpecialiſſimam dari, quâ Deus abſolutam ſuam exequitur voluntatem. Nunc petò, an ſit de eſſentia, vel neceſſitate creatæ libertatis, ut poſſit talem *gratiam ſpecialiſſimam Dei* fruſtrare ſuo effectu, componendo cum gratia tali, vel non actum, vel actum oppoſitum? Secundò. An hoc aliquando fiat? Cumque plures ſint, qui reſiſtunt gratiæ, & Spiritui Sancto, eam infundenti, quàm qui obediunt, juxta illud, *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: an hoc etiam intelligi debeat de *gratia illa ſpecialiſſima* executrice divinæ voluntatis abſolutæ; hoc eſt, quod plures huic gratiæ reapſe reſiſtant quàm obediant; hocque ſit de fide, poſt damnatam 4. Janſ.? Expecto ad hæc reſponſum.

33. Tandem vel Propoſitionem illam, *Semipelagiani admittebant* &c. Vel non intellexit *Caducifer*, & ea, quæ ſcripſi; vel diſſimulavit, ut occaſionem haberet calumniandi. Erravit *Janſenius*, quòd do-

docuerit ad merendum, vel demerendum non requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſolum à coactione. Erravit, quod ſub gratiæ efficacia admitteret neceſſitatem abſolutam cum libertate conjunctam. Credidit *Semipelagianos* tandem admiſiſſe gratiæ interioris (quam *Auguſtinus* prædicabat, ideſt, operationis, nedùm poteſtatis) neceſſitatem etiam ad initium fidei, quod eſt falſum. Erravit etiam, quod diceret hæreſim illorum in eo ſitam, quod ſub ea gratia Auguſtiniana admitterent libertatem indifferentiæ, qualem Thomiſtæ admittunt. Hinc *Janſenio* erant Pelagiani Jeſuitæ, & quod mirère, Thomiſtæ, qui admittunt ſub gratia libertatem indifferentiæ cum Eccleſia; unde merito condemnatus eſt. Sed quid cum his commune habet aſſertio mea. Rejicio vagam illam poteſtatem ad oppoſitum, quæ vires omnes gratiæ enervat; & addo in ea ſitam fuiſſe partem, ut ſupra dixi, non erroris, aut hæreſis, ut ajebat *Janſenius*, ſed ſententiæ Semipelagianorum: quæ toto differunt cœlo: & tamen hæc non advertit *Caducifer* corripiendi prurigine præpoſterè abreptus. Sed ad propoſitum redeamus.

34. Conveniunt ergo omnes AA. Catholici in prima concluſionis parte, quod nempe ex parte judicii requiritur ad libertatem indifferentia compoſita cum motione Dei efficaci, irridentibus plerumque id Hæreticis;quibus *Petrus de Ligni* conſentiens in profeſs. Fidei ad Epiſ. NN. art.6. dicit; *Quod ſolutiones dari ſolitæ per ſenſum compoſitum, & diviſum, atque indifferentiam judicii, ſint meræ cavillationes, & tricæ, quarum nec minimum quidem in SS. PP. ſit veſtigium*. Idem in Epiſt. anni 1692. 1. Febr. *Proteſtor, me alieniſſimum eſſe ab opinione, aut ſi malis, errore adſtruente libertatem indifferentiæ... hanc novitatem induxit Molina, & ſola Thomiſtarum ignavia hanc falſitatem ſuſcepit*. Sic contra doctrinam iſtam, ut eam ineptam, ac ridiculam exhibeant, majores iræ ſuæ machinas admovent Janſeniſtæ; ſed ipſorum ineptis dicteriis deſpectis, contra omnes ſtat. Angel. Præceptor. 1.2. q.10. ar.2. in corpor. *Reſpondeo dicendum, quod voluntas movetur dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actûs. Alio modo quantum ad ſpecificationem actûs, quæ eſt ex objecto. Primo ergo modo voluntas à nullo objecto ex neceſſitate movetur. Poteſt namque aliquis de quocumque objecto non cogitare: & per conſequens neque actu velle illud. Sed quantum ad ſecundum motionis modum, voluntas ab aliquo objecto ex neceſſitate movetur, ab aliquo autem non. In motu namque cujuslibet potentiæ à ſuo objecto conſideranda eſt ratio, per quam objectum movet potentiam. Viſibile enim movet viſum ſub ratione coloris actu viſibilis: unde ſi color proponatur viſui, ex neceſſitate movet ipſum, niſi aliquis viſum avertat, quod pertinet ad exercitium actus. Si autem proponeretur aliquid viſui, quod non omnibus modis eſſet color in actu, ſed ſecundùm aliquid eſſet tale, ſecundùm autem aliquid non tale: non ex neceſſitate viſus tale objectum videret. Poſſet namque intendere in ipſum ex ea parte, quà non eſt coloratum in actu, & ſic ipſum non videret. Sicut autem coloratum in actu, eſt objectum viſus, ita bonum eſt objectum voluntatis. Unde ſi proponatur aliquod objectum volunta-*

ti, quod ſit univerſaliter bonum, & ſecundùm omnem conſiderationem, ex neceſſitate voluntas in illud tendit, ſi aliquid velit: non tamnen poterit velle oppoſitum. Si autem proponatur ſibi aliquod objectum, quod non ſecundùm quamlibet conſiderationem ſit bonum: non ex neceſſitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuſcumque boni habet rationem non boni, ideo illud ſolum bonum, quod eſt perfectum, & cui nihil deficit, eſt tale bonum, quod voluntas non poteſt non velle, quod eſt beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi ut non bona: & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari, vel approbari à voluntate, quæ poteſt in idem ferri ſecundùm diverſas conſiderationes.

35. Hæc eſt tota corporis articuli doctrina, ſuam antiquitatem in Eccleſia contra putidum impoſtorem demonſtrans, qui non antiquiorem Molinâ eam auſus fuit aſſerere. En ubi tria notat D. *Thomas*. Primò, quod ubi eſt objectum contingens & liberum, & proponitur ut tale voluntati, ibi eſt proſecutio objecti libera. Secundò, quod tale eſt omne objectum creatum, perfectionem ſolùm finitam habens, quæ minimè ſatiare poteſt ejus appetitum; cùm eum explere non poſſit, quidquid Deo minus eſt. Tertiò, quòd bonum, quòd proponitur voluntati, etſi objectum ſit voluntatis, reclamantibus paſſionibus nonnunquam apparet malum, & à voluntate reſpuitur: ut videre eſt in avaro, cui eleemoſyna mala videtur, ſi conſilium accipiat à paſſionibus. Ex quibus arguit D. *Thomas*, quod ex indifferentia objecti, oritur indifferentia intellectûs judicantis, & ex indifferentia intellectûs, indifferentia voluntatis. Quam doctrinam iterum repetit, quæſt. 13. art. 6. & q. 109. art. 3. Et 1. p. q. 6. art. 5. & q. 83. art. 1. ubi ſic concludit: *Particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia, & ideo circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum, ſed pro tanto neceſſe eſt, quòd homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo quòd rationalis eſt.* Solùm enim voluntas movetur neceſſariò ab objecto illo, quod eſt univerſale bonum; minimè tamen à bono particulari, quod ipſa poteſt non velle. Hoc non velle agnoſcit homo eſſe in ejus poteſtate; at minimè quod ſub ejus electione cadat poſſe non eſſe felicem: quod neutiquam in deliberationem cadit.

36. Ex quibus omnibus manifeſtè conſtant hæc duo. Primùm eſt, voluntatem, judicio proponente objectum ſine indifferentia, præventam, non poſſe tendere in illud amore libero. Secundùm eſt, voluntatem præventam judicio indifferenter proponente objectum, non poſſe in illud ferri amore neceſſario. Et utriuſque ratio eſt, quia ſicut à potentia neceſſaria, in ſenſu compoſito ſuæ neceſſitatis, nullius vi, aut efficacia poteſt educi actus liber; quia illâ ſuppoſitione factâ, talis actus eſt implicatorius; ita etiam à potentia libera in ſenſu compoſito ſuæ libertatis, exire non poteſt in vi alicujus poteſtatis actus neceſſarius, quia ex illa ſuppoſitione non eſt minus talis actus repugnans & implicatorius; cum ergo voluntas conſtituatur potentia neceſſaria per determinationem judicii, & conſtituatur in ratione potentiæ liberæ per in-

dif-

differentiam judicii, quia teſte D. *Thoma* q. 24. de verit. art. 2. *Tota ratio libertatis ex modo cognitionis pendet*: hinc fit, quod ſicut affirmatio eſt in cauſis præciſis cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis; & ex conſequenti, ſicut à voluntate præventa judicio neceſſario non poteſt exire actus liber, ita neque à voluntate procedere valet actus neceſſarius, ſi ſemel ſit judicio indifferenti præventa. Quod videtur agnoviſſe *Calvinus*, qui, ut aſſereret, tolli per Dei motionem libertatem, compulſus eſt negare motionem moralem, exequentem indifferentiam potentiæ. E contra vero Pelagius libertatē per auxilium ex ſui natura efficax auferri credidit, etiam ſi ſupponeretur voluntas auxiliis moralibus præventa. Non enim, etſi Vir perſpicacis ingenii, aſſurgere valuit, ut videret, & modum operandi in voluntate per modum neceſſitatis, & naturæ, & modum operandi per modum indifferentiæ, & libertatis. Primus tunc accidit, cum voluntas propter neceſſitatem judicii rapitur ab objecto, cum tunc operetur voluntas ut natura, & concurſum petit ſibi dari, eo modo quo agens naturale, cùm eſt in ultima diſpoſitione ad operandum, Secundo modo operatur voluntas, quoties judicium proponens objectum, & convenientiam actûs, proponit ſimul rationes, quibus poſſit retrahi ab objecti proſecutione. Cum enim capacitas illius ad bonum univerſale ſe extendens, à nullo particulari poſſit omninò determinari, aut rapi, inde eſt quod remanens ſub indifferentia, concurſum petit pro modum libertatis ſibi dari, qui nec dominii, nec poteſtatis excludit indifferentiam, ut repetit ibi D. *Thomas* art. 4. Conſtat ergo, quod ex parte judicii requiritur ad libertatem indifferentia compoſita cum motione Dei efficaci, & quod ſtante tali indifferentiâ voluntas non poteſt à Deo neceſſitari.

37. Ex tota hujus Dubii doctrina colligitur, quantùm diſtet à veritate Caducifer, qui p. 2. punct. 4. num. 40. ſequentia affirmat: *Quo accedit tùm, quòd qui hos tres libros D. Auguſtini perlegerit, ubi res erat radicitùs explicanda, vix reperiet S. D. confugere ad indifferentem propoſitionem judicii, & rationis pro expediendis naturâ, & muniis liberi arbitrii; benè verò inveniet, quòd fundus totius libertatis ſit quoddam dominium ſui quoad velle, vel nolle, agere, vel non agere, quomodocumque proponatur objectum. Tùm quod tom. 7. lib. de grat. & lib. arbit., ubi hoc radicaliter ex Scripturis Sanctis ſtabilire contendit, totus eſt S. D. (quin memoret indifferentiam judicii) in congerendis textibus probantibus velle, & nolle pro libito voluntatis ſic concludens. [Et cætera hujuſmodi. Nempe ubi dicitur. Noli hoc, & noli illud: & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur; ſatis liberum demonſtrant arbitrium.] Conficitur ergo, quòd præter mentem hujus Aquilini Doctoris excogitata eſt ſuperior radix intellectiva, ſtructuraque libertatis. Atque dum alicubi de vera, & perfecta libertate locutus, videatur dicere, eò liberiora agentia eſſe, quò magis Deo conjuncta; id intelligendum eſt, non tam de libertate ſcholaſtica, ſive indifferentiæ, quàm de libertate à peccato.* Hæc ille; quæ quàm aliena ſint à mente S. Doctoris, oſtendunt tot ſupra adducta teſtimo-

ſtimonia, oppoſitum expreſsè aſſeverantia. Quid ergo de *Chriſto* dicendum, an non habuit libertatem ſcholaſticam, & indifferentiæ? Ergo non meritus eſt ſuis actionibus, cùm ad meritum, vel demeritum requiratur libertas indifferentiæ. Quid de Deo dicendum per reſpectum ad creaturas? An eas non liberè, libertate ſcholaſticâ, & indifferentiæ produxit? An non liberè eâ libertate electos ſuos prædeſtinavit? Quòd ſi hæc omnia ex neceſſitate naturæ facit, quas ei gratias debebimus pro beneficiis creationis, prædeſtinationis, vocationis ad fidem, juſtificationis &c., ſi aliter facere non potuit. Sed quid in his immoror? En quàm verum, quòd quibuſdam propriæ opiniones adeò altè inſident animis, ut nullâ vi, aut ratione dimoveri valeant.

DUBIUM III.

An liberum Hominis arbitrium ſit non ſolum à coactione, ſed etiam à neceſſitate liberum?

§. I.

1 UT præſentis dubii deciſio ſuis propriis ſtabiliatur fundamentis, prius quorumdam terminorum amphibologiæ ſunt explicandæ, ne diſputatio æquivocationis vitio laboret. *Voluntarium dicitur illud, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis*. Unde quia in pueris, & amentibus non eſt propria cognitio finis, non eſt in illis voluntarium perfectum, ſed imperfectum, quod ſolet ſpontaneum vocari. E contra, *Violentum* communiter à Philoſophis definitur, *quod eſt à principio extrinſeco paſſo non conferente vim*: quæ ultima verba non ſunt intelligenda negativè, quaſi ſufficiat ad violentiam, ſubjectum non cooperari motui violento; ſed poſitivè, & contrariè, ita ut paſſum poſitivè renitatur, & reſiſtat extrinſeco agenti: aliàs infuſio habituum, & donorum ſupernaturalium violentia eſſet, cum natura nullam conferat vim ad eorum infuſionem, ſed per potentiam obedientialem illa recipiat. Id enim exprimit ipſa ratio violenti, quod ſit vi illatum, nulla autem fit vis, ubi nulla eſt poſitiva reſiſtentia. *Coactum*, dicitur illud, *quod eſt à principio extrinſeco paſſo nihil conferente, ſed potius reluctante*: minimè tamen ex hoc confundendum coactum cum violento, nec coactum cum involuntario, quia violentum exigit eſſe contra inclinationem tàm elicitam, quàm innatam. Ita aquæ, dum aſcendit ad replendum vacuum, aliqualis fit violentia, quia ſcilicet motus ille, licet ſit juxta præcipuam ejus inclinationem, quâ reſpicit bonum univerſi, cujus eſt pars; eſt tamen contra ejus ſpecialem inclinationem. Qua ratione defendit D. *Thomas* 1. p. q. 103. art. 8. ad 3. & q. 105. art. 6. ad 1. & 3. p. q. 22. art. 2. quæſt. 1. de potentia art. 1. ad 3. & 3. cont. Gent. cap. 100. Deum nihil violentum ſimpliciter tale operari in ſuis creaturis. Aqua ergo violentiam patitur, ſed propriè non cogitur in tali mo-

motu, quia coactio exigit eſſe contra inclinationem elicitam rei, unde coactum propriè opponitur ſpontaneo, & convenit Brutis, dum moventur contra inclinationem appetitus ſenſitivi. *Involuntarium* dicitur illud, quod eſt contra inclinatiouem elicitam voluntatis, ut quando homo impellitur ire, quò non vult, vel privatur propria operatione contra voluntatem efficacem operandi. Sicque omne involuntarium eſt coactum, non tamen omne coactum eſt involuntarium, quia actiones Bruti poſſunt eſſe coactæ, non tamen involuntariæ: omne coactum eſt violentum, ſed non è contra, quia motus aquæ, vel lapidis poteſt eſſe violentus, ſed nullo modo coactus, quia res inanimata coactionis eſt incapax. Et tandem *neceſſarium dicitur illud, quod ita eſt, ut non poſſit non eſſe.*

2. Secundò apprimè notandum ex Angelico Præceptore 1. 2. q. 6. art. 4. quod licèt Deus poſſit ex neceſſitate movere voluntatem hominis, cogere tamen voluntatem quantum ad actus elicitos, ex terminis repugnantiam involvit. Neceſſitari voluntatem à Deo, qui eſt Author naturæ nihil vetat, ſed tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo illam. Cogere voluntatem eſt quid impoſſibile: cogere enim aliquid eſt contra ſuam ipſam inclinationem movere. Et ideo poteſt quidem homo cogi, cum movetur contra propriam voluntatem (quæ eſt propria hominis inclinatio) ſive ad intelligendum, ſive ad ſentiendum, vel ambulandum, & cætera id genus: Attamen voluntas non cogitur. Nam cum ſua inclinatio eadem ſit, intranſitivè ac ipſius actus, quomodocumque, & undecumque habeat velle, vel nolle, eſt ſua inclinatio, atque adeo repugnat tales habere actus contra ſuam inclinationem. *Duplex namque eſt actus voluntatis* (inquit Divus Thomas) *unus quidem ab ipſa immediatè elicitus, ſcilicet velle. Alius à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, ut ambulare... Quantum ad* ISTOS, *voluntas violentiam pati poteſt... ſed quantum ad ipſum proprium actum voluntatis non poteſt ei violentia inferri... Unde contra rationem ipſius actus voluntatis eſt, quod ſit coactus, vel violentus;* Unde licèt homo poſſit *per violentiam trahi: quod hoc ſit ex ejus voluntate, repugnat rationi violentiæ.* Hanc doctrinam repetit q. 22. de verit. art. 5. quam & docent Divus Anſelmus de liber. arbitr. cap. 3. *Ligari poteſt homo & invitus, quia nolens: poteſt torqueri invitus, quia nolens; poteſt occidi: Velle autem non poteſt invitus, quia non poteſt velle, nolens velle.* D. *Bernardus* lib. *de grat. & lib. arbitr.* cap. 1. *Eſt enim habitus animi liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis; nec negat ſe, nec præbet cuiquam, niſi ex voluntate. Alioquin ſi compelli valet invitus, violentus eſt, non voluntarius. Ubi autem voluntas non eſt, nec conſenſus. Non enim eſt conſenſus, niſi voluntarius.* Et Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 27. Quæ enim magis inter ſe contraria, quàm voluntarium, & violentum? Ergo ſi omnis actus voluntatis eſt voluntarius, nullus poteſt eſſe violentus; ſi omnis eſt ſecundùm ſuam inclinationem, vel actualis quædam ejus inclinatio; quomodo & idem actus poteſt eſſe

con-

contra propriam ejus inclinationem, vel ſit actus neceſſarius, vel liber? Uterque enim eſt à principio intrinſeco cum cognitione, & actualis inclinatio voluntatis.

3. Nullus hucuſque fuit tam inſanæ mentis, ut dixerit, liberum arbitrium non eſſe à coactione liberum. Quis enim aſſerere poteſt, voluntatem non velle, dum vult; ipſumque voluntarium auferri poſſe ab actibus voluntatis? Sic nec Aſtrologi Judiciarii, nec Manichæi, nec Wiclephus, nec tandem Lutherus veritatem iſtam negavêre. Non Manichæi, ut obſervat Cardinalis Bellarminus de grat. & liber. arbitr. lib. 5. cap. 26. *Neque vero loquitur de libertate à ſola coactione: nam ea non repugnat fato, cui tamen repugnat libertas à neceſſitate. Poteſt enim ſpontè fieri, quod fato fit, non poteſt autem, quod fato fit, non neceſſariò fieri.* Non hanc negavit Wiclephus, peccandi neceſſitatem ex præſcientia ſolùm inferens: nempè *Deus præſcivit Petrum eſſe peccaturum: ergo neceſſe eſt, ut peccet*: quæ certitudo præſcientiæ eſt compoſſibilis cum libertate à coactione; ut ibi notat Cardinalis Bellarminus dicens: *Illi autem non negabant liberum arbitrium à coactione liberum; libertas enim à coactione facillimè cum gratia copulatur, immo etiam cum fato, & quavis alia cauſa determinante ad unum.* Hanc non negavit Lutherus, de quo in Concilii Senonenſis præfatione dicitur: *Aufert etiam ipſe, ut Manichæus liberum arbitrium.* Et infrà: *Lutheranæ ſectæ fons & origo Wiclephus, cuique Lutherus per omnia fermè conſentit.* Sic Hæretici iſti de vanitate convenientes in id ipſum contra libertatem liberi arbitrii, in cauſa ſolùm erroris ad invicem ſibi diſſentiunt. Mos namque apud ipſos perpetuus eſt, ut de eadem re communis & unus nuſquam ſit diſcurrendi modus; dummodo ſint in errore concordes. Omnes iſti veram neceſſitatem abſolutam deſtruentem liberum arbitrium apertè profitentur, quam in ipſis, & non neceſſitatem coactionis, damnavit Eccleſia. Damnavit namque aliquid ab ipſis aſſertum pugnans cum veritate libertatis Catholicæ: ergo Eccleſia contra ipſos liberum arbitrium definiens, damnat non eſſe à neceſſitate liberum, quod ſolùm dicebant ipſi.

4. Sed cum Hæreſis Hydra verè ſit, ſibi non conſtans, nec uno capite contenta, ſæpeque, quò pejor eſt, reviviſcit in maximam Reipublicæ Chriſtianæ perniciem, & jacturam, *Calvinus*, *Bajus*, & *Janſenius* in eumdem conſpiravêre errorem. *Calvinus* eum expreſsè profitetur lib. 2. de liber. arbitr. contra Pighium. *Non adeo ſuperſtitioſus ſum in verbis, ut ejus cauſa velim contentionem aliquam movere, modò intelligentia ſana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium, & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro Hæretico habeo eum, qui ſecus ſentiat.* Ipſe propterea negavit libertatem deſtrui cum neceſſitate ex vitio naturæ orta; qui error damnatus fuit in Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum arbitrium ... non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.* Quo ſuppoſito, fit argumentum: ſed cum poſſe diſſentire non ſtat neceſſitas ad unum extremum: ergo damnat Concilium dicentes ſalvari liberum arbitrium, dum non

eſt

eſt à neceſſitate liberum. Immo can. 5. definit, liberum arbitrium hominis poſt Adæ peccatum non eſſe amiſſum, vel extinctum, viribus licet attenuatum, & infirmatum: ſed libertas à neceſſitate antecedente, quæ adeſt, dum actus non regulatur judicio indifferenti; ex quo probat *D. Thomas* libertatem 1. p. q. 83. art. 2. ad 2. eſt libertas, quæ infirmari, vel attenuari poteſt: Ergo ſola libertas à neceſſitate fuit vulnerata, remanente tamen libero arbitrio in bonis, & in malis ab omni coactione, & neceſſitate omninò immuni.

5. Illud idem perverſum hæreticumque dogma damnatum fuit à *S. Pio V.*, & *Gregorio XIII.*, & *Vrbano VIII.* pernicioſos *Baii* errores proſcribentibus. Propoſitio namque *Baii* 66. talis erat. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et 39. *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* Quid clariùs? Benè namque infertur: ſi ſola coactio opponitur libertati: ergo ſalvatur libertas eſſentialiter cum neceſſitate, quæ non eſt coactio. Antecedens damnatum eſt: ergo & conſequens. Iterum benè valet: ſi omne, quod voluntariè fit, liberè fit: ergo actus neceſſarius, qui eſt voluntarius, liberè fit, & ſufficienter ad meritum; ſed antecedens damnatur, ut hæreticum: ergo & conſequens.

6. Hæreticorum iſtorum errori ſimilis eſt & error *Janſenii* docentis libertatem hujus ſtatus ad merendum, vel demerendum neceſſariam opponi dumtaxat coactioni ac violentiæ, non verò ſimplici neceſſitati mutabili, ac tranſeunti. Ita de Gratia Chriſti lib. 6. cap. 6. duplicem neceſſitatem diſtinguit, unam coactionis, & aliam ſimplicem, ſeu voluntariam; aitque, illam, non verò iſtam repugnare libertati, *Ex quibus*, inquit, *conſectaneum eſt, omnem omninò voluntatem quantuncumque ad unum determinatam, nullâ tali neceſſitate, quâ dicitur neceſſe eſſe, ut velit, deſinere eſſe liberam, quia non deſinit eſſe voluntas, quæ non eſſet, ſi nollemus...* Et poſtea. *Sicut libertas eſſe non poteſt ſine voluntate, ità nec voluntas ulla ſine arbitrii libertate.* Et infra: *Neſcio quid manifeſtius, urgentiuſque proferri poſset ad demonſtrandum volitionis cujuſque libertatem, etiam illius, quam nos habere neceſse eſt.* Et cap. 12. *Nunquam interitum libertati timet Chryſoſtomus, niſi à neceſſitate violentiæ, atque coactionis, quâ abſente ſatis eſt, quod ſpontè, volenteſque peccant, & benè faciunt.* Quod & lib. 8. cap. 19. & alibi paſſim aſſerit, *nullam neceſſitatem actibus voluntatis liberis eſse formidandum, ſed ſolam coactionem, aut neceſſitatem violentiæ.*

7. Hoc diſertis verbis profert, & ita perſeveranter propugnat, ut lib. 1. de ſtat. natur. lapſ. cap. 21. dixerit, quod etſi voluntas in vita hac tam firmiter malo adhæreret, quàm Beati in cœlis bono adhærent, adhuc tamen libera foret his verbis. *Sic ergo & hic* (hoc eſt in præſenti vita) *etiamſi ille perverſus amor ſui, in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapſa eſt, & in quo ex juſtiſſima Dei damnatione perſeverat, & ex quo omnis actus, vel omiſſio damnatæ voluntatis fluit, firmiſſimè adhæret voluntati, imò etiamſi non ſolum ſpecificatione, ut nunc eſt, ſed etiam exercitio, quemadmodum amor beatificus, eſset neceſsa-*

rius , non tamen ex Auguſtini mente deſineret eſſe liber . Hoc non per tranſennam inſinuat , ſed conſtanter affirmat dicto lib. 6. cap. 31. *Neque enim* , inquit , *quiſquam , ſpero , ita deſipuerit , ut hominem etiam viatorem libertatem amiſſurum putaret , ſi liberrimâ , & liberatrice charitate ita humanum liberaretur , & firmaretur arbitrium , ut quod Beatis jam in præmium retributum eſt , in hac vita conſtitutus amplius jam peccare non poſset* . Et lib. 8. cap. 17. *Si etiam in hac vita Dei inſpiratio tàm ſtabiliter , ac delectabiliter , Deo operante inhæret voluntati , ut eam non poſset abjicere , feliciſſimum , fortiſſimum , liberrimumque meritò diceretur , atque eſset arbitrium* . Quod cap. 15. dixerat . *Quæ manifeſtiſſimè clamant , gratiam quamcumque efficacem , etiam talem qualis in Cœlo cum ſumma delectatione dabitur , nullo modo tollere libertatem , quia non tollit voluntatem , hoc ipſo videlicet , quo eam non cogit , aut invitam rapit ; ſic enim diligit Deum , ut velit ſe diligere , & ideo in actu volendi ſe ipſum movet , & ipſi dominatur , & pro tanto dicitur liberum* . Quæ omnia manifeſtè convincunt , ac oculis ipſis ſubjiciunt , Janſenium ſolum admiſiſſe libertatem hujus ſtatus ad merendum , vel demerendum neceſſariam , quæ eſſet excluſiva coactionis , & violentiæ ; non tamen ſimplicis neceſſitatis .

8. Hæc *Janſenii* ſententia eadem eſt *Lutheri*, ac *Calvini*, qui nunquam eo ſenſu negavêre liberum arbitrium , ſed eo tantùm , ut negarent nobis ineſſe indifferentiam ad utrumlibet. Expreſsè id affirmat *Lutherus* tom. 3. de ſerv. arbitr. *Sequitur neceſsariò nos operari : neceſsariò dico , non coactè . . . . Hoc eſt , homo cum vacat Spiritu Dei , non quidem violentia , vel raptus obtorto collo facit . . . Sed ſpontè , & libente voluntate facit* . Hoc idem fatetur *Calvinus* lib. 2. inſtit. cap. 1. §. 7. *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo , non quia liberam habet boni , æquè ac mali electionem , ſed quia mali voluntate agit , non coactione* .

9. In eodem promulgando errore ſuberrarunt eorum ſectatores, ac diſcipuli . *Chamier* tom. 3. lib. 2. cap. 1. num. 12. *Noſtri ſtatuunt , poſse quidem cadere in arbitrium libertatem à neceſſitate , ſed non ita , ut ſit de ejus eſsentia : ſicque libertatem poſse conſtare demptâ coactione , ſive violentiâ , etiamſi adſit aliqua neceſſitatis ſpecies* . Idem propugnat *David Paræus* lib. 5. de grat. & liber. arbitr. cap. 1. *Nulla neceſſitas ex omnibus libertati noſtræ repugnat , niſi duæ : una phyſica , ſeu naturalis , quæ eſt determinatio naturæ bruti ad unum ſemper eodem modo agendum ; altera coactionis , ſeu coactionis neceſſitas , quæ eſt determinatio naturæ rationalis ad unum , præter , vel contra voluntatem , à violento externo principio* . *Differimus à Pontificiis* , inquit *Joannes Scarpius* lib. 2. de liber. arbitr. cap. 3. *illi ad liberum arbitrium conſtituendum ajunt, requiri non tantum libertatem à coactione , ſed etiam à neceſſitate . Nos vero dicimus , neceſſitatem in agendis liberum arbitrium non tollere* . Idem legitur in *Synodo Dordrechtenſi* : *Voluntas hominis per eſsentiam ſuam ſemper manet libera , etiam quando ad unum determinatur . . . Nam libertas non pugnat cum omni neceſſitate , & de-*

& determinatione; pugnat equidem cum determinatione violentiæ, ſeu cum neceſſitate coactionis, ſed optimè convenit cum neceſſitate infallibilitatis: De Lutheranis, & Calviniſtis Synodus Dordracena pag.706. & 707. ſic loquitur: *Voluntas hominis ſemper manet libera, etiam quando ad unum determinatur.... Nam libertas non pugnat cum omni neceſſitate, ſed tantum cum neceſſitate coactionis*: ergo cum idem ſit ſenſus, & opinio Janſenii, ſitque hæc tam intimo nexu cum errore Lutheri, & Calvini cohærens, dum ad demerendum non requirit libertatem à neceſſitate, ſed dumtaxat libertatem à coactione, meritò proſcripta à Summis Pontificibus *Innocentio X.*, & *Alexandro VII.* tertia Janſenii Propoſitio, quæ ex principiis *Calvini* & *Lutheri* neceſſariò defluit. Quam conſequentiam nullo ſubterfugio vitare poſſe, vidit ipſe: cum enim lib.8. de grat. Chriſti cap.21. hoc ipſum ſibi proponeret argumentum, in hoc ab ipſis non diſcedere, videtur confiteri. *Objicietur fortaſſis adverſus iſtam gratiæ, & liberi arbitrii concordiam, eam à ſententia Calvini non differre. Sic enim utrumque invicem conciliat, ut dicat hominem vi gratiæ non ità trahi, ut ſine motu voluntatis quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intùs affici, ut iſta voluntate obſequatur; hoc eſt voluntariè tantùm, non liberè influere in opera bona voluntatem: quæ ſententia à Concilio Tridentino diſſonat.* Sic reſpondet: *Non omnia, quæ Hæretici docent, ſunt hæretica*: nolens in hoc ab ipſorum recedere ſententia. Quare & ſuas fecit, ac renovavit *Baji* Propoſitiones. Hoc apprimè conſtat ex propoſitione 39. *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.* Et ex 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et ex 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.* Non in 39. damnat Pontifex fieri liberè libertate à coactione, quod neceſſariò fit; cum hoc verum ſit de omni actu voluntatis, quantumvis neceſſario; ergo in dicta propoſitione ſolùm damnatur fieri liberè verâ libertate id, quod neceſſariò fit. Non in propoſitione 66. damnat Summus Pontifex ſolam violentiam adverſari libertati à coactione; quia hoc verum eſt: ergo ſolùm damnat, quòd ſola violentia repugnat libertati, quæ ſit verè, & propriè libertas; qualis non eſt libertas à ſola coactione. Quare propoſitione 41. libertatem à neceſſitate excluſit *Bajus* à conceptu veræ libertatis, dicens: *Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis; ſed ſolùm nomen libertatis à peccato.* Quarè dum ſolùm in ſtatu naturæ lapſæ libertatem à coactione agnoſcit, veram & ſimpliciter talem libertatem rejicit.

10. Pernicioſi errores iſti iidem ſunt, aut ferè ſimiles illis, qui hac tempeſtate repullulare in *Queſnello* videntur, cum clarè ſatis contineantur in propoſitionibus à SS. D. *Clemente Papa XI.* damnatis in ſua Bulla *Unigenitus*; ſcilicèt in 1. 36. & 38. cum quibus conveniunt 2. 3. 4. 7. quibus gratiâ efficaci carentibus, non ſolùm omnem denegat actionem bonam, ſed & ejus eliciendi poteſtatem. Eidem errori ſuffragantur propoſitiones 7. 8. 22. 23. 24. 25. in quibus eam deſcribit gratiæ efficaciam, ut in poteſtate hominis non ſit recuſare conſenſum.

Et cum ſimiliter Janſenianum dogma fundetur in eo, quod nullum ſit auxilium gratiæ interioris ſufficiens, ſed omne efficax, quod conſtitutivum poteſtatis ad ſalutariter operandum agnoſcit: neceſsè eſt ut qui ſuccumbit tentationi concupiſcentiæ conſentiens, ſine libertate peccet; utpote ſemper deſtitutus auxilio gratiæ ſufficientis ad non peccandum. Illi verò, qui meritoriè operari poſſunt, ſemper meritoriè exercentur, & neceſſariò, quia omnis gratia interior dans poſſe, ſimul eſt efficax, ad merendum. Ex quo ſequitur quod hìc Janſenii error comprehendatur in Queſnelli propoſitionibus 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. nullam agnoſcentis gratiam, cui voluntas poſſit reſiſtere; quod ſanè principium corrigere deberent ipſi, ut errores conſequentes devitarent, nè rebelli adhuc obſiſterent contumaciâ: cujus examen, ac oſtenſionem ad proprium locum remittimus.

11. Contra omnes ſtat Angel. Præceptor 1.p.q.19.art.10.in corpor. Et q. 28. art. 1. ad 3. Et q. 83. art. 2. ad 2. Et art. 3. in corpor. Et 1.2. q.13. art. 6. Et q. 2. de potent. art. 3. ubi ait: *Voluntas in quantum voluntas, cum ſit libera, ad utrumlibet ſe habet: poteſt enim voluntas agere, vel non agere, ſic vel ſic facere, velle, & non velle.* Et q. 22. de verit. art. 5. ad 5. *Quod voluntas inquantum rationalis eſt ſe habet ad oppoſita.* Et art. 6. *Cum voluntas indeterminatè ſe habeat reſpectu multorum, non habet reſpectu omnium neceſſitatem.* Et q. 24. art. 1. Negat brutis libertatem, non quia cogantur, cum manifeſtum ſit, quòd plurima agant ſine coactione, ſed quia illorum judicium eſt omnino determinatum ad unum. Et art. 4. *Secundùm hoc aliquid liberè fieri dicitur, quod eſt in poteſtate facientis.* Ex quibus eſt evidens, quod de mente Angel. Præceptoris (cui adverſarii affingere temerè volunt hanc ſententiam) libertas arbitrii non tantum eſt libertas à coactione; ſed etiam à naturali neceſſitate.

12. Sed clariùs contra ipſos ſpiritu prophetico inſurgit q.6. de malo art. unic. veritatem iſtam, ut Catholicum dogma proponens. Inquirit enim: *Nùm homo habeat liberam electionem actuum, aut ex neceſſitate eligat?* Reſpondet autem in corpore articuli: *Dicendum, quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſsitate movetur ad aliquod eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne neceſsarium eſt violentum, ſed ſolùm id, cujus principium eſt extra: unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſsarii, non tamen violenti: violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario, quia utriuſque principium eſt intra, violenti autem principium eſt extra.* An non hæc eſt *Janſenii*, & *Queſnelli* poſitio, quam tantopere probare, & variis teſtimoniis, & rationibus confirmare conantur? At, quid reſpondet *S. Thomas*, ſeu quam de iſta opinione ſententiam profert? En ejus verba: *Hæc autem opinio eſt hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actionibus. Non enim videtur eſse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, quod vitare non poſsit. Eſt etiam adnumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolùm contrariatur Fidei, ſed ſubvertit*

omnia

omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit. Hujuſmodi autem opiniones, quæ deſtruunt principia alicujus partis Philoſophiæ dicuntur propoſitiones extraneæ: ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia ſcientiæ naturalis. Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines partìm quidem propter protërviam, partìm propter aliquas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt.

13. Hic Angel. Præceptoris diſcurſus magnum Thomiſtis, tàm acriter exagitatis, debet eſſe ſolatium, egregiumque omnibus documentum, ut cognoſcant quàm verè ac prophetìcè dixerit S. *Pius* V. Ord. Præd. *Omnipotentis Dei Providentiâ factum eſt, ut Angel. Doctoris vi, & veritate doctrinæ, multæ, quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, diſsiparentur.* Cum ergo ad errorem iſtum devincendum, nulla aptior, nec magis conveniens poſſit adaptari ratio, juxta reſolutionis Angelicæ mentem, duplici ſequenti concluſione reſolvitur dubium. Prima ſit

§. II.

De Fide eſt, voluntatem lapſam eſſe à neceſſitate liberam.

14. HAnc probat D. *Thomas*; quia aliàs non eſſet capax meriti, aut demeriti, quæ ratio ut notat Illm̃us *Godoy* tract. de merit. Chriſti, diſp. 48. ſect. 7. *Univerſalis eſt, & omnes ſtatus hominis comprehendit.* At non ſolùm, omnes ſtatus hominis comprehendit, ſed Angelos, & homines, ut teſtatur *Juſtinus Martyr.* Apol. 1. *Sed enim quia liberi arbitrii, & Angelorum, & hominum genus ab initio creavit Deus, juſto judicio pro peccatis ſuis ſupplicium in igne ſempiterno reportabunt. Illa quippe ortæ cujuſque rei natura eſt, ut virtutis, & vitii ſit capax, neque quidquam eorum quæ creata ſunt laude dignum eſſet, niſi vim, ac poteſtatem alteroverſum ſe convertendi obtineret.* Adſtipulatur Iræneus lib. 2, adverſ. hær. cap. 11. *poſuit autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum in Angelis.* Nullum quippe eſt meritum, niſi per actum liberi arbitrii; nec actus liberi arbitrii, qui non ſit à neceſſitate liber, ut probat *Bellarminus* lib. 3. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. *Sic in Chriſto Domino fuit verum meritum*, ut conſtat ex illo *Iſaiæ* 63. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Ad Rom. 5. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.* Ad Epheſ. 2. *Deus autem qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratia eſtis ſalvati).* Et ad Philippenſ. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis,*

Pro-

Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Et Concilium Tridentinum ſeſs.6. cap.7. *Meritoria autem, dilectiſſimus Unigenitus ſuus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui, cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, ſuâ ſanctiſſimâ Paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit*: & non fuiſſe in Chriſto ad tale meritum libertatem contradictionis, ut falſum, improbabile, & contra fidem rejiciunt communiter Theologi. Videatur Magiſter *Ferre* tract. de voluntario, q. 6. à ſect. 8. uſque ad 16. à num. 720. Et Illmus *Godoy* loc. citat. ubi contra aſſerentes Chriſti meritum per actus ſpontaneos, ſic concludit: *Ergo aſſerere liberum à coactione, etſi neceſſariò factum, eſſe liberum abſolutè, & ſufficienter ad meritum, eſt à Pontificibus damnatum*. Et eſt expreſsè contra fidem. Dicitur enim *Joann.* cap. 10. *Ego pono animam meam ... nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi illam*. Quibus verbis exprimitur poteſtas ponendi animam ſuam, expers coactionis & neceſſitatis & conſequenter libertas conſiſtens in poteſtate, & dominio ſupra proprios actus. Rurſus *Iſaiæ* cap.53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Supra quæ verba dicit D. *Hieronymus*, *non neceſſitate, ſed voluntate Crucem ſubiit*; ſed voluntas excludens neceſſitatem, eſt voluntas libera à neceſſitate: ergo hæc libertas fuit in Chriſto. Docent etiam unanimiter Theologi, Beatiſſimam Virginem Mariam non meruiſſe per actus purè ſpontaneos abſque libertate, vel contradictionis, vel contrarietatis, juxta diverſitatem ſententiarum, fuerit, vel non in B. Deipara libertas ſolùm contradictionis, vel etiam contrarietatis.

15. Angeli etiam meruerunt per actus à neceſſitate liberos, quod ut certum de Fide aſſerit RR. *Zumel* 1.p. q.50. ſuper art.3. ubi inquirit D. *Thomas*, *utrum in Angelis ſit liberum arbitrium?* Concluſio eſt affirmativa, & de Fide: *Quia in Angelis ſecundùm fidem eſt meritum, & demeritum, præmium, vel pœna*. Sic & primus homo in ſtatu innocentiæ fuit ad meritum, vel demeritum liber à neceſſitate, quod & ipſi *Calvinus*, & *Lutherus*, & *Janſenius* ut Fide certum ſupponunt; eſtque evidens. Quia aliàs in ſtatu innocentiæ impoſſibile eſſet præceptum, cum tunc peccarent neceſſariò, & damnabilitèr peccarent in eo, quod neceſſariò facerent, qui eſt error Baji damnatus propoſ.67. Nec Conſtitutio *Innoc. X.* ab *Alexandro VII.* contra Janſenium confirmata, oppoſitum probat, licèt loquatur ipſa de ſtatu naturæ lapſæ: quia, ut advertit P. *Platel* in Synopſi, p.3. ca.7. *Non eſt reſtrictiva, ſed ampliativa, ac ſi diceret, etiam in ſtatu naturæ lapſæ*; nec enim Summus Pontifex damnare debuit, quod & eſſe Hæreticum fatebatur *Janſenius*, ſicuti & alii Hæretici.

16. Suppoſito ergo, quod de Fide certum eſt, ad meritum in ſtatu innocentiæ requiri libertatem à neceſſitate, eâdem certitudine Fidei affirmant D. *Thomas*, omneſque Patres, & Doctores Catholici, voluntatem lapſam eſſe à neceſſitate liberam, quâ credimus, liberum arbitrium eſſe capax meriti, vel demeriti. Probant namque SS. PP. exiſtentiam libe-

liberi arbitrii, quia aliàs homo non eſſet capax meriti, vel demeriti: ergo cum ſit de fide certum, quod homo eſt capax meriti, & demeriti, eâdem fide tenendum, liberum arbitrium eſſe à neceſſitate liberum. Sic ſimiliter, quia de fide eſt, hominem cum Dei adjutorio poſſe credere, ſperare, & amare, ut conſtat ex ſeſs.6. *Concil. Tridentini* can. 3. oportet, quod poſt peccatum Adæ ſit in homine libertas à neceſſitate, quia meritum, ſive ſit fidei, ſive ſpei, ſive charitatis, eſſentialiter involvit libertatem indifferentiæ, ſeu connotat liberam poteſtatem, ex vi cujus taliter exiſtit, ut, ſi noluiſſet operans, non exiſteret.

17. Hoc ſanè exigit ipſa ratio meriti, nec alia poteſt ejus rationis formalis concipi idæa. Obtinet namque meritum veram obſequii rationem; & obſequium exiſtens ſub dominio merentis, per actus neceſſarios minimè exhibetur. Dat merenti jus ad præmium: ergo exigit bonitatem moralem per conformitatem cum regulis morum, quam nequit habere actus neceſſarius: quod enim ex ſua natura eſt determinatum, ut fiat, non indiget regulâ illius exiſtentiam dirigente, vel regulante. Naturalibus, ſeu neceſſariis non meremur, nec demeremur: ergo ſub dominio merentis ita eſt mereri, quod loco mereri, poſſit ſe exercere per non mereri; ſed ſine libertate à neceſſitate non ſalvatur ita eſſe ſub dominio, & arbitrio merentis, mereri, quod poſſit ſe exercere per non mereri: ergo ratio meriti ex ſuo conceptu formali exigit hanc libertatem à neceſſitate. Clariùs: Naturalibus non meremur, nec demeremur, quia neceſſaria ſunt; ſed actus elicitus à merente, ſi non eſt liber à neceſſitate, eſt actus neceſſarius: ergo pugnat cum ipſo ratio formalis meriti. Et tandem, quia, ut diximus, & ut eſt fide certum, in ſtatu naturæ integræ ad meritum requiritur libertas à neceſſitate: ergo & in ſtatu naturæ corruptæ eadem libertas à neceſſitate eſt eſſentialiter requiſita. Non enim SS. PP. vel Scriptura aliam ad meritum in ſtatu naturæ corruptæ requirunt libertatem, ac aliam in ſtatu naturæ integræ.

18. Conſtat primò ex illo Eccleſiaſtici 15. ubi dicitur: *Reliquit illum in manu conſilii ſui... appoſuit aquam & ignem* &c.. En ubi loquitur de libertate eſſentialiter pugnante cum neceſſitate ad unum: & de homine tàm in natura integra, quàm in natura lapſa. Loquitur namque Spiritus Sanctus de homine ſecundùm ſuam naturam, quæ eadem eſt integra, & lapſa, ſolùm cum differentia aliqua accidentali. Nec eſt fundamentum, ut applicetur ad naturam integram, non tamen ad naturam lapſam. Primò, quia jam definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſs. 6. can. 5. *Liberum arbitrium in homine poſt peccatum etſi infirmum, & debilitatum, non tamen fuiſſe omnino extinctum*; at, ſi non maneret indifferentia, ut huc vel illuc verteretur, eſſet extinctum, cùm per hoc definiatur à Spiritu Sancto: ergo ſecundùm fidem dicendum eſt, neceſſariam eſſe indifferentiam ad libertatem abſque neceſſitate ad unum extremum. Secundò, quia Geneſ. 4. Deus *Cainum* ſic alloquitur: *Si benè egeris, recipies; ſi malè, ſtatim in foribus peccatum aderit: ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Quibus verbis libertatem Caini prædicat, & indifferentiam ad bonum, & ma-

& malum. Ad quid enim adhortaretur, ut ſuo dominetur appetitui, ne faciat malum, ſi ad peccatum vi, & impetu concupiſcentiæ raperetur, ut inanimè quoddam? Ergo cùm Scriptura loquatur de homine lapſo; jam enim peccaverat *Adam*, cum Deus Cain allocutus eſt, datur in homine lapſo libertas indifferentiæ ad bonum, & malum. Tertiò, quia Eccli. 15. dicitur: *ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi*. Hic de homine lapſo loquitur Eccleſiaſticus, ſermonem inſtituens ad illius inſtructionem; ipſique libertatem proponit, ut inter bonum, & malum eligat quod voluerit: ergo cùm ubi eſt electio, ibi ſit libertas indifferentiæ, homo lapſus verè eſt liber libertate indifferentiæ ad bonum, & malum. Et tandem quia nullus Hæreticus negavit, liberum arbitrium eſſe vertibile, ſive flexibile, dum neceſſariò raperetur ad peccatum ſine gratia, & ad bonum cum gratia: ſed illos anathematizat Eccleſia ex hoc teſtimonio, & aliis ſimilibus: ergo aliam vertibilitatem, nempe activam, & indifferentis poteſtatis ex illis definit; & conſequenter damnata eſt ſententia Janſenii, Queſnelli, & aliorum, qui ita ponunt libertatem, quod illam ſalvent cum neceſſitate, ut contraponitur coactioni.

19. Conſtat ſecundò ex SS. PP., quorum hæc eſt perpetua, & conſtans ſententia. *Juſtinus* Apol. 2. *Irenæus* lib. 4. adver. Hæreſes. *Clemens Alexandrinus* lib. 4. Strom. *Damaſcenus* lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 26. Libertatem in prædicta indifferentia reponunt. Conſimiliter D. *Hieronymus* lib. 2. cont. *Jovinianum* cap. 2. *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſsitas eſt, nec condemnatio, nec corona eſt*. D. *Chryſoſtomus* tom. 10. ſerm. in verb. Iſaiæ, *Si volueritis*, ait; *Si velle, & nolle veſtrum non eſt, hoc eſt, ſi vivendi rectè, ac ſecùs libertas adempta nobis fuiſset, nec bonum unquam cœleſte donum perciperet dignè, nec malum ſupplicium competens inveniret*. *Tertullianus* lib. 2. adverſus *Marcionem* cap. 5. *Nec boni, nec mali merces repenſaretur ei, quia aut bonum, aut malum neceſsitate fuiſset inventum in voluntate*. D. *Cyprianus* lib. 3. *ad Quirinum* cap. 1. num. 52. idem aſſerit: *Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio poſitam in Deuteronom. Ecce dedi ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum: Elige vitam tibi, ut vivas*. Et ſerm. de Nativit. *In alterutrum poteſt libertas arbitrii flectere*. D. *Athanaſius* contra gentes cap. 4. de homine lapſo ſic loquitur: *Anima libera eſt, & ſui arbitrii; poteſt enim, ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari ... qui enim liberum ſui jus, arbitriumque intuetur, ſentit, ſe in utramque partem corporeis membris uti poſse, tùm ad ea, quæ ſunt, tùm ad ea, quæ non ſunt. Ea vero, quæ ſunt, bona appello, ea, quæ non ſunt, mala*. D. *Gregorius Nyſsenus* lib. 7. de Philoſophia cap. 2. *Concupiſcere, & non concupiſcere, mentiri, & non mentiri, & quæcumque talia, in quibus conſiſtunt virtutis, & vitii opera, hæc ſunt noſtro libera arbitrio*. Et Orat. Cathech. cap. 31. S. *Baſilius* in oratione: *Quod Deus non ſit Author malorum*: *Anima*, inquit, *ſoluta omni neceſsitate*,

te, & vitam in ſua poteſtate conſtitutam ex Deo accipiens, poteſtatem habet, & facultatem in boni contemplatione, & ſpiritualium fruiti ne manendi; habet autem & à bono deflectendi facultatem. D. *Bernardus* lib. de grat. & liber. arb. cap.2. *Cæterum quod ſui liberum non cognoſcitur, quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Porrò ubi neceſſitas eſt, libertas non eſt: ubi libertas non eſt, nec meritum, ac per hoc nec judicium.*

20. S. *Auguſtinus* tract.81. in Joannem affirmat, ita ſine gratia vivere hominem non poſſe, utique vitâ ſpirituali, ut & mors, id eſt peccatum, in poteſtate ſit liberi arbitrii. Et lib. de Correpț. & grat.cap.11. dicit: *Electis dari per gratiam, ut benè agant, non autem ut malè agere non poſſint.* Et Epiſt.214 *Si non eſt Dei gratia, quomodo ſalvat mundum? Et ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Et ennarrat.in Pſal.91. *aures tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum & ſuggerentem ſerpentem. Quare hùc flectuntur, hinc avertuntur? Non ceſſat ſatanas ſuadere malum; ſed nec ceſſat Deus admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua poteſtate eſt conſentire, & non conſentire. Proſper* lib.1. de vocatione Gentium cap. 8. admonet. *Non ideo, quia Spiritu Dei agitur homo, putandum eſſe, quod liberum arbitrium ad bona opera non habeat.* Et lib. 2. cap.28. dicit, *Deum ſic donare ipſum velle, ut etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem, quâ poſſint nolle, non auferat.* Ubi & latè docet, *poſſe eos, qui gratiâ Dei in Chriſtum credunt, non credere: & poſſe eos, qui perſeverant, recedere.*

21. Clamat tertiò contra ipſos D. *Thomas* cujus hæc ſemper certa, ſtabilis, & irrefragabilis fuit doctrina, tot clariſſimis teſtimoniis ſuperiùs citatis confirmata, quam & repetit in Diſputatis queſt. 29. de Grat. Chriſti art.6. in corpore: *Facultas merendi*, inquit, *requiritur ex parte naturæ, & ex parte gratiæ. Ex parte naturæ quidem; quia per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit Dominus ſui actus. Sic enim ſuum actum, quaſi pretium pro præmio dare poteſt. Eſt autem quis Dominus ſui actus per liberum arbitrium; unde naturalis facultas liberi arbitrii requiritur ad merendum. Ex parte verò gratiæ: Quia cum præmium Beatitudinis facultatem humanæ naturæ excedat, per naturalia pura ad illud merendum homo non poteſt ſufficere; & ideo requiritur gratia, per quam mereri poſſit.* Et lib.1.contra Gentiles cap 68. *Dominium*, ait, *quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exterius agentis; non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari, & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ Deus eſt, reſpectu motuum voluntatis.*

22. Quâ ergo fronte Novatores iſti ſe prædicant D. *Thomæ* Diſcipulos; quod conveniunt cum ejus Angelica doctrina, dum *Lalanius* quinque articulorum defenſor præcipuus coram *Innocentio* X. propoſitionem *Janſenii* tertiam, ſuam, ſuorumque eſſe declarat. *Tertia*, inquit, *propoſitio, ut à nobis intelligitur, ac defenditur: Ad merendum, & de-*

merendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate infallibilitatis, ſed ſufficit libertas à coactione, cum judicio rationali; ſi conſideretur præciſè eſſentia libertatis, & meriti; quamquam ex ratione ſtatus ſemper reperiatur indifferentia potentiæ, quâ voluntas etiam ſub gratia proximè neceſſaria, & ex ſe efficaci poteſt non velle; non tamen ut ſimul cum eadem gratia non velit. En ubi expreſsè aſſerit, quod ſi conſideretur preciſè eſſentia libertatis & meriti, non requiritur libertas â neceſſitate, & quamvis addat veluti excuſationem, *infallibilitatis*, latet venenum, cùm non aliam agnoverit libertatem à neceſſitate, ſed exprimat: *ſufficit libertas à coactione*. Nec minori fraude excuſare contendit errorem, dicens: inveniri indifferentiam potentiæ; cùm tamen, non ad rationem libertatis, & meriti, ſed ad rationem ſtatus duntaxat, illam reducat. Divus *Thomas* autem aſſerit, *quod dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus utrumque excludit, & determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis*. Stent ergo huic Angel. Præceptoris doctrinæ, ut ſic ceſſent ſcandala, & finiantur errores. Eſt namque fide certum, quod creati arbitrii libertas, & indiffetentia non conſiſtit in hoc, quod ipſum ſit mutabile, flexibile, & vertibile tam in bonum, quàm in malum, agens ſemper neceſsariò quidquid agit: non enim Hæretici negaverunt uſquam, ipſum ſic eſſe vertibile in hoc ſtatu viæ; nec *Calvinus* negavit, voluntatem hominis agere ſpontaneè, & ſinè coactione, atque ſub lumine, ac regimine rationis. Conſtat ex lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 7. *liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem; ſed quia malè voluntate agit, non coactione*: ſi ergo ille damnatur ut Hæreticus, evidens eſt, quod libertas non ſalvatur in ſola immunitate à coactione ſed in libertate indifferentiæ. Quarè illam mutabilem, vel immutabilem liberi arbitrii neceſſitatem excluſit Concilium Tridentinum dicta ſeſs. 6. cap. 5. & ulterius can. 1. utens verbis, *recipere inſpirationem, & poſſe abjicere, cooperari aſſentiendo Deo excitanti, & poſſe diſſentire*. Sicque per gratiam neceſſitari ad bonum, eſt aperta hæreſis. Modus namque iſte liberè agendi non conſiſtit cum hujuſmodi neceſſitate. Quare *D. Auguſtinus* lib. 1. retract. cap. 22. *Niſi quiſque mutaverit voluntatem, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus docet, ubi ait: aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malum, & fructum ejus malum. Quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus: in poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi detur à Deo, de quo dictum eſt; dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Et lib. 2. de Actis cum *Felice Manichæo* iterum dicit: *Cum ergo* (*Dominus*) inquit *aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim, niſi Deus facere arborem poteſt, ſed habet unuſquiſque in voluntate ſua, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala*. Cui conſonat *D. Thomas* negans, liberum arbitrium per gratiam neeeſſitari ad bonum citat. q. 6. de malo ad 3.

Deus

Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Et 1. 2. q. 10. art. 1. *Quia voluntas eſt activum principium, non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius niſi in his, ad quæ naturaliter movetur.* Et lib. 3. contra Gentes cap. 90. verba Damaſceni dicentis, *quod ea, quæ ſunt in nobis, Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat*: Exponenda eſſe ſcribit, ut intelligantur, *ea, quæ ſunt in nobis, Divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia.* Ergo de primo ad ultimum hæc Hæreticorum poſitio eſt clarè contra fidem, dum ita ponit libertatem, quod illam ſalvet cum neceſſitate, ut contraponitur coactioni.

23. Quid ergo ſugillant Novatores iſti, cùm ſolùm hìc doctrinam ab antiquis temporibus damnatam, iterum damnet Summus Pontifex? Nihil novum definitum eſt in tot citatis Queſnelli propoſitionibus. Antiqua fides ſtabilita de novo confirmata illuſtriùs fuit Conſtitutione *Unigenitus*. Libertatem, non coactionem modò, verùm etiam neceſſitatem excludere, doctrina eſt, quam innuit *Innocentius I.* in reſcripto ad Concilium Carthaginenſe, & *Cæleſtinus I.* epiſt. ad Epiſcopos Galliæ; quam & firmat communis Theologorum ſententia, *Bellarminus* lib. 3. de grat. & liber. arbit. cap. 4. *Ledeſma* tract. de auxil. diſp. de elect. ad glor. *Alvarez* diſp. 3. de auxil. num. 9. *Zumel* in 1. 2. diſcur. 2. aſſert. 4. *Franciſcus Horantius* Concilii Tridentini Theologus lib. 1. cap. 49. *Wigerius* in 2. quæſt. 6. art. 2. *Illuſtriſſimus Malderus* diſp 56. in 1. p. D. *Thomæ*. *Joannes Putaneus*, tom. 1. quæſt. 10. dub. 2. qui novorum dogmatum artificibus ſequentem opponit concluſionem: *Libertas ideo admittitur in nobis, non quod non cogamur, ſed multò magis quia non neceſſitamur inter operandum: ac proinde concedenda eſt in nobis libertas, nedùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate.* *Eſtius* in 2. ſent. diſt. 7. §. 7. in veri dogmatis defenſionem aſſerit: *Libertas arbitrii non ſolùm opponitur neceſſitati coactionis, quæ omninò à voluntate eſt aliena, verùm etiam neceſſitati naturali, quâ voluntas, etſi ſpontè agat, ſic tamen agit, ut non poſſit non agere. Dicendum igitur eſt arbitrii libertatem, quam contra Hæreticos veteres, & novos defendit Eccleſia, conſiſtere in facultate eligendi utrumlibet oppoſitorum.* Si ergo tot eruditiſſimi viri ſalvam libertatem agnoſcendam prædicant, per hoc quod ſit poteſtas agendi, & non agendi, nec ſufficere quòd gratia Dei cooperetur voluntas ſpontè, ultro, & non coactè, ſed quòd ita agat, ut poſſit non agere; mirum quod huic ſententiæ acquieſcere nolint Queſnelliani. At ut videatur quam longè a veritate diſtent iſti tam damnoſæ novitatis Patroni & quòd poſitiò eorum nedùm nihil meriti honeſtis actionibus attribuit, verùm quòd eſt vitiorum, & omnium iniquitatum origo, & ſentina corruptiſſima, ſit ſequens ſecunda aſſertio.

§. III.

Horum Hæreticorum opinio eſt annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones.

24. INcreſcit maximè alicujus erroris turpitudo, dum circa ipſa prima artis elementa erratur. Hinc *D. Thomas* ut errorem iſtum acrius reprehenderet, ipſum ad Philoſophiæ Moralis primordia, vel quaſi prima elementa referendum docuit, dicens: *Quia ſi voluntas ex neceſſitate movetur ad aliquid volendum, ſubvertuntur omnia principia Philoſophiæ moralis, tollitur enim deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus, & vituperium.* Quod adeo certum eſt, ut vix explicari poſſit, quantùm fœdum, & pollutum hoc dogma à virtute revocet hominem, & in omnem propellat iniquitatem: & cum Religio, & timor Dei ſint, & debeant eſſe frænum, & machera peccatorum omnium, opinio iſta non ſolum delicta non prohibet, aut ut turpia rejicit, ſed ut neceſſaria acceptat.

25. Deſtruitur namque primò deliberatio. Hæc enim ex ſui natura exigit, plura nobis proponi, ut voluntas pro ſuo nutu eligat, ut dicit *Euſebius* lib.6. de præpar. Evangel. *Et in noſtra poſitum eſt poteſtate, quod ex propriæ electionis motione fit.* Quam veritatem confirmat *Clemens Alexand.* lib.1. *Strom. quoniàm libera electio, & appetitio peccati primùm inchoat, jure infliguntur ſupplicia*, quibus verbis, dum electionem agnoſcit, & libertatis indifferentiam prædicat. Ejuſdem labii eſt *D. Thomas* 1. contra Gent. cap.88. *Electio ſemper fit per liberum arbitrium, & eſt reſpectu eorum, quæ non neceſſitate quis vult. Et ideo dixit Anaſtaſius Synaita: quomodo enim libera conſtabit electio, ubi contrariorum nulla eſt incurſio?* Et q.6. de malo: *Conſilium eſſe inquiſitionem viam habentem ad oppoſita; virtute cujus voluntas ſe ipſam movet, non neceſſitate, ſed cum poteſtate eligendi hoc vel illud.* Etenim ſi non eſt hæc eligendi poteſtas, quod ſemel amamus, ſemper & immutabiliter amaremus. Urget tentatio, ad quid deliberatio hæc, dum Deus aditum præcluſit ad victoriam? Quæ electio, ubi una tantum pars datur conceſſa? ut enim inquit D. *Thomas* 1. 2. q.13. art.2. *cum electio ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt, quod electio ſit plurium, quæ eligi poſſunt: & ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad unum, locum non habet.* Quòcumque ſe vertat, ſpes integritatis, ac puritatis eſt omninò præciſa, remanenſque ſemper infixa peccati turpitudo. In hoc enim *Janſenii*, & *Queſnelli* principio, *Peccator non eſt liber, niſi ad malum: ſine gratiâ liberatoris, amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat:* quæ eſt propoſitio 15. *Solum remanet in ipſo generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad opus bonum:* quæ eſt propoſitio prima. Ad quid deliberatio? Maxime dicente D. *Auguſtino*: lib.3. *de libero arbit. contra Manichæos* cap.18. *Iſta cauſa eſt*

ſa eſt voluntatis; ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur, ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. Implicat ergo deliberatio ſine indifferentia dominativa.

26. Non datur exhortationi locus. Hæc maximè æſtimanda, ut qui gravi quopiam obſtricti ſunt ſcelere, illud à ſe excutiant. Sed hoc Sectariorum delirium ipſam pœnitùs à mente peccatorum divertit. Cum enim rationes omnes ad reſipiſcentiam inſonuerint, reſpondebit: ſibi non eſſe liberam poteſtatem credendi, vel benè vivendi. Quam reſponſionem præcavet, *Ambroſius* lib.2. de *Cain. & Abel.* cap.7. exponens verba Dei ad Cainum: *Nonne ſi benè egeris, recipies &c. Non habes quod excuſes, non habes in quo neceſſitatem, magis quàm mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas. Tu princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit, ſed voluntarius reus, judicio, non lapſu feciſti dolum, quo te divinæ injuriæ reum ipſe convincis.* En qualiter ille à neceſſitate in peccando immunis, & liberè, electivè, judicio, non neceſſitate peccans. Quæ ſpes, ubi neceſſitas adeſt? Qualis expectatio, cum ruina oculis obverſatur, & irrito conatu, vel inutili ſolum labore voluptati poteſt reſiſti? Fallax quidem eſſet exhortatio, dum cum *Iſaia* cap.1. alloqueremur peccatores: *Quieſcite agere perversè, diſcite benè facere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam; & venite, & arguite me, dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, ut vermiculus, alba erunt, velut lana.* Vel cum D. *Auguſtino* Homil. 12. cap. 6. *Nolite deſperare peccatores: orate... Incumbite orationibus peccatores: confitemini peccata veſtra: orate ut depellantur; orate ut minuantur: orate ut vobis proficientibus ipſa deficiant.* In promptu namque involvent reſponſionem; remanſiſſe in generali impotentia ad omne opus bonum. E contra quod dixit *Chryſoſtomus* Homil. 10. in Gene. *Peccatori nullas admonitiones prodeſſe, non quia non poteſt, ſed quia non vult.* Atque Euſebius de præpar. Evangel. lib. 6. cap.7. *Conſilium hominis eſſet fruſtra, ſi homo neceſſariò ageret, quæ agit.*

27. Non item punitioni. Eſt namque gehennæ timor frænum quoddam laſcivientis appetitus, quo ſanè excuſſo, princeps facilè evadet natura ad omnem vitæ turpitudinem. Si quis ergo peccatorem minetur, ipſum æternis cruciatibus puniendum, ridebit, ac dicet: quaſi verò inclemens, & injuſtus ſit ipſe Deus, qui de me penitùs impotente tàm horrendum ſumat ſupplicium? Judicium hoc eſſe Deo indignum, & non niſi injuſtiſſimum, dum neceſſitatem reliquit ad volendum, nec tali potui reſiſtere neceſſitati; dicente *Lactantio* lib. 1. Divin. inſtit. cap. 21. *Qui dat præcepta vivendi, amputare debet excuſationum vias: ut præmium ſit conſtitutum parentibus, quia poterant non parére, ſi vellent, & non parentibus pœna, quia poterant parére, ſi vellent.* Cui conſonat S. *Epiphanius* in hæreſ. 16 *propterea quod poſſit peccare, & non peccare, ab aliis peccatorum ſupplicia ſumantur, alius vero laudem ferat rectè factorum.* Et Divus *Auguſtinus* lib. 3. de liber. arbitr.

cap. 18.

cap. 18. *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Et meritò, nam quæ libertas, ubi hoc ſolùm datur, quod Deus puniat? Quomodò juſtus in homine ſic neceſſitato poteſt eſſe pœnæ reatus? Vel quomodo ipſe Deus exigere poteſt, quod in poteſtate non habuit? *Dicere . . . peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ*: dixit *Aug.* lib. *de duobus animabus* cap. 12.

28. Deſtruitur laus, & vituperium, teſte D. *Gregorio Nyſſeno* lib. 1. de Philoſophia cap. 2. *Concupiſcere, & non concupiſcere, mentiri, & non mentiri, & quæcumque talia, in quibus conſiſtunt virtutis, & vitii opera, hæc ſunt noſtro libera arbitrio.* Firmat id ipſum D. *Auguſtinus* lib. 3. de lib. arbit. cap. 1. dicens, quòd *motus, quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius; atque in noſtra poſitus poteſtate; neque laudandus, cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet, quaſi quemdam cardinem voluntatis.* Et libro de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. *Etiam ne,* inquit, *hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem, neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet; aut id non faciat, quòd facere non poteſt? Quod ſi nemo vituperatione vel ſupplicio dignus eſt; aut non contra vetitum juſtitiæ faciens, aut quod non poteſt non faciens; omne autem peccatum vel vituperandum eſt, vel damnandum; quis dubitet, tunc eſſe peccatum cùm & velle injuſtum eſt, & liberum nolle.* Quod enim decus elucebit ad laudem in operibus bonis, ſi motiones animæ ſunt, non à charitate, ſed à neceſſitate expreſſæ? Quod vituperium? In ſordibus ſordeſcere non erubeſcet; nec enim apprehendet uſquam ma[illegible]am peccati, dum neceſſitatem agnoſcit, & quod ſibi impoſſibile erat, aliter rem fieri. Ex quibus cum Divo *Hieronymo* lib. 2. contra Jovinianum cap. 2. inferet: *Ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt*: quod dictum refert & approbat *Auguſtinus* lib. de natur. & gratiâ cap. 65. Nihil ergo tetrius excogitari potuit ad abjiciendos animos, quam axioma hoc, quo peccatis omnibus habenæ laxantur. Quare *D. Auguſtinus* lib. 3. cap. 1. n. 3. *Motus autem, quo hùc, atque illùc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet, quaſi quemdam cardinem voluntatis.*

29. Nec reponat quis cum Janſenio lib. 1. de ſtat. natur. lapſ. quod hæc impotentia vitandi peccatum eſt à peccato primi parentis propagata; quæ impotentia cum ortum ducat ex culpa voluntaria, & imputabili, qualis eſt ſuppoſitio culpæ originalis, non pugnat cum abſoluta poſſibilitate. Nam eſt ridicula reſponſio, quæ eadem complectitur errorum monſtra. Enim verò ſi ipſum Adami peccatum eſt criminis in legem commiſſi ratio, vel pœnæ incurſæ radix, atque adeò impotentiam obſervandi præcepta ex ſuppoſitione peccati originalis profluentem reddit voluntariam, atque imputabilem ad pœnam: ergo non excuſabit impotentia vitandi peccatum ex amentia, vel phreneſi orta,

cum

cum profluat ex originali culpa, cujus hæc mala effectus ſunt: ergo nullus erit à peccato immunis in motibus primis indeliberatis concupiſcentiæ rationem omnem prævenientibus: vitioſi erunt; & flagitia, cùm etiam omnes iſti primi appetitûs motus in pœnam peccati originalis erumpant: ut ait D. *Thomas* in cap.7. Epiſt. ad Roman. let.3. ergo poterit jam defendi neceſſitas, dummodo temperetur, ut ex peccato Adæ, vel ex iſta ſuppoſitione libera profecta, quod nullus Catholicorum licitum ſibi ſtatuet. Debet ergo abſolutè agnoſci, quod ut peccatum imputetur ad culpam, non ſufficit, quod impotentia reſiſtendi tentationi ſit effectus peccati originalis, ex quo fluit genus omne malorum, vel quod in illa prima, & communi cauſa cenſeatur volita, cùm peccatum actuale debeat in ſe ſic eſſe liberum; ut vitari poſſit. Quod egregiè, & luculenter expreſſit *D. Auguſtinus* de peccat. mer. & remiſ. cap. 35. diſtinguens peccatum originis à peccato vitæ propriæ, quod illud *alienâ voluntate*, hoc *propriâ* contrahitur: quod non ita intelligi debet, quod voluntas Adam ſit prorſus poſteris aliena, qualiter aliena eſt voluntas unius individui reſpectu alterius; hæc enim voluntas ſufficiens non eſt ad veram rationem voluntarii, quæ deſideratur ad rationem peccati; ſed aliena dicitur, quia non eſt dependens à propria poſterorum voluntate ſe exercente in actu ſecundo, ſivè phyſicè, ſivè moraliter; ſed unicè dependet à voluntate Adam phyſicè, & moraliter tranſgrediente præceptum, ex qua tranſgreſſione inducitur peccati originalis transfuſio. Eſt tamen in aliquo ſenſu illa voluntas Adam quodammodo propria poſterorum, quatenus eſt voluntas non ſolùm Adami, ut perſonæ particularis, ſed etiam ipſius, ut capitis, & principii totius naturæ; proindeque eſt voluntas naturæ, ut eſt communis omnibus poſteris. Cum autem natura ſit propria, & intrinſeca poſteris, pariter & intrinſeca eſt, & propria ejus voluntas: proindeque originale peccatum ab hac voluntate dependens non eſt prorſus ab extrinſeco, ſed ſufficienti modo ab intrinſeco eſt, ut veram inducat rationem voluntarii ad rationem propriam peccati requiſitam. At licèt ad rationem peccati hæc voluntareitas ſufficiat, minimè tamen ſequitur ex peccato impotentia, aut Adamo, aut nobis ad bonum: quia neque peccatum abſtulit eſſentiam naturalis libertatis, neque cohibuit concurſus ſummi principii ad bonum.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

30. Contra iſtam, quæ certiſſima eſt SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* Doctrinam, ut probet *Janſenius* aſſertionem ſtabilitam de gratia Chriſti Salvatoris lib. 6. cap.5. quòd non in alio eſſentialiter conſiſtit libertas, quàm in voluntate ipſa: *libera eſt voluntas*, inquit, *hoc eſt volitio ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera*, plura congerit SS. PP. teſtimonia de gratia Chriſti lib. 6. cap. 12. & ſequentibus. Hoc

pro-

probat primò teſtimoniis *S. Dionyſii* aſſerentis, quod tunc liberè agit voluntas, dùm non operatur, *vi*, *vel neceſſitate coacta*; & *S. Clementis Papæ* docentis, nihil opponi libertati, niſi quod *vi cogit*; & *S. Irenæi* affirmantis, quòd tunc voluntariè aliquid fit, dùm fit *non coactè*; & *Tertulliani* dicentis, hominem eſſe liberum *dùm agit ſpontè*, *voluntariè*, *voluntate*, *non neceſſitate*; quibus omnibus conſentiunt *SS. Hilarius*, *Epiphanius*, & *Baſilius Seleucienſis*, qui omnes non aliter eſſentiam liberi arbitrii exponunt, quàm libertate à coactione, dicentes, deſtrui libertatem, *ſi nolimus*, *ſi agere cogamur*, *ſi neceſſitate cogimur*. Sed præſertìm innititur teſtimonio *Euſebii à Cæſarea*, opponentis pluſquam decies neceſſitatem libertati, non intelligens, juxta ipſum, nomine neceſſitatis niſi coactionem, quam neceſſitatem, & coactionem ſemper contraponit libertati ſequentibus verbis: *Ex neceſſitate*, *&* *ex voluntaria meditatione volens*, *&* *externa neceſſitate compulſus*: *ſuâ voluntate facere*, *&* *externâ neceſſitate*: *arbitrio*, *&* *coactione*: *voluntario voluntatis noſtræ motu fieri*, *&* *alterius neceſſitate cogi*: *hùc illùc externâ vi trahi*, *quaſi quibuſdam funibus circumvinctos*, *&* *ſpontè*, *impetuque noſtro*, *noſtri compotes manere*: *vim aliundè nobis afferre*: *pro arbitrio*, *conſilioque agere*, *&* *non contra vim ſuoptè nutu*, *&* *aliquâ extrinſecùs neceſſitate cogente*: *voluntarium*, *&* *illatâ coactione*. Addit, *Chryſoſtomum*, & *Cyrillum* ſolam neceſſitatem, qua quis operatur coactè, & invitè agnoſcere libertatis inimicam, ut probet, optimè definiri liberum arbitrium, dicendo: *Liberum arbitrium eſt rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus*. Cui ſuffragantur SS. *Proſper*, *Fulgentius*, *Bernardus*, *Albertus Magnus*, & Magiſter Sententiarum, ita ab illo intellecti.

31. Hoc amplius probat ex *Auguſtino* lib. 3. de liber. arbitr. cap. 3. dicente: *Voluntas igitur noſtra*, *nec voluntas eſſet*, *niſi eſſet in noſtra poteſtate*. *Porrò*, *quia eſt in poteſtate*, *libera eſt nobis*. *Non enim eſt nobis liberum*, *quod in poteſtate non habemus*, *aut poteſt non eſſe*, *quod habemus*. Et iterum ibi: *Non enim poſſum aliud ſentire*, *eſſe in poteſtate noſtra*, *niſi quod cum volumus*, *facimus*; *quapropter nihil tàm in noſtra poteſtate*, *quàm ipſa voluntas eſt*. Et ulterius: *Dùm autem volumus*, *ſi ipſa voluntas deeſt nobis*, *non utique volumus*. *Quod ſi fieri non poteſt*, *ut dum volumus*, *non velimus*, *adeſt utique voluntas volentibus*; *nec aliud quidquam eſt in poteſtate*, *niſi quod volentibus adeſt*. Et lib. de ſpiritu, & litt. cap. 31. Et lib. 5. de Civitate Dei cap. 10. *Quid igitur ultrà quærimus*, *quandò quidem hanc dicimus poteſtatem*, *ubi voluntati adjacet facultas faciendi*? *Unde hoc quiſque in voluntate habere dicitur*, *quod ſi vult facit*, *ſi non vult*, *non facit*... *Multa enim facimus*, *quæ ſi nollemus*, *non utique faceremus*. *Quò primitùs pertinet* *&* *ipſum velle*; *nam*, *ſi volumus*, *eſt*, *ſi nolumus*, *non eſt*; *non enim vellemus*, *ſi nollemus*. Ex quibus conficitur argumentum. Primò: illud eſt formaliter liberum quod eſt ita in noſtra poteſtate quod, cum volumus, facimus; ſed omnis volitio fit, cùm volumus; implicat enim contradictionem, quòd

quòd volentes non velimus, aliàs poſſemus nolle, dum volumus: ergo omnis volitio eſt in noſtra poteſtate. Secundò: nihil tàm in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas, quia ſemper volentibus adeſt; ſed omnis volitio volentibus adeſt, & voluntas eſt: ergo omnis volitio in noſtra poteſtate eſt, & exindè libera.

32. Hoc tandèm probat auctoritate D. *Thomæ* ſtatuentis, hominem eſſe liberi arbitrii per libertatem à coactione, quia ſola neceſſitas coactionis opponitur libertati. Etenim D. *Thomas* q. 10. de potent. art. 2. ad 5. hæc habet: *Dicendum, quod naturalis neceſſitas, ſecundùm quam voluntas aliquid velle dicitur, ſcilicet felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Auguſtinus docet lib. de Civit. Dei: libertas enim voluntatis violentiæ, vel coactioni opponitur.* Et q. 22. de Verit. art. 5. ad 3. *Dicendum, quod libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, non naturalis inclinationis.* Et 1. p. q. 82. art. 1. ad 1. *Dicendum, quod verbum Auguſtini eſt intelligendum de neceſſario neceſſitate coactionis. Neceſſitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis.* Et q. 83. art. 2. ad 3. ait: *Homo peccando liberum arbitrium perdidiſſe dicitur, non quantum ad libertatem naturalem, quæ eſt à coactione, ſed quantum ad libertatem, quæ eſt à culpa, & miſeria*: ergo ſtat libertas cum neceſſitate naturali. Et ſufficit juxta D. *Thomam* ad libertatem excludere violentiam, minimè tamen neceſſitatem naturalem.

33. Probat inſuper hoc ipſum ex 3. contra Gent. cap. 138. ubi D. *Thomas* ait: *Dicendum, quod duplex eſt neceſſitas, quædam coactionis, & hæc laudem virtuoſorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur. Eſt autem quædam neceſſitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuoſi actus non minuit, ſed auget. Quod ſi ad finem perfectionis devenerit, quamdam neceſſitatem infert ad benè operandum, ut eſt in Beatis, qui peccare non poſſunt, nec per hoc voluntatis libertati aliquid deperit.* Et 2. Sententiar. diſt. 25. q. 1. art. 4. libertatem arbitrii per excluſionem coactionis exponit, dicens: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non poteſt.* Et in 3. Sentent. diſt. 18. art. 2. ad 5. proponens argumentum, quod *Chriſtus* non potuit mereri, quia ejus arbitrium erat determinatum ad bonum: ergo per liberum arbitrium mereri non potuit; & ità nullo modo, cum omne meritum ſit ex libero arbitrio. Poſtquam primò reſpondet D. *Thomas*, *quod tantùm erat determinatum ad unum ſecundùm genus, & ſic erat liber quoad facere, vel non facere.* Secundò reſpondet: *Vel dicendum, quod ſi etiam eſſet determinatus ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum (quod non facere non poteſt) tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, ſive meriti, quia in illud non coactè, ſed ſpontè tendit, & ità eſt actus ſui Dominus.* His, & aliis teſtimoniis probare intendit, hominem eſſe liberi arbitrii per libertatem a coactione. Sic ille deceptus tàm SS. PP. quàm utrique Eccleſiæ lumini Auguſtino, & Thomæ injuriam irrogat, confidenter affirmans dicto lib. 6. cap. ultim. hanc eſſe ipſorum mentem:

Habes, inquit, *lector*, *conſenſum admirabilem tot ſanctiſſimorum*, *&* *eruditiſſimorum Virorum*, *de quibus nulla unquam erroris in hoc argumento ſuſpicio fuit*. *Unanimiter, conſtantiſſimèque docent, voluntatem*, *hoc ipſo quod rationalis voluntas eſt*, *eſſe liberam*; *ſuâ non poſſe privari libertate*, *nec voluntatem*, *id eſt*, *volitionem futuram*, *niſi eſſet libera*, *&* *in poteſtate*, *nullam immutabilitatis*, *inevitabilitatis*, *vel quocumque voces nomine*, *ſed ſolam coactionis neceſſitatem ei repugnare*. Et ulterius: *Fidenter dico*: *quicumque doctrinam iſtam à nobis traditam erroris inſimulare auſus fuerit*, *non Auguſtinum*, *non Bernardum*, *ſed Philoſophiam fortaſſis Ariſtotelis ducem*, *ac patronam habiturus eſt*, *&* *in iſta Catholicæ Doctrinæ culmina*, *&* *columina*, *ut nihil de cœteris eorum Sectatoribus eruditis*, *&* *Sanctis loquar*, *neceſſe eſt*, *ut anathema primum dicat*.

34. En argumentum, in quo maximè, & à veritate, & à mente D. *Auguſtini* aberrant Janſeniſtæ. Nihil enim magis apertè contra hujus S. Doctoris Doctrinam, quàm quod voluntas, eo ipſo quod voluntas eſt, libera ſit, cum non omnis volitio, hoc ipſo quod voluntaria ſit, ſine neceſſitate fiat. Si enim omnis actus voluntatis, eò ipſo quòd voluntarius eſt, eſſet liber libertate propriâ: ergo liberè Deus ſe amaret: ergo liberè propria ratione voluntatis procederet Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Et iterùm: ergo libere ſimiliter voluntas creata tenderet ad bonum in communi: ergo & Beati liberè Deum amarent. Quæ omnia, quàm abſurda ſint, nullus eſt, qui ignoret. Numquid enim Deus ſic ſe ipſum amat, ut poſſit non amare; Pater & Filius ſic ſpirant Spiritum Sanctum, ut poſſint non ſpirare; & Beati ſic diligunt Deum clarè viſum, ut poſſint non diligere? Quæ enim major neceſſitas quàm illa, quâ voluntas ſic vult per illam, ut non poſſit non velle!

35. At, ut hæc noſtra maximi momenti aſſertio nervosè radicetur, novâque alia luce clareſcat; Janſenii error, & Diſcipulorum in dictis teſtimoniis meditata malitia evaneſcat, notandum maximè in voluntate dari duplicem conceptum, alterum naturæ, alterum voluntatis formaliter. Poteſt namque ipſa conſiderari, ut natura quædam eſt, vel ut poteſtas rationalis, ſeu ut libera. Ut Natura, quatenus ex inclinatione fertur in bonum ut ſic tanquam in proprium, & connaturale objectum; fertur ideſt neceſſario in beatitudinem, ſicut quælibet creatura tendit naturaliter in ſuum centrum: unde & naturaliter voluntas per actum primò primum, illum que indeliberatum tendit ad bonum ut ſic. Si conſideretur voluntas ut libera, tunc ſpectatur illa, quatenus agit per electionem præviam, & circa tale bonum in individuo, ad quod tendit actu deliberato, & libero: unde ſicut intellectus conſideratus ut intellectus verſatur naturaliter circa prima principia, & ut ratio verſatur circa concluſiones ex principiis deductas: ita voluntas conſideratur, vel ut natura quædam eſt, qua ratione verſatur circa finem, & conſideratur ut libertas, ſive ut liberum arbitrium, & ſic verſatur circa media in ordine ad finem. Hoc luculentiſsimè expendit Angelicus

Præ-

Præceptor variis locis aſſerens, quod voluntas non dicitur propriè loquendo domina ſui actus ſecundùm quod eſt natura, ſed ſecundum quod eſt voluntas. Ita q. 22. de verit. art. 5. in corp. *Dicendum, quod ſicut poteſt accipi ex verbis Auguſtini de Civitate, duplex eſt neceſſitas; neceſſitas ſcilicet coactionis, & neceſſitas naturalis inclinationis, ſicut dicimus, Deum de neceſſitate vivere. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quòd in rebus ordinatis, oportet primum modum includi in ſecundo, & in ſecundo non ſolùm inveniri id, quod ſibi competit ſecundùm rationem propriam, ſed quod competit ſecundùm rationem primi. Sicut homini convenit non ſolùm ratione uti, quod ei competit ſecundùm propriam differentiam, quæ eſt rationale; ſed uti ſenſu, vel alimento, quod ei competit ſecundùm genus ſuum, quod eſt animal, vel vivens,* &c. *Natura autem, & voluntas hoc modo ſunt ordinata, ut ipſa voluntas quædam natura ſit, quia omne, quod in rebus invenitur, natura quædam dicitur. Et ideò in voluntate oportet inveniri non ſolùm id, quod voluntatis eſt, ſed etiam quod naturæ eſt. Hoc autem eſt cujuslibet naturæ creatæ, ut à Deo ſit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud; unde & voluntati ipſi ineſt naturalis quidam appetitus ſibi convenientis boni, & præter hoc habet appetere aliquid ſecundum propriam determinationem,* (id eſt liberum arbitrium) *non neceſſitate* (ſcilicet naturalis inclinationis) *quod ei competit, in quantum voluntas eſt.* Et in eodem art. ad 3. *Dicendum, quod libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, non autem naturalis inclinationis,* & ad 4. *Dicendum, quod Auguſtinus loquitur dē neceſſitate naturali, quam à voluntate non excludimus reſpectu aliquorum.* Et ad 5. *Quod voluntas, in quantum eſt rationalis, ad oppoſita ſe habet. Hoc enim eſt conſiderare ipſam ſecundum hoc, quod eſt ei proprium; ſed prout eſt natura quædam nihil prohibet, eam determinari ad unum.* Et rurſus q. 2. de potent. art. 3. in corp. *Voluntas,* inquit, *in quantum voluntas, cum ſit libera, ad utrumlibet ſe habet. Poteſt enim voluntas agere, vel non agere, ſic, vel ſic facere, velle, & non velle, & ſi reſpectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidet voluntati, non in quantum voluntas eſt, ſed ex inclinatione naturali, prout ſcilicet quædam natura eſt.* Et q. 21. de liber. arbitr. art. 1. ad 20. *Dicendum quod cum electio ſit quoddam judicium de agendis, vel judicium conſequatur, de hoc poteſt eſſe electio, quod ſub judicio noſtro cadit. Judicium autem in agendis ſumitur ex fine, ſicut de concluſionibus ex principiis. Unde ſicut de primis principiis non judicamus, ea examinantes, ſed naturaliter eis aſſentimus, & ſecundum ea omnia alia examinamus: ità & in appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio diſcuſſionis, vel examinationis, ſed naturaliter approbamus; propter quod de eo non eſt electio, ſed voluntas, Habemus ergo reſpectu ejus liberam voluntatem, cum neceſſitas naturalis inclinationis libertati non repugnet ſecundùm Auguſtinum 5. de Civit. Dei: non autem liberum judicium propriè loquendo, cum non cadat ſub electione.*

 36. Hæc

36. Hæc *D. Thomas*, in quibus mentem ſuam diſtinctè aperit, quod voluntas, ut natura, opponitur coactioni, ipſa tamen eſt compoſſibilis cnm neceſſitate naturali: ſicut & illam componit; in appetitu Beatitudinis, amore Dei reſpectu ſui ipſius, & proceſſione Spiritus Sancti. Hæc namque libertas ſolùm conſiſtit in eo, quod actus ſpontaneè, & libenter fiat: & quia nullo labore, nullâque violentiâ fit, ideò liber dicitur. E contra verò libertas voluntatis, qua formaliter eſt voluntas, vel liberum arbitrium eſſentialiter pugnat cum neceſſitate. Qui ſanè conceptus maximè diſtingui debent, ut perfectè intelligatur, quomodo tàm coactio, quam neceſſitas opponantur libertati. Si namque voluntas contraponitur ſibi ipſi ut natura, excludit neceſſitatem, quia prout ſic eſt formaliter arbitrium: ſi verò voluntas contraponitur ſibi ipſi ut arbitrium, non excludit neceſſitatem, quia ita ſumitur ut natura. Hancque eſſe mentem *D. Thomæ* ſequenti diſcurſu fit manifeſtum. *D. Thomas* cum ſimplici neceſſitate libertatem componit, ut ipſi prætendunt; ſed ſimiliter libertas arbitrii juxta *D. Thomam* hanc ſimplicem neceſſitatem excludit: ergo illa libertas, quæ cum neceſſitate componitur, non eſt juxta *D. Thomam* libertas atbitrii. Minor manifeſta eſt, tum locis citatis; tùm quia in perpetua ſententia S. Doctoris dominium voluntatis, vel liberi arbitrii excludit non ſolùm coactionem, ſed etiam determinationem virtutis ad unum. Ita 1. cont. Gentes, cap.68. explicans illud *Ariſtotelis* 3. Ethic. cap.7. *Quibus in rebus noſtra in poteſtate ſitum eſt agere, in iis & non agere, & in quibus non agere, in iis & agere*: ſic ait: *Si operari eſt in noſtra poteſtate, oportet etiam, quod non operari ſit in noſtra poteſtate*. Cujus rationem aſſignat ibidem lect. 11. *Si enim non operari non eſset in noſtra poteſtate, ſic impoſsibile eſset non operari: ergo neceſse eſt nos operari, & operari non eſset ex nobis, ſed ex neceſsitate*: ergo libertas voluntatis, quà formaliter eſt natura, diſtinguitur à ſe ipſa, quà formaliter eſt liberum arbitrium. En quantum diſtat Janſenii dogma ab ejus Angelica doctrina, quod ſanè perciperent Novatores iſti, ſi interioris oculi munda fuiſſet acies, dum in eiſdem locis objectis non minùs clarè *D. Thomas* ſe explicat.

37. Hæc Angelici Præceptoris doctrina diſtinguentis libertatem voluntatis, ut natura eſt, à libertate voluntatis, ut eſt liberum arbitrium, quæ neceſſitatem excludit, ſi attentè fuiſſet à *Janſenio* diſcuſſa, non hoc iter aſperum, erroriſque labyrinthum curreret. Fallit igitur *Janſenius* æquivocatione nominis liberi arbitrii, cum prædicat liberum idem eſſe, ac voluntarium determinatum. Tantum abeſt, quod hæc ſit SS. PP. mens, quin potius id pœnitùs inſubſiſtens, fallax, & incredibile ſit. Quæ enim SS. PP. teſtimonia affirmant coactionem libertati oppoſitam, quod *violentia voluntarium impedit, ſpontaneitatem, & liberum arbitrium, & quod non voluntariè operamur, ſi agere cogamur*, loquuntur de libertate voluntatis, ut natura eſt, non tantum de libertate liberi arbitrii præciſè, cùm liberum arbitrium ſecundùm propriiſſimam notionem quid amplius dicat, quàm voluntarium, & ſpontaneum. Tùm & maximè, quia licèt libertatem cum voluntario determinato conſiſtere affir-

affirment, non tamen in excluſione neceſſitatis coactionis dumtaxat arbitrium conſtituunt, cum toties neceſſitatem libertati oppoſitam declarent. Audiendus *Tertullianus*, qui explicans libertatem, affirmat, conſiſtere in eo, quod homo *operetur ſpontè, voluntariè, voluntate non neceſsitate. Si caperet hoc jure, & bonum quoque non voluntate obiret, ſed neceſsitate .... nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſsitate fuiſset inventus, non voluntate.* En ubi *Tertullianus* non coactionem, ſed ſolam neceſſitatem inimicam libertatis ſtatuit. Legendus & Magiſter ſententiarum apud *Janſenium* de grat. Chriſti Salvatoris lib. 6. cap. 20. qui neceſſitatem contrariam libertati agnoſcit. *Si diligenter inſpiciatur*, inquit, *liberum videbitur dici arbitrium, quia ſine coactione, & neceſſitate valet appetere, vel eligere, quod ex ratione decreverit ... ideoque voluntas meritò apud Deum judicatur, quæ ſemper à neceſſitate libera eſt.* En quomodò Magiſter ſententiarum duplicem neceſſitatem libertati contrariam diſtinguit. Sic facto proprio, Magiſtrum ſententiarum citans, *Janſenius*, propriam doctrinam evertit.

38. Ad pleniorem ergo ſolutionem deſcendendo, diſtinctius diluenda; ſunt *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* objecta teſtimonia. Et primò nihil magis alienum à mente *S. Auguſtini*, quàm libertatem in uno voluntario determinato conſiſtere. Etenim dum aſſerit, quod nihil eſt tàm in propria poteſtate, quàm ipſa voluntas, quod hoc eſt in noſtra poteſtate, quod cum volumus facimus, loquitur de voluntate illa evitabili, cui nulla dominatur neceſſitas, & quæ procedit cum indifferentia poteſtatis ad oppoſitum: uno verbo: loquitur de voluntate, ut neceſſitati oppoſita. Quare diſtinguendæ ſunt omnes propoſitiones illæ: Illud eſt formaliter liberum, quod eſt ita in noſtra poteſtate, quòd cùm volumus facimus: Diſting. maj. Quod eſt in noſtra poteſtate tum phyſicè, tum moraliter, conc. maj. quod eſt tantummodo phyſicè neg. maj. & diſtinct. eodem minori, negatur conſequentia. Vel aliter: Formaliter liberum, quod eſt in noſtra poteſtate ita, quòd cum volumus facimus, diſt. maj. quod cum volumus voluntate ut libera, conc. maj. voluntate ut natura, & ſine prævia determinatione, neg. maj. & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſequentia. Aliquid enim dupliciter dicitur eſſe in noſtra poteſtate, videlicet phyſicè, quatenus à potentia vitali procedit: moraliter vero, cum ab eadem prævia electione producitur. Porrò actus merè voluntarius, & ſpontaneus, à voluntate quidem procedit, ſed ut natura: hoc eſt, ex impetu, & neceſſariò; & non electivè ab ipſa, præviâ electione; ſicut procedit actus formaliter liber, ita ut unum, alio omiſſo, poſſit ponere; in quo reſplendet dominium voluntatis, quod penes electionem attenditur.

39. Præſtat ad confirmationem annectere hic varia teſtimonia ex ipſo libro de liber. arbitr., ex quo *Janſenius* argumentum deſumpſit. Habet namque ibi lib. 2. motum averſionis ab incommutabili bono eſſe peccatum, quia eſt à neceſſitate liber, ſequentibus verbis: *Qui tamen defectus, quoniam eſt voluntarius, in noſtra eſt poſitus voluntate, ſi enim*

enim times illum, oportet, ut nolis, ſi autem nolis, non erit. Sic & in eodem libro in initio de eodem motu averſionis cum *Evodio* loquens, ait: *Dixiſti enim, ſi ita data eſt voluntas libera, ut naturalem habeat iſtum motum, jam neceſſitate ad hæc convertitur, neque ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura, neceſſitaſque dominatur: nullo modo autem dubitare debuiſti, non eſſe ita datam, quando iſtum motum culpabilem eſſe non dubitas.* Et inferius: *Iſte motus averſionis voluntarius eſt. Digna, & juſta eam miſeriæ pœna ſubſequitur.* Et lib. 3. de liber. arbitr. cap. 1. *Animum vero peccati arguimus, cùm eum convincimus ſuperioribus deſertis, ad fruendum, inferiora præponere.* In quibus voluntarium dicit motum iſtum, quia in noſtra eſt poſitus voluntate, ut poſſit velle, & non velle, eademque poteſtas non poteſt melius exprimi à neceſſitate libera, quàm illis verbis; *Superioribus deſertis inferiora præponere.* Et inſuper ibi cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem: caveri igitur poteſt.* Licèt ergo *D. Auguſtinus* in teſtimoniis in argumento adductis unam ſolam partem commemoret, nempe quod illud eſt in poteſtate noſtra, quod, cum volumus, facimus, etiam oppoſitum includit, & cum nolumus, non facimus. Quo etiam modo explicat *D. Ambroſius* lib. 2. de fid. cap. 3. illa verba Apoſtoli: *Omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, prout vult*, dicens: *Hoc eſt pro libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Maximè, dum *D. Auguſtinus* libere poteſtatis eſſentiam tradens, utrumque libertatis extremum exprimit. Sic lib. 3. contr. *Felic.* cap. 3. *Qui legem ſervare non vult, in poteſtate ejus eſt ſervare, ſi velit* Et lib. de ſpirit. & litter. cap. 31. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.* Unde in prædictis teſtimoniis dum dicitur, quod nihil eſt tam in propria poteſtate, quàm quod volumus, per ly *volumus* ſolùm debet intelligi ita velle, ut ſit in noſtra poteſtate non velle. Uſus quippè invaluit, ut per voluntarium intelligatur voluntarium per electionem, & cum potentiâ ad oppoſitum; ſi quidem cum volumus exprimere aliquem feciſſe aliquid liberè, ex more dicimus: Voluntariè fecit.

40. Non minus alienus eſt *Janſenius* à mente Angelici Præceptoris, cujus locutiones in ſenſu omninò alieno adducit, ut facilè conſtabit ipſas attentè conſideranti. Quarè reſpondetur ad primum ex q. citata de potent. quod Divus *Thomas* loquitur de libero, pro eo quod eliciatur à potentia libera. Conſtat primò, quia quod ibi libertatem nominat, 1. p. q. 41. art. 2. ad 3. nominat per modum voluntatis, dicens ad 3. *Quod etiam voluntas, in quantum eſt natura quædam aliquid naturaliter vult, ſicut voluntas hominis naturaliter intendit ad Beatitudinem. Et ſimiliter Deus naturaliter vult, & amat ſeipſum. Sed circa alia à ſe voluntas Dei ſe habet ad utrumque quodammodo, ut dictum eſt. Spiritus autem Sanctus procedit ut amor, in quantum Deus amat ſeipſum. Unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat.* En ubi *D. Thomas* in utraque parte de eodem amore loquitur,

tur, nempè de appetitu naturali felicitatis, & de amore, quo Deus ſeipſum amat: ergo dum aſſerit in q. de potent. utrumque eſſe liberum, debet intelligi de libertate per modum naturæ, vel per modum voluntatis, ut in præſenti explicat; contrapoſitæ libero arbitrio; cum liberum arbitrium in Deo formaliter non agnoſcat, niſi in ordine ad ſuos effectus, ut expreſsè aſſerit: *Sed circa alia à ſe voluntas Dei ſe habet ad utrumque quodammodo, ut dictum eſt*, nempe in corpore articuli, & q.19. art.3. Quod etiam docet q.16. de malo art.5.

41. Ad ſecundum teſtimonium ex 1. par. q.82. art.1. reſpondetur, *D. Thomam* loqui de voluntate ut natura, non ut formaliter eſt liberum arbitrium. Intendebat namque argumentum, quod voluntas nihil neceſſariò appetit, quia appetere eſt ei voluntarium, eò quòd voluntas nihil ex neceſſitate appetat, ſub hac forma: *Dicit enim Auguſtinus* in 5. de Civit. Dei: *Quod ſi aliquid eſt neceſſarium, non eſt voluntarium; ſed omne, quod voluntas appetit, eſt voluntarium: ergo nihil quod voluntas appetit, eſt neceſſariò deſideratum*. Ad quod reſpondet *D. Thomas*: *Verbum Auguſtini intelligendum de neceſſario neceſſitate coactionis. Neceſſitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis*. Ubi ſolùm loquitur de voluntate, quà formaliter eſt natura, quæ deſtruitur per coactionem, non tamen per neceſſitatem naturalem, ut diximus. Quare in ſolutione ad ſecundum reſpondet: *dicendum, quod voluntas ſecundùm quod aliquid naturaliter vult, magis reſpondet intellectui naturalium principiorum, quàm rationi, quæ ad oppoſita ſe habet*. En ubi utramque formalitatem diſtinguit, & quod voluntas, ſecundùm quod aliquid naturaliter vult, quod eſt intentum argumenti, magis reſpondet intellectui naturalium principiorum, quàm rationi; nempè voluntas per modum naturæ, non tamen per modum liberi arbitrii, ut docet in ſolutione ad tertium, ubi dicit: *Quod appetitus ultimi finis non eſt de his, quorum Domini ſumus: &, quod ſumus Domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc, vel illud eligere. Electio autem non eſt de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem*: Quaſi diceret *D. Thomas*, quod neceſſitas naturalis non aufert voluntatem, id eſt, non obeſt, quominùs potentia ſit libera, etſi in illo actu non exerceat libertatem. Vult ergo S. *Thomas* non repugnare libertati voluntatis, quod reſpectu alicujus objecti habeat naturalem, & neceſſariam inclinationem; cum hoc enim ſtat, quod reſpectu aliorum objectorum poſſit eſſe indifferens; id eſt non naturaliter & neceſſario determinata. Minimè verò vult, quòd non repugnet eidem actui neceſſitas & libertas; quaſi idem omnino actus poſſit eſſe neceſſarius & liber ſimul, & meritorius. Unde nuſquam dicit S. *Thomas* neceſſitatem naturalis inclinationis non repugnare indifferentiæ, & libertati actus, ſed ſolùm, quòd *neceſſitas naturalis non aufert libertatem voluntatis*, *non repugnat voluntati*, *non pertinet ad impotentiam voluntatis*, *non repugnat dignitati voluntatis*, quales expreſſiones ſæpè occurrunt in S. Doctore, ut num. ſequenti videbimus. Hæc ſi attentius ratione, animoque complexus fuiſſet Caducifer, non ille, poſtquam à pag.271. num.45. multis

cona-

conatus eſt probare neceſſitatem naturalis inclinationis libertati non repugnare ex SS. *Auguſtino*, & *Thoma* pag.277. num.55. in fine intuliſſet: *Nequibant ſanè magno eſſe dolori formulæ prædeterminativæ inventæ apud D.Thomam ut neceſſitantes*; & hoc ultimum verbum exprimit diſtincto charactere, ut magis attendat lector. Quod nedum inofficiosè, ſed & injuriosè dicitur adverſus S. *Thomam*. Recordetur ille ſuorum verborum, quæ pag. 277. exàravit: *Reapsè non decet, virum Theologum nunc temporis talia dixiſſe*. Quis enim dubitet ſimilia dicta poſſe eſſe ſcandalo puſillis, & imperitis, qui videntes aſſeri, à Catholicis etiam Scriptoribus, quod SS. *Thomas*, & *Auguſtinus* docuerint, naturalem neceſſitatem, non repugnare libero actui, quod re ipsâ, ut vidimus, docuit *Janſenius*, & *Queſnellus*: ex alia parte videntes Doctrinam SS. *Aug.* & *Thomæ* à Cathedra Petri laudari, commendari, & immunem declarari ab omni errore, facilè induci poſſunt ut credant, vel per Bullam *Unigenitus* damnari non minus hos SS. Patres, quàm *Queſnellum*; vel malè damnatum hunc ultimum eſſe, ſi nihil ipſe docuerit, quod laudati SS. PP. non docuerint ante ipſum: ſicque retrahantur à præſtanda debita ſubmiſſione Bullis Pontificiis.

42. Ad tertium teſtimonium ex 1. par. q.83. art. 2. ad 3. reſpondetur, quod homo peccando, liberum arbitrium dicitur perdidiſſe, non quantum ad naturalem libertatem, quæ eſt à coactione, ſed quantum ad libertatem, quæ eſt à culpa, & miſeria; ſcilicet quantum ad facilitatem, & inclinationem ad bonum; etenim in homine innocente erat liberum arbitrium ſanum & cum gratia conjunctum. Amiſsâ autem innocentiâ, & gratiâ, non quoad ſe amiſſum eſt, ſed quoad perfectionem. Ut docet *D. Auguſtinus* lib. 1. ad *Bonifac. contra duas Epiſt. Pelag.* cap.2. num.5. his verbis: *Quis autem noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quippe periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana Divina indiget gratiâ*. In quo ſenſu intelligendus S. Doctor in *Enchir. ad Laurentium* cap. 30. num. 9. dicens: *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum*. Et Epiſt. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. In eodem ſenſu intelligendus loco citato *D. Thomas*, qui ſic loquitur, ut oſtenderet, remanere poſt peccatum potentiam liberi arbitrii, cujus defectum intendebat argumentum ſub hac forma: *Nulla potentia naturalis tollitur per peccatum; ſed liberum arbitrium tollitur per peccatum: ergo liberum arbitrium non eſt potentia*. Ad quod reſpondet dicta ſolutione *D. Thomas*. Quâre, ut ſtatuat potentiam liberi arbitrii, aſſerit, quod poſt peccatum remanet à coactione liberum. Quæ probatio efficaciſſima eſt, & procedit ex prædicato, quod ita eſſentialiter convenit voluntati, ut ſoli voluntati conveniat; petit namque ipſa eſſentialiter in ſuis actibus elicitis hujuſmodi libertatem à coactione: Si enim cogi poſſet voluntas, deſtrueretur eſſentialiter ipſa, ſicque non remaneret voluntas, nec potentia liberi arbitrii ſubjectivè, & in actu

primo

primo libera. Agnoſcit ergo *D. Thomas* libertatem à coactione, ut primum libertatis fundamentum; non libertatis convenientis actibus voluntatis, ſed libertatis propriæ potentiæ liberæ, cui poſitivè coactio repugnat. Hinc dicit q. 22. de verit. art. 5. ad primum. *Ad primum autem in contrarium dicendum, quod auctoritas illa eſt intelligenda de neceſſitate coactionis, quæ repugnat voluntati, non autem de neceſſitate naturalis inclinationis, quæ ſecundùm Auguſtinum in 5. de Civitate Dei voluntati non repugnat*. Et ad ſecundum: *Dicendum, quod non pertinet ad impotentiam voluntatis, ſi naturali inclinatione in aliquid feratur de neceſſitate, ſed ad ejus virtutem. ſicut grave tantò eſt virtuoſius, quantò majori neceſſitate deorſum fertur. Pertineret autem ad ejus infirmitatem, ſi ab alio cogeretur*. Quod ulteriùs ibi docet in ſolutione ad 3. *Dicendum, quod libertas ſecundùm Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, non autem naturalis inclinationis*. Et ad 4. *Dicendum, quod neceſſitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, ſed ſola neceſſitas coactionis*: Et expreſſiùs ad 5. ut diximus num. 35. Ex quo fit, quod *D. Thomas* in præſenti, ut oſtenderet, minimè deſtrui per peccatum liberum arbitrium, ad libertatem à coactione recurrit, non quia hæc immunitas conſtituat actum in ratione liberi, aliàs pari lege in generatione Verbi æterni vera daretur libertas, ſed quia per immunitatem iſtam meliùs explicatur libertas potentiæ, formaliter ut talis, tanquam ex radice intrinſeca, quàm per libertatem à neceſſitate. Hæc enim etſi pugnet cum libertate actus, minimè tamen opponitur libero arbitrio, quantùm ad naturam potentiæ, ut conſtat in ipſo Deo, & in Angelis, in quibus datur liberum arbitrium, etſi detur neceſſitas in ordine ad ſuam bonitatem, quam Deus naturaliter vult, & non poteſt non velle. Cum ergo in citato articulo non agat *D. Thomas* de voluntate, ſecundùm quod dicit actum voluntatis, ſed ſecundùm quod nominat potentiam (utrumque enim hoc nomine *voluntas* intelligitur, ut notat *D. Thomas* 1. 2. q. 8. art. 2.) hinc fit, quod, ut oſtenderet, liberum arbitrium eſſe poſt peccatum veram potentiam, ad hujuſmodi libertatem à coactione recurrit, quæ libertatem ſubjectivam, ſeu in actu primo manifeſtè convincit.

43. Vel fortè meliùs communi Thomiſtarum ſolutione reſponderi poteſt, *D. Thomam* ibi non accipere *coactionem*, prout dicit *violentiam*, ſed pro *neceſſitate*, ſive *determinatione* ad unum, ut ex contextu articuli conſtat; docet namque *liberum arbitrium non eſſe habitum, ex quo indifferenter ſe habet ad benè eligendum, vel malè*: Si ergo eſt eſſentialiter indeterminatum ad oppoſita, eſſentialiter dicit libertatem à neceſſitate, quæ libertas pro eodem uſurpatur à *D. Thoma*, ac libertas coactionis, cùm in phraſi *D. Thomæ* idem ſit liberum arbitrium eſſe, quia non cogitur, ac quia non neceſſitatur. Duplex namque eſt coactio, inquit 2. ſentent. diſt. 25. q. 1. art. 5. in corpor. *Quædam perfecta, quæ quidem ſimpliciter coactio dici poteſt; & quædam, quæ eſt imperfecta, quæ potius impulſio, quàm coactio dicitur; ſi ergo conſideretur libertas, ſecundùm quod removetur perfecta coactio, ſic erit libertas à coactione,*

& à neceſſitate , quæ quidem per ſe , & ſemper liberum arbitrium conſequitur . En ubi expreſsè per libertatem à coactione intelligit libertatem à neceſſitate, ſine qua peccatum imputari non poteſt. Et in eodem articulo aſſerit, habitus, & paſſiones aliquo modo cogere, cum tamen ſolùm inclinent; ergo magis propriè cogere dicitur, quod neceſſitat. Et in articulo 2. ejuſdem diſt. aſſignans diſcrimen inter voluntatem, & intellectum, aſſerit, *quod intellectus compellitur objecto , quia vi demonſtrationis cogitur ; E contra voluntas, quæ neque ſubjecto cogi poteſt , cùm non ſit organo affixa , neque objecto : quantumcunque enim aliquid oſtendatur eſſe bonum , in poteſtate ejus remanet eligere illud , vel non eligere* . En ubi expreſsè aſſerit, coactionem compellentem non poſſe convenire arbitrio ex objecto, ſicut convenit intellectui, dum vi demonſtrationis cogitur; ſed vi demonſtrationis non cogitur coactione ſtrictè tali, ſumpta pro violentia, ſed ſolùm neceſſitate: ergo nomine coactionis non accipitur violentia, ſed neceſſitas. Quod urgentius adhuc probari poteſt ex *D.Thoma* 2. 2. q.2. art.9. ad 2. *Dicendum , quod in ſcientia duo poſſunt conſiderari , ſcilicet ipſe aſſenſus ſcientiæ ad rem ſcitam , & conſideratio rei ſcitæ ; aſſenſus autem ſcientiæ non ſubjicitur libero arbitrio , quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis , & ideo aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius* ; Sed, dum ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis, violentiam minimè patitur: Ergo D.Thomas ly *cogitur* non ſumit pro *violento* , ſed ſolùm pro *neceſſitate* , cum ſit aſſenſus, qui non eſt ex violentia, ſed ex neceſſitate duntaxat, quæ ſit talis ex parte objecti. Duplex quippè diſtinguitur neceſſitas; una objecti, quæ dicitur neceſſitas quoad ſpecificationem, & quæ eſt lex quædam ſingulis indita creaturis rationalibus quærendi Beatitudinem in communi, amandi bonum ut ſic. Alia eſt neceſſitas ſubjectiva, ſive determinantio ad unum actum; itaut non remaneat potentia alium contrarium eligendi. Prima libertati non officit; nam etſi homo Beatitudinem, & bonum in communi quærat, & neceſſariò amet, nuſquam tamen hìc, & nunc in individuo: cum experientia comprobet, quoſdam Beatitudinem in divitiis, quoſdam in dignitate ponere, alios amare bonum apparens, alios verò adhærere Deo, qui etſi bonum ſit infinitum, ſolùm in via eſt obſcurè cognitum.

44. Quis ergo non obſtupeſcit, dum audit Novatores iſtos de ſe glorioſius prædicantes, nec latùm quidem unguem à Doctrina *D.Thomæ* diſcedere? Contra quos juſtè exclamat P. *Nicolai* in notis marginalibus ſuper teſtimonium ex Sententiariis deductum tom. 8. dicens: *Quis non merito indignetur , hæc tantùm prima verba tàm fraudulenter à Janſenio uſurpari , ut libertatem ſoli coactioni , non etiam neceſſitati oppoſitam , velut ex mente D. Thomæ concludat ? Audeatque interim ſubjungere , quod in eadem diſtinctione hoc ſæpiùs repetat S.Thomas? Nec duplicem coactionem tàm expreſsè hìc indicatam, & expreſſiùs explicatam anteà , vel tenuiter inſinuet ; ex qua peremptoriè non ejus tantùm error, ſed perfidia convincatur: cum ſuperius art.1. tam apertè dixe-*

dixerit S. Doctor, inferiores quidem vires cogi ſubjectivè, quia violentiam pati poſſunt, & intellectum cogi objectivè, quia neceſſariò aſſentitur; ſed neutro modo voluntatem, quia in ejus poteſtate remanet eligere, vel non eligere. O fiduciam Janſenianam! Quaſi mentem S. Doctoris veriùs intelligerent ipſi, quam univerſus toto Orbe tenet Sapientûm, & Doctorum cœtus. Sed hoc habet hæreſis, ut quas veſtigat latebras, nuſquàm reperiat.

45. Non meliori fide opponunt alia D. *Thomæ* teſtimonia. Et primò illud ex 3. cont. Gent. cap. 138. ibi enim loquitur D. *Thomas* de neceſſitate ex voto orta, an nempè minuat rationem meriti, quam non eſſe inferiorem, imò eſſe magis laudabilem, ac meritoriam aſſerit ibi, quod & probat 2. 2. q. 88. art. 6. Et Opuſc. de perfect. vitæ ſpirit. cap. 12. Et Opuſc. contra Retrahent. à Relig. cap. 12. Quia eſt actus nobilioris virtutis nempè religionis; & quia magis ſe ſubjicit Deo, cui non ſolùm offert actum boni operis, ſed & poteſtatem, ac libertatem; & quia quod ex voto fit, ex voluntate magis ſtabili, magiſque ad faciendum bonum firmata procedit. Non ergo neceſſitas, de qua ibi loquitur D. *Thomas*, eſt neceſſitas naturalis ſimpliciter libertati oppoſita, qualis reperitur in ratione carentibus, & de qua non loquitur Angel. Præceptor in citato argumenti textu. Nec eſt neceſſitas coactionis abſolutæ, quæ ab alio imponitur contra voluntatem operantis, vel quæ cum iſta habeat ſimilitudinem, dum quis aliquid facit ex pudore, vel metu; quæ ſanè laudem, & meritum virtuoſi actus tollit, aut diminuit, quia contrariatur voluntario, & excludit devotionem; ſed ſolùm loquitur de neceſſitate, quæ ab interiori inclinatione procedit. Et hæc, inquit D. *Thomas*, laudem boni actus non minuit, ſed auget: facit voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis, quia habitus virtutis eſt perfectior, & de qua dixit *Auguſtinus* Epiſt. 45. *Felix neceſſitas, quæ in meliora compellit.* Quæ cùm ex propria naſcatur voluntate, libertatem minimè deſtruit. Apponitque D. *Thomas* exemplum quantum ad majorem actus excellentiam, dum ex inclinatione procedit, in Beatis, in quibus ex illo ineffabili intuitu Dei naturali conſequentia ſequitur amor, qui naturâ ſuâ excludit omnem poſſibilitatem pravè agendi. In quo ſenſu dicitur, quod liberè amant, ſeu quod ex felice neceſſitate amandi, nihil voluntati detrahitur aut deperit, quia ex voluntate Deo infixa id faciunt; & ideò opera illorum optima ſunt, laude & honore digna, quamvis nullo pacto ſint merita accumulandæ mercedis, ſed potiùs ipſa habeant rationem præmii.

46. Ad authoritatem ex 3. diſt. 18. q. 1. art. 2. ad 5. Reſpondetur primò D. *Thomam* non fuiſſe loquutum ibi ad ſuam, ſed ad aliorum illius temporis mentem; ex eo, quod aliam adhibet ſolutionem conformem doctrinæ traditæ in corpore articuli per hæc verba: *Dicendum*, (& eſt prima ſolutio) *quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum ſecundùm numerum, ſed ad unum ſecundùm genus, ſcilicet ad bonum, quia in malum non poteſt facere, & non facere: & hoc non excludit libertatem arbitrii; quia poſſe peccare, nec*

eſt libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anſelmus in Dialogo de liber. arbitr. cap.1. Et hæc quidem determinatio ex perfectione liberi arbitrii contingit, ſecundùm quod per habitum gratiæ, & gloriæ terminatur in eo, ad quod eſt naturaliter ordinatum, ſcilicet in bono: quia liberum arbitrium, quamvis in nobis ſe habeat ad bonum, & malum, non tamen eſt propter malum, ſed propter bonum. Hæc D. *Thomas*: quibus cum determinatione ad bonum ſtatuit in *Chriſto* Domino liberum arbitrium, & perfectam libertatem à neceſſitate. Tùm, quia poteſtas ad malum non ad conſtitutionem libertatis, vel ad ejus ſpectat perfectionem, ſed potiùs illius imperfectio eſt. Tùm, quia Deus neceſſitatus, & determinatus ad bonum perfectiſſimè liber eſt: ſicut & Beati, ab intrinſeco impeccabiles, erga plures actus liberi exiſtunt; cum ex amore illo naſcatur quædam neceſſitas in aliis actibus liberis Beatorum, qui non ſunt liberi, libertate contrarietatis. Cohæret ergo perfecta libertas cum neceſſitate, & determinatione ad bonum, & cum intrinſeca impotentia ad malum. Hæc eſt propria Angelici Magiſtri ſolutio, qua utitur 3. p. q.18. art.4. ad 3. dicens: *Voluntas Chriſti licèt ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc, vel illud bonum.* Hæc prima D. *Thomæ* ſolutio quæ ſanè veriſſima eſt, & quâ ibi utitur D. *Thomas* aliâ prætermiſsâ diſplicuit *Janſenio*, ut minimè favens ipſi: unde ad ſecundam recurrit, quam ad ſuum dogma aliquo modo accedere falsò exiſtimavit.

47. Sed admiſſo, ſolutionem illam eſſe de mente D. *Thomæ*, non præjudicat indifferentiæ arbitrii in *Chriſto*. Quare Reſpondetur primò juxta dicta, quod ibi libertatem à coactione uſurpavit D. *Thomas* pro libero à neceſſitate; nam in communi modo loquendi D. Thomæ, *actus liber à neceſſitate dicitur actus non coactus, actus, non violenter elicitus, actus ſpontaneus, actus voluntarius.* Qui modus loquendi eſt maximè conformis SS.PP. ut eruditè probat P. *Ripalda* tom. contra Bajanos diſp.14. à num.80. Comprobaturque ex ultimis verbis D. *Thomæ*, *& ita eſt actus ſui Dominus*. Non enim ſtat dominium circa actum ſine poteſtate ad non eſſe actûs, quæ poteſtas incompoſſibilis eſt tàm cum violentia, quàm cum neceſſitate. Utitur tamen ſæpè ſæpius D. *Thomas* hujuſmodi locutione, non quia actus ſit propriè meritorius, cum defectus coactionis non ſit cauſa infallibiliter inferens meritum propriè acceptum, ſed quia ly *non coactè* dicit conditionem, ſine qua actus nequit eſſe liber à neceſſitate, ſecundùm terminationem ſecundariam ipſiuſmet actus; quia, ut actus ſecundùm iſtam ſit liber à neceſſitate, requiritur, quod ſecundùm nullam ſui terminationem ſit coactus, vel violenter elicitus.

48. Quamvis hæc doctrina certiſſima ſit, & nulli non nota, adhuc reſpondetur cum Illuſtriſſimo *Godoy* tom.3. in 3.p. diſp.40. n.80. qui ingenioſè obſervat, non dixiſſe D. *Thomam*, dari libertatem per determinationem ad unum actum numero, *ſed per determinationem ad unum numero*. Etenim voluntatem determinari ad unum numero dupliciter poteſt intelligi; vel ad unum numero objectum, vel ad unum nu-

numero actum: & licet determinatio ad unum numero actum, & ad unum numero objectum, quod nequit per diverſos actus aut ſub diverſa ratione attingi, deſtruat libertatem ad meritum requiſitam; ſecus tamen determinatio ad unum objectum, quod pro libito ſuo poteſt voluntas per diverſos actus attingere, ſaltem æquivalenter; diverſa namque terminatio perinde ſe habet, ac ſi eſſet alter actus ad objectum terminatus. Cum ergo actus primario terminatus ad bonitatem divinam in ſe ipſa & prout eſt ratio diligendi Deum, poſſit terminari ad eandem, ut eſt ratio diligendi creaturas; Hinc eſt, quod ſic fuit neceſſitatus *Chriſtus* Dominus ad diligendum Deum, quod amor iſte, qui terminatus ad Divinam bonitatem in ſe ipſa, & ut eſt ratio diligendi Deum, neceſſarius eſt; terminatus ad eamdem, ut eſt ratio diligendi creaturas, liber eſt. Ipſa namque Divina Bonitas amata, ut eſt ratio diligendi creaturas, ſive ut finis exercitè movens ad earum amorem neceſſitare non poteſt ad amorem creaturarum: nec inſuper creaturæ ipſæ neceſſitare poſſunt ad ſui amorem. Non creaturæ, quia ſunt bonitatis finitæ, & limitatæ, quæ voluntatem aliquam neceſſitare minimè poteſt. Non ipſa bonitas, ratione cujus amantur creaturæ, ut *quo* attacta, ſive ut eſt ratio ipſas diligendi; in Deo enim perfecta libertas ſtatuenda eſt; ſi autem amor Divinus, quò Deus creaturas ratione propriæ bonitatis, & ut eſt finis exercitè movens ad earum amorem, diligit, eſt neceſſarius, nullus ſanè actus liber poteſt in Deo concedi: ergo actus creatus, vel amor *Chriſti* Domini eodem modo tendens in Bonitatem Divinam, neceſſarius eſſe non poteſt.

49. Accedit, quod Bonitas Divina, ut *quo* attacta cum nulla creatura in particulari connectitur neceſſariò. Amor autem adhærens Bonitati Divinæ ſolùm debet neceariò ferri in objecta connexa neceſſariò cum Divina Bonitate. Unde quamvis propter Bonitatem Divinam, cui voluntas neceſſariò adhæreat, diligantur creaturæ, tamen creaturarum amor non evadit neceſſarius. Sive ergo loquamur de voluntate Divina, ſive de humana Chriſti, quibus motivum diligendi eſt Divina Bonitas, extat ſimul determinatio neceſſaria ad unum diligendum, nempè Deum, & libertas in ſingularium dilectione propter Deum. Simili doctrina dicebamus ſupra, quod bonum in communi neceſſitat voluntatem quoad ſpecificationem, cum unuſquiſque neceſſariò amet ſuam Beatitudinem; & quia hæc cum nullo particulari bono eſt connexa, aut ab illo dependens, à nullo bono particulari neceſſitatur voluntas quoad ſpecificationem, etſi ratio amandi, ſive finis exercitè movens ad amandum bonum particulare ſit bonitas illa in communi, ſive Beatitudo objectiva. Hæc ergo eſt ratio, cur D. *Thomas* aſſerit, quod etiamſi *Chriſtus* Dominus eſſet determinatus ad unum, ſicut ad diligendum Deum, ex hoc non amittebat libertatem, quià nempè cum tali determinatione ſalvatur libertas requiſita ad meritum, ſecundum aliam ejuſdem amoris terminationem ſecundariam. Dumque aſſerit, quod ita eſt actûs ſui Dominus, quia in illud non coactè, ſed ſpontè tendit, ſic meliùs explicat libertatem talis terminationis ſecundariæ. Si namque amor

ille

ille coactè, & non ſponte tenderet in objectum primarium, repugnaret penitùs, ut ex ſuperiùs dictis conſtat, quod eſſet liber ſecundùm terminationem ſecundariam. Hæc ſufficiant pro intelligentia Doctrinæ Angelici Præceptoris, & ut fiat evidens, non ſolùm quod nullum cum ſpurio hoc Janſenii dogmate eſt illi conſortium, ſed quantum ipſius authoritate abutantur Hæretici iſti ad ſuos errores confirmandos: & maximè *Janſenius* adducto teſtimonio S. Doctoris ipſimet apertè repugnante. Aſſerit namque S. Doctor, quòd in tali caſu eſſet *Chriſtus actus ſui Dominus*; ſed dominium voluntatis ſupra ſuos actus, dicit neceſſariò libertatem indifferentiæ; ut ipſe concedit: ergo ex vi ejuſdem S. Doctoris teſtimonio hanc tenetur confiteri.

50. Sed priuſquàm huic Dubio finem imponam, præterire non poſſum, qualiter ſecum pugnet *Janſenius*. Primò expreſsè docet lib. 6. de gratia Chriſti, & fusè oſtendit cap. 3. *Eſſe verè liberum, eſt eſſe dominum, eſſe ſuum, ſeu ſui, non alterius gratiâ, eſſe ſeu habere in ſua poteſtate*; quod probat ex Patribus tum Latinis, tum Græcis. & maximè ex D. *Auguſtino* lib. 3. de lib. arb. cap. 3., & ex lib. 1. quæſt. ad *Simplicianum*, ubi exponit S. Doctor verba *Pauli* ad Rom. 7. v. 18. *Velle enim adjacet mihi perficere autem bonum non invenio*; dicens; *his verbis videtur non rectè intelligentibus velut auferre liberum arbitrium, Sed quomodò aufert cùm dicat: velle adjacet mihi? Certè enim ipſum velle in poteſtate eſt, quoniam adjacet nobis*: Sed dominium verum & realis poteſtas ſupra actum, dicit libertatem indifferentiæ, ut tot invictis *SS. Auguſtini*, & *Thomæ*, teſtimoniis probatum manet: ergo inconſequenter negat libertatem indifferentiæ, ſeu poteſtatem agendi, vel non agendi, dum concedit ad libertatem requiri dominium in ſuos actus. Quale enim erit dominium voluntatis in actum, quem non poteſt non velle? Cum potius actus iſte magis dominatur voluntati, eamque ſibi ſubjicit. Rurſus difficillimam, & obſcuriſſimam agnoſcit concordiam libertatis cum gratiæ efficacia cum *Auguſtino* lib. de grat. Chriſti cap. 47. & lib. 4. contra *Julianum* cap. 8. At quænam poteſt eſſe difficultas in hujuſmodi concordia gratiæ ſe ipsâ efficacis cum libertate, ubi, in ejus ſententia, ad ſalvandam libertatem ſufficit actus noſtros, etſi neceſſariò fiant, eſſe ſpontaneos, ac voluntarios, necnon exemptos à coactione, & violentia? Quid namque magis perſpicuum, quàm Divinam gratiam reddere actus noſtros maximè ſpontaneos, & voluntarios; non enim facit, ut homines nolentes agant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant: ergo vel neget difficillimam eſſe intellectui concordiam gratiæ ſe ipsâ efficacis cum libertate, recedens à mente *Auguſtini*; vel agnoſcat cum illo liberi arbitrii indifferentiam, & exemptionem à neceſſitate. Sic *Janſenius*, qui ſe SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ amatorem ſimulat, apertè ſe ab eorum doctrina abiiſſe, oſtendit; quod animadvertendum duxi, ut videat Lector, quàm ſtudiosè ſit ille fugiendus, qui Auguſtini nomine venenata dogmata contegit, ut melius eodem ſimplicia corda decipiat. Sed de his ſatis.

D I-

DISPUTATIO II.

De gratia conſtitutiva libertatis creatæ.

DUBIUM I.

An ad indifferentiam libertas Arbitrii requiratur, quod æquales ſint in voluntate vires?

§. I.

Præmittuntur quædam ad clariorem reſolutionem Dubii.

1 AD expeditam hujus Dubii reſolutionem, & ut omnis vitetur æquivocatio, maximè notandum venit, aliud eſſe libertatem, aliud vires arbitrii. Perſpicuum inſuper omnibus debet eſſe, aliud eſſe libertatem juſtè operandi; nempe, quam habent filii Dei, quæ ſine gratia eſſe non poteſt; aliud arbitrii libertatem, de qua nunc agimus. Illa quidem accidentaria homini eſt, quemadmodum & juſtitia, ſeu gratia, & charitas, proindeque homo hanc libertatem non habet, quando caret juſtitiâ, ſine qua Deo nihil poteſt eſſe acceptum. At libertas, quæ arbitrii eſt, ſubſtantialis eſt homini. Quis enim Catholicus neget, quòd propoſitis omnibus, quæ ſunt fidei, remaneat in homine libertas ad eſſentiendum? Et quis concedat, eſſe in homine vires naturales ad aſſentiendum, prout oportet, rebus fidei? Sic homo juſtus non habet vires ad perſeverandum ſine auxiliò, vel ad non peccandum aliquando venialiter, ut fatetur cum omnibus P. *Molina*: ex quô tamen non ſequitur carere libero arbitrio.

2. Hoc ipſum id profectò eſt, quod voluit D. *Auguſtinus* lib. 1. con-

contra duas Epiſt. *Pelagii* cap. 2. num. 5. aſſerens, quòd primô hominis peccatô non periit liberum arbitrium de humano genere: At periit libertas per peccatum: illa, *quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam; propter quod natura humana indiget divinâ gratiâ*. Quod & repetit S. Doctor *Ench.* cap. 30. *Victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium*. Et de perfect. juſtit. cap. 4. num. 9. *Victâ vitio, in quo cecidit voluntate, caruit libertate natura*. Et lib. 1. oper. imperfect. cap. 104. *Pœnâ peccati periit libertas non peccandi*; in quibus omnibus loquitur de perfecta poteſtate, ſeu de viribus, quibus gaudebat in ſtatu innocentiæ.

3. Non ergo eſt idem, hominem habere liberum arbitrium, & eumdem habere vires. Liberum arbitrium eſt proprietas naturæ rationalis, unde auferri non poteſt ab hujuſmodi natura, niſi natura ipſa ſit penitus abolita. Quare ſecundùm eſſentialia liberum arbitrium conſideratum nihil aliud eſt, quàm ipſa voluntas, quæ propoſitum ab intellectu objectum indifferens, poteſt vel proſequi, vel non proſequi. Vires autem liberi arbitrii ſumuntur, & conſiſtunt in robore addito voluntati ad intentionem veri ultimi finis, quâ intentione, cum liberè voluntas hominis careat, eò quòd peccatum, quò illâ intentione privatur, eſt ipſi voluntarium, & liberum; impotentia illa, ſive defectus virium ad ſuperandas tentationes, vel, quod idem eſt, infirmitas, in quam cecidit, cenſetur ipſi etiam voluntaria, & libera; cum aliunde etiam poſſit eam tollere convertendo ſe in ultimum finem, licèt non ſine gratia Dei, quæ ſemper excitat ad converſionem: & petendo id, quod ex defectu virium non poteſt, ut monet *Tridentinum*. Datur ergo in libero arbitrio vis electiva, vel poteſtas indifferentiæ, ſeu indifferentia poteſtatis. Habet ex gratia Dei, quòd poſſit eligere in ordine ad finem ſupernaturalem, quatenus elevatur, ultra objectum ſibi connaturale. Habet ex ſe, quòd poſſit ab bonum commutabile ſe convertere juxta illud *Oſeæ* 13. v. 9. *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum*. Quod & eleganter dixit D. *Bernardus* de gratiâ, & lib. arbitr. *Nemo proinde putet, ideò dictum liberum arbitrium, quòd æquâ inter bonum, & malum poteſtate, aut facilitate verſetur: cum cadere per ſe quidem potuerit, non autem reſurgere, niſi per Dominum*.

4. Hinc ergo eſt, quòd ſtateræ comparant SS. PP. liberum arbitrium, ut S. *Baſilius* in Pſal. 61. *Tertullianus* contra Marcion. lib. 2. cap. 6. *Clemens Alexandrin.* lib. 4. Stromat. D. *Damaſcenus* lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 27. & quòd *Auguſtinus* illud definiens de ſpirit. & litt. cap. 33. dixit: *Liberum arbitrium naturaliter attributum eſt à Creatore animæ rationali; illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt*. Quare D. *Thomas* q. 24. de verit. art. 4. ad 1. explicans nomen *facultatis* poſitum à D. *Auguſtino* in definitione alia liberi arbitrii, quoniam *facultas videtur dici, quaſi facilis poteſtas*, ſic habet: *Aliquid eſſe dicitur facilè dupliciter: uno modo propter remotionem impedimenti. Alio modo propter appoſitionem adjutorii. Facilitas igitur pertinens ad habitum eſt per adjutorii appoſitionem*;

nem; nam habitus inclinat potentiam ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eò quòd, quantùm eſt de ſe, non inclinatur in unum, magis quàm in aliud; ſed nominat facilitatem, quæ eſt per remotionem impedimenti, eò quòd liberum arbitrium non impeditur ab aliquo cogente à propria operatione. Et ideo Auguſtinus liberum arbitrium facultatem nominavit, non facilitatem: quia facultas hoc importare videtur, ut aliquid ſit in poteſtate facultatem habentis. Ita viſum eſt D. *Thomæ*, & in eamdem ſententiam, eumdemque modum dictum eſt à D. *Bernardo* ibidem cap. 10. *Cæterùm nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniàm, quòd ille non poteſt eſſe malus, non infirma facit neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quòdque is non valet in bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, ac voluntaria obſtinatio. Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quòd ſive in bono, ſive in malo æquè liberam facit voluntatem: cùm nec bonus quiſpiam, nec item malus dici nequeat, aut eſſe valeat, niſi volens. Tali jam ratione non incongruè dicetur, ad bonum ſe, & ad malum habere æqualiter: quòd utrobique videlicet par ſit ei, non quidem in electione facilitas, ſed in voluntate libertas.* Quibus oſtendit, qualis ſit libertas potentiæ, ſeu facultas electiva, ad bonum, & malum verſatilis, cujus tam poteſtas, quàm exercitium, & applicatio ad bonum pendent ex gratia adjuvante potentiam: *Cujus quippe conatus ad bonum & caſſi ſunt, ſi à gratia non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur.* Ita cap. 13.

5. Hæc pleniſſimè demonſtrant, quàm falsò dixerit *Janſenius*, poteſtatem iſtam voluntatis in æquilibrio poſitam eſſe merum Scholaſticorum figmentum. Sic enim habet lib. 3. de Grat. Salvatoris cap. 15. *Conſtat enim eodem planè modo, etiam peccata à non habentibus gratiam ſufficientem poſſe vitari, nòn quidem illa proxima poteſtate, quæ dat ſimul velle, quod poſſumus, & poſſe quod volumus; nec illa, quæ poteſtatem voluntatis, velut in æquilibrio ad utrumque ponit, qualem libertatem ſolam Scholaſtici ſibi conceperunt, ſolamque poſt lapſum, & hominum, & Angelorum, ſive in bonis, ſive in malis nuſquàm inveniunt; ſed illa remotiore poteſtate, qua poſſunt ea vitare, ſi voluerint; ſi enim noluerint, defectus eſt voluntatis, non poteſtatis, quam voluntas ſupplere non poſſit.* Ubi vides, quod ille non admiſit indifferentiam poteſtatis proximæ, quam S. *Thomas* docuit, & quam PP. ſpecie æquilibrii explicant, ſed tantùm indifferentiam remotam. Sed, ut video, *Janſenius* Scholaſticos non intellexit, & magnâ laboravit confuſione; cum enim dicit, *quâ poſſunt ea vitare, ſi voluerint*, verè indifferentiam proximam poteſtatis verba ſignificant; licèt ille remotiorem libertatem nominet. Indifferentem ergo illam eliciendi poteſtatem ſemper habemus, vires ad actum non ſemper. Et ideò liberum arbitrium nunquam petimus, etſi ad ſingulos ſalutis actus vires ſemper petere debeamus. Unde *Auguſtinus* Epiſt. 217, *Hæc eſt illa Pelagianorum mala, malè diffamata meritòque reprobata, & ab ipſo etiam Pelagio timente* da-

damnari, in Orientalium Epiſcoporum judicio damnata ſententia, qua dicunt, gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina. Et uſque adeò frater, erimus graves corde, ut de gratia Dei, immo adverſus gratiam Dei, eam Pelagianorum ſententiam teneamus, quam pectore quidem ficto, ſed tamen Catholicos Judices timens, Pelagius ipſe damnavit? Ecce liberum arbitrium: en gratia, quæ ſecundùm fidem contra Pelagianam hæreſim datur, & petitur, ut per ipſam Deus det vires, non ſolùm, ut voluntas poſſit vincere, ſed ut de facto vincat. Sic ajebat ad Deum *David* Pſal. 17. ver. 30. *in te eripiar à tentatione*, quæ verba reddit *Auguſtinus* aliâ expreſſiori phraſi hoc modo legens: *à te eruar à tentatione, quoniam, à te, non à me eruar à tentatione*. Quid hoc eſt, à te, non à me? Numquid Propheta Regius libero arbitrio tentationibus non reſiſtebat? Eas nonne ſuperabat? Ità ſanè. Cur ergo dicit Deo, interprete *Auguſtino*, *à te, non à me eruar à tentatione?* Nimirùm, quia vires, earumque efficaciam quibus tentationum vi obſiſtebat, atque vincebat, non à ſe ipſo profectas, ſed à Deo eſſe ſentiebat, dicens v. 36. *Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me*. *Auguſtinus*: *Et favor gratiæ tuæ ſuſcepit me*: ergo defectus virium non arguit defectum liberi arbitrii: unde exponens illud Matth. 26. *Spiritus enim promptus eſt, caro autem infirma*, doctiſſimus *Maldonatus*, ſic ibi n. 41. habet: *Cauſæ redditio eſt, quamobrem orare debeant, quia etiamſi illis non deſit animus, ac voluntas, vires tamen deſunt, niſi à Deo per orationem impetrent*. En iterùm quomodo in libero arbitrio eſt eligendi poteſtas, non tamen robur, non vires; quarum defectum auxilio intrinſecæ gratiæ Deus in nobis ſupplet. Hujus clariſſima ratio deducitur ex irrefragabili Angelici Præceptoris doctrina; nam ut docet 1. 2. q. 111. art. 3. *Quinque ſunt effectus gratiæ in nobis, quorum primus eſt, ut anima ſanetur. Secundus, ut bonum velit. Tertius eſt, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur. Quartus eſt, ut in bono perſeveret. Quintus eſt, ut ad gloriam perveniat*. Primus ergo, ut anima ſanetur, & ſecundus effectus, ut bonum velit. Hucuſque liberi arbitrii elevati formalis ratio, & exercitium, etſi adhuc non efficax, ad quod conſtituitur potens per elevationem, quâ ipſi fit connaturalis tendentia in bonum ſupernaturale. Tertius effectus, ut id, quod vult, efficaciter operetur. Hic exercetur robur animæ, & uti formaliter; quia ex efficaci electione arbitrii opus aggreditur. Unde & requiritur liberum arbitrium, & ultrà requiruntur hæ vires gratiæ, ut dicit D. *Baſilius* ſerm. de liber. arbitr. *Nam quod in hominis poteſtate ſitum eſt liberum arbitrium in eligendo, aut non eligendo, quod Diabolo reſiſtat ſitum eſt, non in eo, quod poſſit penitùs robur habere contra effectus*. Sed eſt obſervandum (ut nuper innuimus) quod dum arbitrium eligit efficaciter bonum contra habitum, aut urgentem tentationem, etſi ſit ſimpliciter bonum velle, quod ex ſe eſt effectus gratiæ operantis ſtrictè, nondum eſt efficaciter operari; quod operari eſt diſtinctus actus, & effectus gratiæ cooperantis, juxta D. *Thomam* 1. 2. q. 111. art. 2. Unde ad hoc, præter indifferentiam po-

poteſtatis electivæ, requiruntur ſpeciales vires, quas Deus ſufficientes nulli negat, ſaltem ut petat, & quæ poſſunt eſſe majores, vel minores, ut poſtea videbitur. Quartus effectus eſt, ut voluntas perſeveret in bono, & hoc majorum virium eſt, quas Deus ſpecialiter confert, & ideò donum perſeverantiæ à D. *Auguſtino* computatur inter ſpecialia beneficia. Quintus eſt, ut ad gloriam anima perveniat: in quo eſt totius itineris noſtri conſummatio. Non ergo natura, non liberum arbitrium illud in æquilibrio ſemper poſitum creſcit; ſed creſcunt vires gratiæ in Anima, ſeu creſcunt vires Animæ, voluntatis, arbitrii ſecundùm gratiam confortatione Divinâ, ut à bono non avertantur; non quòd æquilibrium poteſtatis arbitrii deficiat, ſed ut in electione boni confortetur.

6. Prætereà: habituali gratiâ confert Deus hominibus participationem naturæ ſuæ, ipſos ordinans, & actu inducens ad participationem gloriæ, quæ eſt participationis naturæ conſummatio. Hâc gratiâ vivit ſupernaturaliter anima; hæc enim eſt quaſi anima animæ, in hac gratia creſcit ſecundùm ſupernaturale eſſe. Quis audebit negare creſcere vires, creſcente homine ſecundum naturam, quam ſemper habeat ex Deo? Juſtus nè Dominus, qui & juſtitias dilexit, conceſſit Sanctis perfectiorem principii rationem, & negavit majorem agendi facultatem, virtutem, vires, quæ conſequuntur principium? Quis hoc dicet? Hinc eſt, quod tentationes eædem non ſunt æquales ad vires omnium; quæ enim à robuſtioribus contemnuntur, debilioribus graves ſunt frequenter.

7. Hoc ergo ſuppoſito, ut omnis aliena, falſaque interpretatio, quæ occurrere menti in ſignificatione hujus termini *æquilibrium* poſſet, penitùs amoveatur, memoranda venit nova quorumdam doctrina de æquilibrio, quam ad duas propoſitiones ejus AA. reducunt, quas latinè damus, fideli ex Gallo idiomate traductione. Prima eſt, *ut liberè fiat ſupernaturalis actio, dum tentatio violenta opponitur, neceſſe eſt habere potentiam completam reſiſtendi, vimque æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis*. Secunda: *Ut quis ſit liber à peccato, neceſſe eſt habere potentiam completam eamdem rejiciendi, vireſque æquales, aut proportionatas attractivæ virtuti gratiæ*. Utramque propoſitionem adeò Fide Orthodoxâ certam putant, ut innuant, nullum Catholicum poſſe eam reprobare doctrinam, omneſque ad ei ſubſcribendum teneri; nàm aliter diſcurrere, errare eſt. Priorem ex prædictis propoſitionem probare conantur ex Apoſtolo 1. ad Cor. 10. dicente: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Poſteriorem verò ex Tridentino ſeſs. 6. can. 4. definiente, *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum .... poſſe diſſentire, ſi velit*. Nec diſſimulandum, in eum ſenſum illos accepiſſe eam Concilii definitionem, ut idem ſit diſſentire, ac cuicumque gratiæ, quantumvis efficaci reſiſtere.

8. Doctrina hæc viget in Gallia, putantibus quibuſdam, hâc unicâ viâ Apoſtolicæ Sedis definitionibus omnes debitam obedientiam præſtitu-

ſtituros. Unde & in reſponſionibus ad notos duodecim Pariſienſes articulos editis *Mechliniæ* anno 1726. ad artic. 4. ſic dicitur: *Diſtinguimus Catholici inter propenſionem, ſeu facilitatem, & inter vires. Vires ſignificant poteſtatem ſimpliciter ſufficientem ad bonum, & malum. Hæ poteſtates debent eſſe æquales, id eſt, tàm debet voluntas habere poteſtatem ſimpliciter ſufficientem reſiſtendi gratiæ, quàm habere poteſtatem ſimpliciter ſufficientem reſiſtendi tentationi. Hoc ſcilicèt eſt, quod Apoſtolus docet* 1. *Cor.* 10. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis. Si nunquàm tentatio concupiſcentiæ eſt ſupra id, quod poſſumus: ergo adeſt ſemper poteſtas par reſiſtendi. Atque hoc eſt, quod Catholici appellant æquilibrium virium, id eſt vires utrinque reſiſtendo pares, vel aliis terminis poteſtatem phyſicam utrinque ſimpliciter ſufficientem.*

9. Hujus ſententiæ Patronus Primarius in Hiſpania noſtra his noſtris temporibus eſt *P. Marin*, qui tract. de juſtificat. 13. diſp.3 ſeſs.6. num.90. tale defendens æquilibrium, propugnat, *Quod ſi Deus prævideat, extituram in homine inclinationem reddentem naturaliter impoſſibilem actum præceptum, poteſt in pœnam peccati præteriti decernere, ut exiſtat gratia in actu primo proximo ad actum præceptum, ut cum inclinatione gratiæ liberè poſſit peccare.* Et in alia hypotheſi num. 99. quod Deus miraculosè producat inclinationem malam in voluntate, ut fiat æquilibrium libertatis, ſic enim habet: *Si ergo Deus aliquando poteſt cauſare per ſe malas inclinationes conſtituentes libertatem ad peccandum, maximè quando relinquent voluntatem plenè indifferentem, & non magis inclinatam ad peccatum, quàm ad carentiam, ut eam relinquent in caſu præſenti.*

10. Æquo animo ferre non poſſum, quòd, ut ad doctrinam Fidei ſpectans, vel pro ipſa Fide tuenda nobis tale æquilibrium proponatur neceſſarium. Plurimùm veneror ſingularia merita *P. Marin*. Sed Amicus ſit *Plato*, amicus *Ariſtoteles*; magis tamen amica ſit veritas cordato Theologo. Theologorum eſt falſitatem opinionum detegere, omnem inanitatem amputare; errorum, ſi qui ſint, fibras evellere, ſtirpes evellere, ſemina extinguere. Eccleſiæ doctrina veritas eſt, non recens, nec nunc primùm orta, ſed ab Apoſtolis jàm olìm tradita, & in omnem terrarum orbem diſſeminata. Quando ergo doctrina hæc æquilibrii virium, vel ab Scholaſticis, vel à PP. vel à Conciliis, ad conciliandam libertatem fuit edocta? Quando ad hæreſes expugnandas ab ipſis fuit adhibita? Putant hujus novitatis auctores non ſine injuria, neceſſariam ad aſſenſum definitis veritatibus per Conſtitutionem *Unigenitus*, hanc doctrinam. Sed quomodo ipſa feliciter ad vinculum ſocietatis, & debitæ Conſtitutioni *Unigenitus* obedientiæ firmamentum adhiberi poteſt, ut ceſſet in Galliis gravis illa animorum incitatio, ſtudiorumque commotio? Numquid ſic ab errore Queſnelli defenſores educti, in viam poterunt dirigi ſalutis? Dum doctrina hæc tot inconvenientibus penè inſuperabilibus irretita non in partes Religionis Chriſtianæ inclinat, ſed potius multis argumentis convicta ad diſſenſum ſui indu-

inducit, & provocat. Hanc ergo ut adversùs recepta Eccleſiæ dogmata pugnantem, PP. ſententiis oppoſitam, & omnibus tàm Theologiæ, quàm Philoſophiæ moralis principiis penitùs contrariam conſtantiſſimè ſequentibus Concluſionibus rejiciam, quibus fiet perſpicuum, non Fidei dogma, ſed erroribus obnoxium dicendum eſſe hoc virium æquilibrium.

11. Sed priuſquam ad probationem deſcendam, ſiſte Lector, & vide, quàm gravem, enormem, minimèque ferendam in me Caducìfer immittit injuriam. Imponit mihi pag. 285. num. 68. quod relato æquilibrio Juliani hæretici, Patrem *Marin* ad claſſem hæreticam Juliani relegaverim, hiſce verbis; *In hujus æquilibrii claſſem hæreticam R. P. Benitez relegare viſus eſt P. Joannem Marin, licèt tacite: unde & veritati, & juſto dolori ſatisfaciendo deeſſe non potui.* Priuſque num. 65. ſic concluſit. *In quibus verbis en typum, fideliſſimumque characterem illius ſiniſtri conceptus, quem de æquilibrio à R.P. Marin, & aliis Catholicis, vel potius ab omnibus propugnato formavit R. P. Benitez.* Hic fidem tuam Caducifer. Nonnè num. 5. dixeram, doctrina hæc (novi ſcilicet iſtius æquilibrii) viget in Gallia? Nonnè ibi dixeram, quod contineretur *in reſponſionibus ad notos duodecim articulos Pariſienſes anni* 1726.? Nonnè tandem ipſum numerum ſecundum, cujus verba, Caducifer, carpis, ſic incepi: *Dicant ergo hi Catholici, contra quos agimus* &c.? Quâ ergo fronte dicis, quòd relegaverim Patrem *Marin* ad claſſem hæreticam *Juliani*? An forte æquilibrium illud noviter divulgatum in Gallia, & *Mechliniæ* idem eſt cum æquilibrio Juliani hæretici? Si affirmat, caveat ſibi ab illius æquilibrii inventoribus, aut aſſertoribus. Si negat: ergo ſtatuendo Patrem *Marin* in Hiſpania Patronum æquilibrii *Mechlinienſis*, aut ſi mavis, Gallici, non ablegavi ipſum ad claſſem hæreticam *Juliani*. Hæc *veritati, & juſto dolori ſatisfaciendo* omittere non potui: nec quod ille imponit mihi pag. 283. num. 64. quod vocaverim P. *Marin* illius intelligentiæ ſiniſtræ PRÆCIPUUM AUCTOREM, cum ſolùm dixerim PATRONUM PRIMARIUM, idque cum reſtrictione hâc, IN HISPANIA: quæ differunt, & imponunt Caducifero onus quærendi alium auctorem in Hiſpania, qui huic ſyſtemati Mechlinienſi, ante P. *Marin* fuerit patrocinatus: quem aut aſſignare debet, aut ceſſare à querelis. Rurſus quâ fronte negat ipſe fuiſſe, & eſſe quoſdam, qui ad libertatem exigant æquilibrium virium? Quid, cedo, ſignificant verba illa à me adducta num. 5. ex reſponſionibus Mechlin. ad art. 4. *Diſtinguimus Catholici inter propenſionem, ſeu facilitatem, & inter vires. Vires ſignificant poteſtatem ſimpliciter ſufficientem ad bonum & malum. Hæ poteſtates debent eſſe æquales.... atque hoc eſt, quod Catholici appellant æquilibrium virium, ideſt vires utrimque reſiſtendi pares &c.* Nonnè hìc proponitur velut doctrina Catholica, quòd poteſtates ad bonum, & malum debent eſſe æquales, & vires utrimque reſiſtendi pares? Et poſt hæc nullus docuit, jùxta Caduciferum, æquilibrium virium, quod ibi oppugnabam. Audiat ille P. *Aſſermert* Doctorem

ctorem Sorbonicum Ord. Minorum tom. 2. pag. 100. in ſuo tractatu Gallicè ſcripto, *Defenſe de la Bulle Unigenitus*, dicentem: *Agnovit Eccleſia, præter gratiam efficacem, aliam ſufficientem; & per ſufficientem intelligit eam, quæ ſaltem mediatè vires pares, & æquales confert relativè actuali cuilibet oppoſitæ concupiſcentiæ ſuperandæ. In ſubſtantia dogmatis Catholici.* Et pag. 160.: *Ex dictis liquidò patet, gratiam ſufficientem, quam Sancta, ac Romana Eccleſia admittit, illam eſſe, quæ voluntati confert vires pares, & æquales relativè ad vincendam cupiditatem, & ad mandata Dei ſervanda.* Conſentiunt & alii, non aliam veram, non aliam agnitam ab Eccleſia, non aliam ab omnibus Catholicis agnoſcendam eſſe libertatis ideam, aſſerentes, tàm in ſuis ſcriptis, quàm in publicis Theſibus.

12. Deinde quâ veritate aſſeritur Patrem *Marin* ab hoc æquilibrio propugnando fuiſſe alienum? Dicat mihi, quid ſignificent verba illa num. 9. adducta: *Quòd ſi Deus prævideat extituram in homine inclinationem reddentem naturaliter impoſſibilem actum præceptum, poteſt in pœnam peccati præteriti decernere, ut exiſtat gratia in actu primo proximo ad actum præceptum, ut cum inclinatione gratiæ liberè poſſit peccare.* Nonnè qui ſic loquitur, ſatis manifeſtè dicit, hominem non liberè peccaturum; adeoque nec futuram libertatem veram in homine, niſi, dum liberè peccat, exiſtat gratia in actu primo proximo ad actum præceptum? Quid hìc profecto ſibi vult, niſi ponere æquilibrium virium additâ inclinatione gratiæ contra pravam inclinationem, eo fine ut actus ponendus ſit peccatum? Poteſt quidem juſtiſſime Deus ſubtrahere gratiam in pœnam peccati; at hìc aſſeritur, quod Deus in pœnam peccati præteriti decerneret, ut exiſteret gratia in actu primo proximo ad actum præceptum, ut peccatum ſit actio, quæ aliàs non eſſet peccatum. An non etiam idem ſtatuit in ſecundo loco, dum dicit: *Si ergo Deus aliquando poteſt cauſare per ſe malas inclinationes conſtituentes libertatem ad peccandum, maximè quando relinquent voluntatem plene indifferentem* &c. Nonnè qui ſic loquitur fatetur non futuram libertatem ad peccandum, niſi adſint malæ inclinationes? Non hic merè hypotheticè loquitur, cùm in eodem num. 99. apertè pronuntiet, & doceat cum *Ribadeneira* diſp. 2. de actibus humanis: *Deum poſſe cauſare per ſe cogitationes, & motus neceſſarios, inclinantes ad actiones malas præciſivè à malitia; non verò ad actiones malas ut turpiter habendas*: quam ſententiam ultro admittit, & ex eadem intulit. *Si ergo Deus aliquando poteſt cauſare per ſe malas inclinationes* &c.; Unde apertè ſentit malas inclinationes oppoſitas inclinationibus gratiæ conſtituere indifferentiam libertatis, malaſque inclinationes conſtituere libertatem ad peccatum, quæ ut ſalvetur, illas Deus poteſt producere. Quare ex judicio conſtituendi libertatem per inclinationes malas, ponit caſum, in quo gratia habitualis, quæ ex parte actus primi in hominibus juſtis ſe habet, vi ſuæ inclinationis inducat neceſſitatem ad actum præceptum, & ait: poſſe dici, quod in tali caſu, ut ſalvetur libertas, Deus producat miraculosè in voluntate incli-

inclinationem malam æqualem ad peccatum, ut ſic ex duplici inclinatione inclinante ad oppoſita coaleſceret æquilibrium libertatis. Verùm reſpondet *Caducifer* pag. 289. textum ſecundum non inveniri in P. *Marin* loco citato num. 90. at invenitur num. 99. Dicit ſecundò non haberi ibi *verbulum illud æquilibrium*. Sed quid tum, ſi res ipſa exprìmatur nomine æquilibrii ſignificata? Tertiò reſpondet rem interrogatam eſſe tam Methaphyſicam, & Hypotheticam &c. Sed ſi clarum erat Patrem *Marin* loqui in caſu omnino Methaphyſico, & Hypothetico, cur debuit Caducifer mutare To *poteſt* in *poſſet*, dicens lin.30. pag.289. *Si Deus poſſet cauſare*: cum P. *Marin* dicat: *Si Deus poteſt cauſare*? Cur & ille adjungit timida illa verba *Forte dici ita poſſe*: Et rurſum: *Quæ aliorum judicio relinquo*: Quæ ſane non indicant agi de re omnino Methaphyſica.

13. Sed ad majorem hujus veritatis confirmationem audiamus eundem P. *Marin* tract. 10. de bonit. & malit. &c. diſp. 6. num. 24. dicentem: *Libertas activa, per augmentum homogeneum inclinationis, ſeu diminutionis allicientis, & per decretum homogenum diminutionis retrahentis poteſt tranſire in libertatem paſſivam*. An non hic videtur ille conſtituere perfectam libertatem per æqualitatem inclinationum, dum inclinationis in unam partem AUGMENTO HOMOGENEO ſignificat minui libertatem; & uſque adeo poſſe ita minui, ut tranſeat in paſſivam libertatem? Urgetur magis hoc ex his, quæ habet tract. 13. de Juſtificat. diſp. 3. ſect. 6. num. 92. *Quando datur æqualis inclinatio in omiſſionem, quàm in actum præceptum, actus præceptus non eſt naturaliter neceſſarius; ſed in tali caſu daretur æqualis inclinatio in omiſſionem, quàm in actum præceptum: quia ſi gratia inclinabat ut octo in actum præceptum, vehemens inclinatio inclinabat ut octo in omiſſionem: ergo in tali caſu actus præceptus non eſſet naturaliter neceſſarius. Imo voluntas eſſet omnino indifferens ad actum, & omiſſionem, quia non habebat majorem inclinationem ad unum, quam ad aliud*. Quid expreſſius pro æqualitate, & quidem arithmetica virium, pro æqualitate propenſionum conſtituente libertatem? *Si gratia inclinabat ut octo in actum præceptum, vehemens inclinatio, inclinabat ut octo in omiſſionem*: ergo *in tali caſu*, inquit P. *Marin*, *actus præceptus non eſſet naturaliter neceſſarius*. Quid ſi unâ inclinatione exiſtente ad octo, altera ſit ad ſeptem vel ſex? Actus profectò juxta ipſum neceſſarius eſſet. Hæc ſufficient de mente hujus Auctoris, quæ, iterum dico, *veritati, & dolori ſatisfaciendo* omittere non potui. Abſit tamen, quod hæreſis ſuſpicionem velim ingerere huic doctiſſimo viro, cujus gloriæ, meritò, atque ex animo faveo, qui non exigit ab ullo Theologo, ut aſſerta ſua cęco modo recipiat, & quòd ei non liceat rationes ſuas, quibus retardatur ab eiſdem aſſentiendo, proponere.

14. Admonueram etiam ex auctoritate tot Sanctorum Patrum mihi conſentientium, diſtinguendam eſſe veram libertatem à viribus libertatis. Diſſentit Caducifer pag. 282. num. 63. de meloquens hiſce verbis: *Quorum primus, poſtquàm prius cum multis SS. Patribus*, &

D. Tho-

D. Thoma, *ſtatuit verum in libertate æquilibrium .... num.2. diſtinguens, neſcio quâ Philoſophiâ, veram libertatem à viribus libertatis* &c. Non ego omne æquilibrium rejeci. Amplexus ſum illud, quod S. *Thomas* poſt SS. PP. admiſit, ſolumque æquilibrium virium noviter inventum, Patribus ignotum, rejiciendum duxi; diſtinguens veram libertatem, à viribus libertatis, eâ Philoſophiâ, quâ D. *Baſilius* citatus num. 2., ac etiam *Maldonatus* non infimus Societatis Theologus, ibidem etiam adductus, inter ea diſtinxerunt; verba *Maldonati* hìc repetere placuit: *Cauſæ redditio eſt, quamobrem orare debeant, quia etiamſi illis non deſit animus, ac voluntas, vires tamen deſunt, niſi à Deo per orationem impetrent.* An illi, quibus nec deeſt animus, nec voluntas, non habent veram libertatem? Non habent tamen vires, juxta *Maldonatum*, niſi à Deo impetrent. Igitur juxta Philoſophiam hujus doctiſſimi Jeſuitæ, aliud eſt vera libertas, aliud vires. Unum inveniri poteſt ſine alio, ideoque diſtinguuntur. Sed apud Caduciferum tantum ſapit ille, quantum ſibi ſapere videtur. Sed ad id, quod ab initio ſcripſi revertamur. Sit ergo

§. II.

Prima Conclusio.

Ut quis liber ſit à peccato, dum ab eo retrahit vis victricis Gratiæ, neceſſe non eſt, habere potentiam eamdem rejiciendi, vireſque æquales, aut proportionatas attractivo Gratiæ.

15. HÆc concluſio quoad utramque partem directè eſt contradictoria ſecundæ propoſitioni allatæ. Et quidem ſecunda pars, nempè, quod ut quis ſit liber à peccato, non debeat habere vires æquales, ſeu proportionatas attractivo gratiæ ei contrarias, ad evidentiam demonſtrari poteſt ex doctrina Angelici Præceptoris 3. p. q. 62. art. 6. *Quod effectus gratiæ eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum; quia minima gratia, poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam.* Quam repetit q. 70. art.4. ubi aſſerit, *Sufficere ad reprimendam concupiſcentiam fomitis, & ad implendum mandata legis, quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim Charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri, & argenti.* Ex hoc Angel. Præceptoris principio habetur, minimam gratiam omnes vires concupiſcentiæ ſuperare, omnique tentationi, & peccato ſuperiorem eſſe. Si ergo minima gratia tantùm valet: ubi nam gratia illa, contra quam æqualitas virium fingitur? Vel ſi vires concupiſcentiæ inferiores ſunt ſemper minimæ gratiæ, quænam illæ ſunt vires æquales attractivo gratiæ?

16. Cre-

16. Creſcit Argumenti robur ex ſuperiùs expoſita ejuſdem Præceptoris S. Doctrina verè Catholica, ſecundùm quam triplicem charitatis gradum diſtinguit, nimirùm incipientium, proficientium, & perfectorum, ut docet 2. 2. q. 21. art. 9. ubi ſic in corpore habet: *Dicendum, quod ſpirituale augmentum charitatis conſiderari poteſt, quantùm ad aliquid ſimile corporali hominis augmento. Quod quidem quamvis in plurimas partes diſtingui poſſit, habet tamen aliquas determinatas diſtinctiones ſecundùm determinatas actiones, vel ſtudia, ad quæ homo perducitur per augmentum. Sicut infantilis ætas dicitur antequam habent uſum rationis, poſtea autem diſtinguitur alius ſtatus hominis, quando jam incipit loqui, & ratione uti: iterum tertius ſtatus ejus eſt pubertas, cùm jam incipit poſſe generare, & ſic deindè quouſque perveniatur ad perfectum: ita & etiam diverſi gradus charitatis diſtinguuntùr ſecundùm diverſa ſtudia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primò quidem incumbit homini ſtudium principale ad recedendum à peccato, & reſiſtendum concupiſcentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas eſt nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundùm autem ſtudium ſuccedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat. Et hoc ſtudium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem ſtudium eſt, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur: & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Sicut etiam videmus in motu corporali, quod primùm eſt receſſus à termino: ſecundùm autem eſt appropinquatio ad alium terminum: tertium eſt quies in termino.* Quam doctrinam repetit q. 183. art. 1. & q. 189. art. 3. ad 2. Tenentur ergo AA. iſti fateri, eſſe in incipientibus vires infantium, prout illos appellat Apoſtolus *Petrus* 1. cap. 2. verſ. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite*. In proficientibus vires adoleſcentium, prout ibidem dicit: *Ut in eo creſcatis in ſalutem*. Atque Apoſtolus *Paulus* ad Epheſ. 1. verſ. 15. *In charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus.* In perfectis denique vires virorum, ſecundùm quod ad virilem ætatem in vita ſupernaturali Sancti Dei veniunt, & malitiâ parvuli, ſenſibus autem perfecti ſunt, ut idem *Paulus* hortatur 1. Cor. 11. verſ. 20. & ibidem cap. 16. verſ. 13. *Viriliter agite, & confortamini*. Undè nihil non poſſunt, dicente eodem Apoſtolo ad Philipp. 1. verſ. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. In hujuſmodi autem neceſſe eſt fateri, quod ſecundùm gratiam creſcant, cum hæc habeat rationem naturæ in eſſe, & vita ſupernaturali.

17. Ex his, inquam, principiis deducitur ſecunda Concluſionis pars, quam primò probandam aſſumimus, ut prima dilucidior, & apertior fiat. Creſcentibus hominibus in gratia, & charitate, non creſcunt vires concupiſcentiæ, vel quia charitas tàm ex virtute Spiritus Sancti, quàm ſecundùm propriam rationem habet impeccabilitatem, ut docet *D. Thomas* 2. 2. q. 21. art. 9. vel quia homo ſpiritualis ex habitu charitatis habet

inclinationem ad rectè judicandum de omnibus ſecundùm regulas Divinas, ex quibus judicium profertur, teſte *D. Thoma* 2. 2. q. 60. art. 1. vel quia quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, reddendo hominem promptiorem ad iterùm agendum, & habilitate creſcente, donec conetur ad perfectum, & tunc actu augetur, 2. 2. q. 24. art. 7. vel quia ideò charitas nominatur via ab Apoſtolo, quâ Deo appropinquamus, quia per ipſam mens Deo unitur, 1. 2. q. 28. art. 1. loquens *D. Thomas* de amore in communi & 22. q. 23. art. 1. ubi quod charitas eſt amicitia. Et tandem quia ipſa eſt virtus, quæ concupiſcentias frænat, affectus temperat, deſideria ſancta adauget, & multiplicat, vitioſa caſtigat, confuſa ordinat, cogitationes pravas removet, ſanctas ingerit, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, atque mentem ab omni vitiorum tempeſtate defendit: quare dixit *S. Auguſtinus* lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. *Quantò magis regnum cupiditatis deſtruitur, tantò magis caritatis augetur*. Non ergò ſecundùm charitatem creſcunt vires concupiſcentiæ, ſed minuuntur. Nam ſicut ſemper ratio ſecundùm naturam ſuperior eſt concupiſcentiæ, juxtà illud Geneſ. 1. 7. *Sub te erit appetitus tuus*: ita creſcentibus hominibus in vita ſpirituali, ſubjicitur magis, ac magis ſpiritualibus animæ viribus concupiſcentia, vireſque amittit, quibus tendit in actum peccati. Unde *S. Thomas* 2. 2. q. 24. art. 9. ad 2. egregiè docet, quod incipientium principalior cura eſt, ut reſiſtant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed poſtea hanc impugnationem minùs ſentientes, jam quaſi ſecuriùs intendunt ad perfectum. Non quod â tentationibus ſecuri ſint; ſed quod ſuperiores ſint animæ vires vigori tentationum. Undè non ſolùm ad eas repellendas, ſed ad alios profectus tendunt, *Ex una parte*, inquit ibidem, *facientes opus*, *ex alia parte habentes manum ad gladium*, ut dicitur in *Eſdra* de ædificatoribus Hieruſalem lib. 2. cap. 4. Et notandum, quod modo non loquimur de extraordinariæ providentiæ permiſſionibus, quas experti ſunt *Paulus* Apoſtolus, *Hieronymus*, & alii: de quibus propriiſſimè dicendum: *Certamen fortè dedit illi*, *ut vinceret*, *& ſciret quoniàm omnium potentior eſt ſapientia*. Sap. 10. verſ. 12. Ille enim fideliſſimus Deus, qui ad glorioſiorem victoriam certamen forte dat, extraordinarias etiam vires animæ confert; *atque ita facit cum tentatione proventum*, ut dicitur 1. Cor. 10. Tandem in perfectis adeo ſuperiores ſunt vires animæ, ut homo ad hoc vehementiſſimè tendat, ut Deo fruàtur, quod etiam Angel. Doctor notavit ubi ſupra. Undè concupiſcentia poteſt quodammodo dici victa, non prælio, ſed bello, Et ideo Apoſtolus ad Philippenſ. 3. verſ. 13. dicebat. *Quæ quidem retrò ſunt obliviſcens*, *ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum*.

18. Dicant ergò hi Catholici, contra quos agimus, an vires concupiſcentiæ creſcant, creſcentibus hominibus ſecundùm gratiam, & caritatem. Explicent principium, ex quo oritur, aut oriri poteſt hujuſmodi augmentum. An ab ipſa gratia? Quis audebit dicere, quod dum charitas carnales ſub rationis imperio cohibet paſſiones, dum anima mediâ caritate, quæ ſunt virtutis, honeſtatis, & meriti ſectatur; dum ani-

animam in certamine roborat, & ad profectum virtutis impellit, quòd ab ipſa in proficientibus, & perfectis augentur vires animæ contra ipſam gratiam? Quid enim ſacrilegum magis audax Hæreticorum genus attentavit uſquam, quàm quod ipſa virtus Dei, quâ elevamur, & liberamur à malo, augeat vires contra ſe ipſam? Sed ſi non à gratia, à quonam accipiuntur vires contra creſcentem gratiam? An à natura? Natura bona eſt, & à bono, quod per gratiam perficitur, inde non oriuntur vires contra gratiam. An ab infirmitate, & deordinatione naturæ? Hæc per gratiam curatur: à medicina autem non proveniunt vires contra ipſam. Undè ergo hæ ſomniatæ vires æquales ſemper attractivo gratiæ?

19. Ponamus ergo *D. Paulum* Apoſtolum, virum perfectum, & hominem, ſeu infantem proficere incipientem in via Dei, eadem tentatione invaſos: juxta iſtorum AA. ſententiam, ut iſti ſint à peccato liberi, debent habere vires æquales, aut proportionatas attractivæ gratiæ virtuti, ut eam nimirum abjiciant: ergo dicendum eſt, vel quod vires illius excellentiſſimæ, & majoris gratiæ, & charitatis non perſeveraverunt in Paulo, ut ſic ſint æquales tentationis motus, quibus poſſet reſiſtere gratiæ; vel quod, quò magis mens ipſius uniebatur Deo, ardentiori, quàm in aliis, voluptatis vi fatigabatur; quod in graviores interius agebatur tentationes; quod novi pernicioſique proveniebant concupiſcentiæ inſultus, quibus ipſius mens æquè periclitaretur, ac aliis nimirum, ut tentationes ad gradum gratiæ aſcendentes poſſint reſiſtere ipſi gratiæ, nè pereat libertas. Quod ſi hæc dici non poſſunt, ut verè non poſſunt, dicendum, & certiſſimè tenendum eſt, quòd ad libertatem non requiritur illa æqualitas virium, ſed quod tam in perfectis, quàm in proficientibus ſine tali æqualitate datur perfecta libertas, Quod ſi verum eſt de illis, qui differenter habent gratiam, & charitatem, quantò magis de illis, quorum alter habitualem gratiam poſſidet, alter non habet. Quod, quàm verum ſit, unuſquiſque apertis oculis facilè cognoſcere poteſt.

20. Jam prima pars concluſionis, quòd ut quis ſit liber à peccato, dum ab eo retrahit vis victricis gratiæ, non neceſſe eſt habere potentiam rejiciendi hujuſmodi gratiam victricem, non minori evidentiâ deducitur ex eo, quod quantò magis vires gratiæ in nobis excedunt, tantò magis libertas noſtra eſt conformis libertati Capitis noſtri impeccabilis Filii Dei, tantòque magis meritum noſtrum ex illo augetur, & illi conformatur. Ad quid ergo requiritur poſſe repellere gratiam, vel poſſe peccare? Cum nec ad libertatem, nec ad meritum ſit eſſentialiter requiſitum. Non ad libertatem: undè *D. Auguſtinus* lib. 5. contr. Julianum cap. 18. ipſum graviter reprehendit: *Putas*, inquiens, *ad liberi arbitrii pertinere naturam, ut poſſit utrumque, ſcilicet & peccare, & non peccare; & in hoc exiſtimas hominem factum ad imaginem Dei, cùm Deus ipſe non poſſit utrumque*. Et lib. 6. cap. 10. *Te fallit definitio tua, quâ liberum arbitrium definiſti, liberum arbitrium non eſſe aliud, quàm poſſibilitatem peccandi; ut ſcilicet æquè utrumque pertineret ad liberum arbitrium*. Quod etiam in Maſſilienſibus *D. Proſper.* Epiſt. ad

Auguſt. reprehendit. *Quidquid enim in libris contra Julianum ab ipſo ſub hac quæſtione objectum, potentiſſimè debellaſti* (Divum *Auguſtinum* alloquitur) *hoc totum ab iſtis SS. intentioſiſſimè conclamatur. Undè & eamdem libertatis notionem eſſe volebant, ut quantùm quiſque ad malum, tantùm haberet facultatis ad bonum: pariqne momento animum ſe, vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat; mala ſectantem, damnatio juſta ſuſcipiat.*

21. Hoc ſimiliter probat D. *Thomas* in 2. diſt. 25. q. 1. art. 5. utrum in Deo ſit liberum arbitrium? *Ad rationem*, inquit, *liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminatè ſe habeat ad bonum, vel ad malum; quia liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatum, cùm bonum ſit objectum voluntatis, nec in malum tendat, niſi propter aliquem defectum, qui apprehenditur ut bonum; cum non ſit voluntas, vel electio niſi boni. Et ideò ubi eſt perfectum, & liberum arbitrium, ibi in malum tendere non poteſt: ſed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere poſſit. Et hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, poteſt non facere, nec tamen malum facere poteſt.* Idem docet ſupra diſt. 7. q. 1. art. 1. & 1. p. q. 62. art. 8. & 2. 2. q. 88. art. 1. ad 1. *Dicendum: quod ſicut non poſſe peccare, non diminuit libertatem; ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bono, non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & Beatis. Et talis eſt neceſſitas voti, ſimilitudinem quamdam habens cum confirmatione Beatorum. Unde Auguſtinus dicit in ead. Epiſt.* 15. (nunc 127.) *ad Armentarium, & Paulinam: Felix neceſſitas eſt, quæ in meliora compellit.* Quod totum fuſiùs explicat q. 16. de malo art. 5.

22. Hæc eſt ergo perfectiſſima libertas, quod ſit immunis à peccato. Quid enim aliud eſt peccatum, *niſi impeditivum, & corruptivum libertatis*, ut dicit *D. Thomas* in 2. diſt. 25. q. 1. art. 5. ad 2. ex quo principio probant *D. Thom.* & M. P. *Auguſtinus* majorem, & perfectiorem libertatem in *Adamo*, quàm in poſteris fuiſſe. Sic iſte lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagianor. cap. 2., inquit, *Libertas quidem perit per peccatum; ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.* Et *D. Thomas* in 2. diſt. 25. q. 1. art. 4. *Cum in ſtatu innocentiæ nihil ad bonum impediret, videtur, quod liberum arbitrium augeatur, & minuatur.* Sic in juſtis datur perfectior libertas, quàm in peccatoribus, in Angelis, quàm in hominibus, in Angelo ſuperiore, quam in inferiore, & in Deo longè perfectior, quam in Angelis.

23. Ratioque à priori deſumitur, quia vera & perfecta libertas, qualis eſt filiorum Dei, ex Divina gratia oritur, nec laudabiliter eſt liberum, niſi quod fuerit Dei gratiâ liberatum. Sic *Auguſt.* lib. 1. oper. ultimi cont. *Julianum* cap. 78. illud deducit ex illo *Joannis* 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eſtis: quia omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Quod verſans *D. Thomas* loco citat. *Non redimitur*, ait, *niſi quod in ſervitute fuit, ſed per ſanguinem Chriſti redempti ſumus, ut dicitur* 1. *Petri*: ergo per peccatum in ſervitute trahimur, & ita libertas minuitur. Ideo PP. Carthaginenſes in Epiſt. ad Innocentium

Pa-

Papam, quæ eſt 175. aliàs 90. inter Epiſtolas *S. Auguſtini*, dicebant: *Id agunt iſti damnabilibus diſputationibus ſuis, ut non defendendo, ſed potius in ſacrilegam ſuperbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, quâ Chriſtiani ſumus, quâ & id ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè ſit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: Si vos filius liberavit, tunc verè liberi eſtis: quod auxilium Fides impetrat, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Et iterum Epiſt.217. *Vitali Carthaginenſi: Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, quâ noſtrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum. Reſponde ergo, quomodò dicit Apoſtolus* (ad Col.1. 12. & 13.) *gratias agentes Patri idoneos facienti nos in partem ſortis Sanctorum in lumine; qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii charitatis ſuæ. Reſponde, quomodò ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando erat ſub poteſtate tenebrarum? Unde nos ſi, quemadmodùm dicit Apoſtolus, Deus eruit, ipſe utique liberum fecit.*

24. Inſignis eſt etiam *D. Thomæ* locus ex quæſt.22. de verit. art. 3. ad 2. in quo eamdem veritatem ſubjicit, dicens: *Quod poſſe eligere malum, non eſt de ratione liberi arbitrii, ſed conſequitur liberum arbitrium, ſecundùm quod eſt in natura creata poſſibile ad defectus.* Non enim eſt aliqua repugnantia, quòd detur aliquis ſtatus, ad quem hæc peccandi potentia aliquo modò pertineat, ut expreſsè docet *D. Thomas* 2. ad Annib. diſt.25. q.unic. art.5. ubi probat, eamdem eſſe potentiam, quâ quis eſt liber ad bonum, & malum. Et cum ſibi tertiò oppoſuiſſet: *Anſelmus dicit, quod poſſe peccare, neque eſt libertas, neque pars libertatis; ſed libertàs à juſtitia eſt, ſecundùm hoc, quod eſt poſſe peccare: ergo videtur, quod inconvenienter libertatem talem aſſignet.* Reſpondet: *Ad tertium dicendum, quòd non eſt libertas ſimpliciter, ut dictum eſt, libertas à juſtitia, ſed ſecundùm quid, & propter hoc etiam, non computatur inter partes principales, ſed quaſi per conſequens reducitur ad alteram libertatem, ut dictum eſt.*

25. Dixi aliquomodò; non ut naturam conſtituens, ſed ut defectus naturæ inhærens, cujuſmodi ſunt defectus, qui in artibus, ſcientiis, potentiiſque accidunt, ad quos nec potentiæ, nec ſcientiæ ordinantur, provenientes ſolùm ex eo, quod potentiæ, ſcientiæ, & artes à ſuo ordine, ſuiſque regulis deflecti poſſunt vel retrahi: non quia ipſæ deflectant, ſed quia ab ipſis homines longius recedentes deflectunt. Sic ſe habet potentia peccandi, ut ipſam explicat *D. Thomas* in 2. diſt. 44. q.1. art.1. dicens: *Potentia cognoſcitur per actum. Unde ex conſideratione actus peccati judicium ſumendum eſt de potentia peccandi. In actu autem peccati ſunt duo, ſcilicet ſubſtantia actus, & deformitas, vel defectus debitarum circumſtantiarum. Unde oportet, quod etiam in ipſa potentia peccandi duo attendantur; ſcilicet ipſa potentia, quæ eſt principium*

cipium actus, & hæc eſt eadem, quæ eſt principium actus ordinati, & inordinati, & hæc eſt à Deo. Conſideratur etiam in ea defectus quidam; ſecundùm quem actum deficientem producere poſſit. Potentiæ enim perfectiſsimæ nunquam deficiunt ab eo, ad quod ordinatæ ſunt, ut patet in neceſſariis. Unde quod potentia impediatur, vel retrahatur ab eo, ad quod naturaliter ordinata eſt, oportet quod ſit ex defectu ejus, in quantùm ſcilicet alteri agenti, quod impedit, ſuccumbit. Unde cùm potentia voluntatis humanæ ſit per ſe ordinata ad bonum, defectus à bono in actu ejus oportet, quod cauſetur ex aliquo defectu in ipſa, per quem ab aliquo vinci poteſt, vel delectatione, vel ſuggeſtione, vel quocumque alio, ut ab eo, quod eſt naturale ſibi. Notentur hæc ultima verba: *Quod voluntas humana ab eo, quod ſibi naturale eſt, ad id quod eſt innaturale pertrahitur*, quia nempe à delectatione, ſuggeſtione, vel ab alio vincitur. Meritò ergo dixit *Theophilat.* in 1. *Marci*. *Dicimus itaque peccatum non eſſe potentiæ, ſed impotentiæ*. Et Euthim. in 19. *Matthæi*: *Dicimus, quod facere mala non eſt potentiæ, ſed impotentiæ*.

26. Hic obiter rejiciendus venit Caducifer, qui pag. 274. num. 52. dicit, quòd *potentia ad malum ſit pars libertatis*: Et paulo poſt: *Tertium quòd potentia peccandi ſit à Deo*; atque hoc ultimum non veretur imponere *S. Thomæ*, qui tamen locis ab eo adductis caſtiſſimè, & cautiſſimè loquitur, ut de Deo loqui fas eſt; ait enim *S. Thomas* in Epiſt. ad *Rom.* cap. 13. lect. 1. littera E. *Ipſa potentia, quâ peccatur à Deo eſt*, quod longè eſt diverſum ab eo, quod potentia peccandi ſit à Deo. Secundò quoque loco ab ipſo citato, ſcilicet in 2. diſt. 44. art. 1. ſic ait S. Doctor: *Ergo potentia peccandi, quantum ad id, quod potentiæ eſt, à Deo eſt*. Ubi manifeſtum eſt *S. Thomam* non dicere ſimpliciter, & abſolutè, *potentiam peccandi eſſe à Deo*, ut ait Caducifer; ſed solùm ſub reſtrictione hâc, *quantùm ad id quod potentiæ eſt*: eſtque hoc cautè loqui; ubi è contra modus loquendi Caduciferi abſolutus, *potentià peccandi eſt à Deo*, neſcio quid horridi contineat. Mirum quoque eum aſſerere *potentiam ad malum eſſe partem libertatis*, cum *S. Anſelmus* de lib. arbit. cujus auctoritate utitur pag. 268., manifeſtè dicat: *Poſſe peccare non eſt libertas, nec pars libertatis*: immo ipſe referat *Anſelmum* dicentem in Dial. cap. 1. quòd *libertas in ſuo conceptu abſtracto, & Methaphyſico non includit potentiam peccandi, ut patet in Deo, licèt in natura rationali inferiori poſsit includi*. Videſis ea quæ ſupra Diſp. 1. Dubio 1. §. 2. in gratiam hujus doctrinæ produximus. Quare ſicut oculus non eſt in ratione potentiæ viſivæ perfectus, qui colores aliquos videt, ubi non ſunt; immo tunc à perfectione potentiæ viſivæ tantò magis deficit, quantùm in illa colorum diſcretione turpiùs hallucinandi eſt occaſio; ita prorsùs non eſt potentia perfectè libera, quæ bonum non ordinatum, ut verum bonum proſequitur, ſed eſt potentia libera deficiens, ſeu minus libera, quia nempè mali nec eſt intentio, nec finis. Ergo liberi, & perfectiſſimè liberi ſumus per gratiam libertate ſupernaturali: & quò major in nobis fuerit gratiæ vis, & efficacia, per-

perfectior noſtra erit libertas, ſecundùm quod magis accedimus ad perfectiſſimam libertatem Chriſti Capitis noſtri.

27. Hinc ergo fit, ut qui per peccatum à Deo avertitur, licèt maneat liber ad bonum ex miſericordia Dei, ad malum ex defectibili natura; optimam tamen perdit rationem libertatis. Quod profundiſſimè, & ſolidiſſimè conſpexit M. P. *Auguſt.* dum lib. de corrept. & Grat. cap. 1. num. 2. dixit: *Liberum arbitrium ad malum, & ad bonum faciendum confitendum eſt nos habere, ſed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ, ſervuſque peccati; in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et cap. 8. *Quod voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potius libertatem.* Et 1. Retract. cap. 15. n. 4. *In tantùm libera eſt, in quantùm liberata eſt. Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitiis, peccatiſque non ſervit.* Et Epiſt. 89. nunc 157. cap. 3. num 16. explicans illud *Pauli* ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cur non dixit*, inquit, *potius per meum liberum arbitrium, niſi quia libertas ſine gratia, non eſt libertas, ſed contumacia.* Et de ſpirit. & litter. cap. 30. num. 52. *Sicut lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtatuitur.* Id ipſum apertiſſimè docet *Auguſt.* lib. 3. Oper. imperf. num. 108. *Ego dixi non eſſe liberum quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio Dei.* Et num. 110. *Arbitrii liberi infirmitatem ad agendum bonum nonniſi per Chriſti gratiam humana poteſt reparare natura. Ac per hoc verum eſt quod dixi, Neminem eſſe liberum ad agendum bonum ſine adjutorio Dei.* Et num. 112. *Ecce quod jam dixi, iterum dico, & vobis video ſæpè dicendum, Nemo niſi per gratiam Chriſti ad bonum quod vult agendum, & ad malum quod odit non agendum, poteſt habere liberum voluntatis arbitrium.* Et num. 118. *Quid eſt quod ait Dominus, ſine me nihil poteſtis facere; quia nemo ad bene agendum, quem non ipſe liberat, liber eſt.* Et tandem num. 222. *Dilectio ſine qua nemo piè vivit, ſine qua nullius eſt bona voluntas, & cum qua nullius eſt niſi bona voluntas.* Si ergo perfectiori modo eſt liber, perfectiorique gaudet arbitrii libertate, qui potioribus viget viribus ſecundùm gratiam, quàm ſint vires naturæ (quæ melius defectus naturæ dici debent ob tenuitatem, & imbecillitatem) quas exercere poteſt contra gratiam, ad quid illud æquilibrium virium?

28. Sed dices: requiri ad meritum. Nam ſi major fuerit vis gratiæ, ut moveat animam, voluntatemque contineat, quàm fuerit vis voluntatis, ut gratiam repellat, videtur aut minui, aut deſtrui meriti ratio, & indifferentia voluntatis. Sed quis doctrinam iſtam patienter ferre poteſt? Si in doctrina gratiæ ponendum magis eſt, quod eſt conſonum dictis SS. PP. & Conciliorum; certè non PP., non Concilia, non Sacrarum Scripturarum doctrinam iſtam produxit authoritas, nec minùs definivit uſquam ſacræ Apoſtolicæ Sedis judicium. In opere meritorio ordinariè reperitur ea libertas, qua poſſumus velle bonum, aut malum;

ſed

ſed non hæc libertas eſt eſſentialiter requiſita ad meritum. In maxima excellentia, quæ haberi poteſt, & in maxima extenſione ad omnes gratiæ effectus fuit in *Chriſto* Domino plenitudo gratiæ, ut illam explicat *D. Thomas* 3. p. q. 7. art. 10. Impeccabilis fuit, & tamen maximè meruit. Inferius, ſed altiſſimum fuit B. Dei Genitricis *Mariæ* meritum, quæ peccati fomite caruit, & in qua vires gratiæ incomparabili virtute excedebant vires naturæ. Meruerunt & Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis; & tamen non fuit illis illud æquilibrium virium, cùm peccare non potuerint in illo primo inſtanti, ut docet *D.Thomas* 1.p. q.62. art. 9. & 5. & q. 63. art.5. In Sanctis augentur vires voluntatis, & gratiæ; ex gratia deficit æquilibrium virium, & non minuitur meritum.

29. Charitas ergo, excluſo omni defectu potentiæ, eſt perfectionis theſaurus incomparabilis, cunctorumque meritorum principium, & præmium. Eſt maximum illud donum Dei gratuitum, de Divinæ bonitatis emanans fonte, accommodatum ad promerendam immortalitatis gloriam, ad cumulanda merita, ad virtutes perficiendas, ut docet *Concilium Tridentinum* ſeſs. 6. cap.16. dicens, *quod Chriſtus tanquàm caput in membra, & tanquàm vitis in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.* Et *D.Thomas* 1. 2. q.113. arr.3. *Si autem loquamur de opere meritorio, ſecundùm quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, ſic eſt meritorium vitæ æternæ ex condigno. Sic tamen valor meriti attenditur ſecundùm virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam; ſecundùm illud Joannis* 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Attenditur etiam operis pretium ſecundùm dignitatem gratiæ, per quam homo conſors Divinæ naturæ, adoptatur in Filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo jure adoptionis, ſecundùm illud ad Rom.*8. *Si filii, & hæredes.* Ubi maximè eſt notandum, quod dicit Eminentiſs. *Card. Cajetanus* in corpor. art. *Adverte, quod illa duo ſcilicet motio Spiritus Sancti, & gratia, non ſunt duæ diſparatæ cauſæ meriti, ſed ſunt cauſæ ſubordinatæ, motio quidem Spiritûs Sancti, ut actio cauſæ primæ, & gratia, ut cauſa ſecunda operis in quantum meritorii. Movet tamen Spiritus Sanctus hominem ad merendum mediante gratiâ, propter quod littera de motione Spiritûs Sancti loquens, affert illud Joannis* 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et intendit Author, quod quia opus elicitur à gratia, habet quod ſit meritorium ex condigno ex utraque ſui propria cauſa, ſcilicèt prima, & proxima. Nec altera ſuperfluit, quoniàm non ſunt ejuſdem Ordinis.* Ipſa ergo charitas eſt radix meriti, ut iterum docet *D. Thomas* q. 6. de Potent. art.9. in corpor. Et q. 26. de verit. art. 6. ad 8. ex qua aſſerit 2. 2. q.82. art.2. ad 2. *quod quia in ſtatu felicitatis futuræ homo pervenit ad perfectum: ideò non relinquitur locus proficiendi per meritum. Si tamen relinqueretur, eſſet efficaciùs meritum propter majorem charitatem.* Sic juxta menſuram gratiæ, & charitatis datur meritum, creſcit ſecundùm ipſam. Cauſaliter loquimur, & poteſtativè, nam agitur de virtu-

virtute, principio, & radice meriti, non de actu merendi, qui minor quidem poteſt eſſe cum majori poteſtate, ut docet *D. Thomas* in 2. diſt.29. q.1. art. 4. *Quantò enim*, inquit, *majori charitate, & gratiâ actus informatur, tantò magis eſt meritorius.* Non ergo potentia peccandi, vel poſſe repellere gratiam ad meritum pertinet; ſed ſolùm eo modo, quo ponitur à *D. Thoma* q. 24. de verit. art. 9. ad 5. *Quod poſſe peccare non facit ad meritum, ſed ad meriti manifeſtationem, in quantùm oſtendit opus bonum eſſe voluntarium. Et ideò inter laudes viri juſti ponitur; quia laus eſt virtutis manifeſtatio.*

30. Sed dicis: majus debet eſſe meritum, ubi major eſt vincendi difficultas; ut enim, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipit ſecundùm ſuum laborem.* Ad quæ verba *D. Thomas* dicit: *Quod ubi eſt potior labor, ibi ſit potior merces*; ſed potior labor datur, ubi major reperitur carnis rebellio: ergo majus erit meritum, dum quis non peccando potens peccare, meretur. Ex quo dixit *D.Thomas* 1.p. q.95. art.4. *Sed ſi conſideretur quantitas proportionalis, major invenitur ratio meriti poſt peccatum, propter hominis imbecillitatem. Magis enim excedit parvum opus poteſtatem ejus, qui cum difficultate operatur* &c. Ad quod facilis eſt reſponſio, quòd propter pugnam detur victoriæ palma, quæ profectò eminet ſuper laborem certaminis, dicente Apoſtolo ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ad conflictum ſubſequitur triumphus; *non coronabitur* (inquit Apoſtolus ad Tim. 2.) *niſi qui legitimè certaverit.*

31. Sed imprudens judicandus ille, qui ſine pugna credit reportare victoriam, & Hæreticus, qui de propriis viribus in hoc ſpiritali præſumit certamine; dicente Propheta Pſalmo 17. Non in virtute mea, *ſed in Deo meo tranſgrediar murum. Auguſtinus* ibi: *Et non in me, ſed in Deo meo tranſgrediar murum: quem inter homines, & cæleſtem Jeruſalem peccata erexerunt*; cùm ſola gratia vires miniſtret, & ad triumphum uſque perducat: qui enim ſine charitate certare vult, nec in certamine fortis, nec poſſeſſor poteſt eſſe victoriæ. Laborioſa ergo, & ad ſuperandum difficilis eſt concupiſcentiæ illecebra; & quò major pulſat illecebra, eò ſanè difficilior eſt triumphus: ſed labor iſte, non eſt labor utcunque pertinens ad augmentum meriti; non enim ex majori utcunque difficultate arguitur tale augmentum, ut dicit *D.Thomas* 2. 2. q. 27. art.8. ad 3. *Dicendum, quòd plus facit ad rationem meriti, & virtutis bonum, quàm difficile. Unde non oportet, quod omne difficilius ſit magis meritorium, ſed quod ſic eſt difficilius, ut etiam ſit melius.* Intelligi namque poteſt laborem eſſe majorem, vel ſecundùm formam charitatis, vel ex quantitate laboris: quod mirabiliter explicat *D.Thomas* 1.p. q.95. art.4. ad 2. *Dicendum, quòd difficultas, & pugna pertinent ad quantitatem meriti ſecundùm quantitatem operis proportionalem, ut dictum eſt. Et eſt ſignum promptitudinis voluntatis, quòd conatur ad id, quod eſt ſibi difficile, promptitudo autem voluntatis cauſatur ex magnitudine charitatis. Poteſt autem contingere; quòd ali-*

quis ità promptâ voluntate faciat opus aliquod facile, ſicut alius difficile, quia paratus eſſet facere, etiam quod ſibi eſſet difficile. Difficultas tamen actualis, inquantùm eſt pœnalis, habet etiam quod ſit ſatisfactoria pro peccato. Et 1.2. q.114.art.4. ad 2. *Dicendum, quòd opus aliquod poteſt eſſe laborioſum, & difficile dupliciter. Uno modo ex magnitudine operis: & ſic magnitudo laboris pertinet ad augmentum meriti, & ſic charitas non diminuit laborem, imò facit aggredi opera maxima: magna enim operatur ſi eſt, ut Gregorius dicit in quadam Homil. Alio modo ex defectu ipſius operantis, unicuique enim eſt laborioſum, & difficile, quod non promptâ voluntate facit, & talis labor diminuit meritum, & à charitate tollitur.*

32. En quomodò *D.Thomas* diſtinguit in quantitate laboris, & opus quod in ſe majus eſt, & opus quod ob defectum propriæ voluntatis, & charitatis eſt magis laborioſum. Et quòd ſi priori modo res accidit, quantitas laboris pertinet ad meritum, non poſteriori. Cùm ergo difficultas vincendi in peccatoribus ex ipſorum defectu, vel ex defectu charitatis ſibi ipſis imputabili oriatur; inde fit, quòd minus eſt meritum, licèt comparativè ad vires proprias major ſit labor: de quibus nec intumeſcere audeat, nec ſe extollere humana præſumptio; cùm nihil ſibi metipſi ſufficiat, ipſumque reſiſtere meritoriè tentationi ex gratia ſit, ſecundùm quam creſcit ratio meriti. Ad quid ergo æquilibrium virium? Ad quid quòd æqualium ſemper paretur conflictus, quòd æqualis gratiæ immineat tentatio? An quia ad meritum ſine tali æquilibrio eſt impoſſibilis acceſſus? An quia ſine ipſo gratiæ adjutorium liberè hominem à peccati ſervitute, cupiditatumque dominio vindicare minimè poteſt? De doctrina iſta judicent alii. Hoc certum ſcio, quòd nihil horum nec Sacra Scriptura, nec SS. PP. docent. Nec, quantum ſcire potuimus, Eccleſia unquam audivit. Orat quotidiè, dicens: *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*: *Præſta in nobis Religionis augmentum*. Oravit & *Petrus* ſimiliter dicens: *Adauge nobis fidem.* D.*Auguſtinus* totum, quod in Sanctis eſt, gratiæ, virtutis, bonitatis, & intelligentiæ Dei clementiæ adſcribens, ſuper illud Sap. 8. ver. 21. *Et ut ſcivi, quoniàm aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat Sapientiæ, ſcire, cujus eſſet hoc donum, adii Dominum, & deprecatus ſum illum*; hæc ſequentia habet Epiſt.118. *Continentiam ne peccaret, optabat... Sed utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere Spiritus Sapientiæ, qui ſufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ.* Gratiam habebat Sapiens, charitatem habebat: non expoſcit æquilibrium, ſed majores petebat vires, majorem charitatis ardorem, qui ſufficeret contra majores vires, aut terribiliores duratione concupiſcentiæ conatus: ergo ſine iſtis peccaret ſuccumbens, etiam ſi majores fuiſſent vires concupiſcentiæ: & cum iſtis, quas poſtulavit, viribus, meritoriè vicit, ſuperantibus gratiæ viribus. Non ergo æquilibrium quidquam confert ad veram indifferentiam liberæ poteſtatis; ac proindè neque ad meritum, aut demeritum: niſi fortè velint, quòd juſti ad ſanctitatis faſtigium anhelantes, rogare teneantur Deum,

Deum, nè defectu libertatis meritum pereat, pro æquali concupiſcentiæ gradu: aut quòd poſſunt à Deo ſupremum concupiſcentiæ gradum petere, ut creſcente gratiâ, ad maximum perfectionis gradum & altitudinem valeant aſcendere: quod quàm abſurdum ſit, nemo eſt qui non videat.

§. III.

Secunda Conclusio.

Ut liberè fiat ſupernaturalis actio, non requiritur potentia completa, per hoc quod habeat vim æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis.

33 MAjori, quâ poteſt, ſubtilitate, & doctrinâ quæſtionem iſtam tractavit S. *Auguſtinus* contra *Pelagianos*, propugnantes, eamdem peccandi, & non peccandi poſſibilitatem libero arbitrio eſſe conceſſam. Abſit, ut illorum hæreſim Catholici nominis Scriptoribus, quibuscum agimus, tribuamus: ſed inveniendæ veritatis ſtudium cogit nos, ut quibus hinc argumentis urgeri poſſint, oſtendamus. *Liberum arbitrium*, inquit, *Pelagius* apud *Auguſtinum* lib. 1. Oper. imperf. cap. 93. *& poſt peccatum tam plenum eſt, quàm ante peccatum*. Et lib. 5. n. 48. referens, & rejiciens *Auguſtinus Juliani* opinionem, ſic loquitur: *Tàm bonum certè, quàm malum ex propria homo, ſicut dicis, voluntate facit, & utriuſque in illo poſſibilitas æquâ lance libratur, & ad benè faciendum Deus adjutorium ſubminiſtrat: cur ergo ad peccandum proclivior eſt natura mortalium, ſi nihil egit peccatum originale? Quàmvis & ipſum adjutorium, quod ſubminiſtrare Deum cogimini confiteri, quale dicatis eſſe non lateat.* Et lib. 6. cap. 19. ex *Juliano* affert. S. Doctor: *Liberum arbitrium non eſt aliud, quàm poſſibilitas peccandi, & non peccandi nulli partis alterutræ ſubdita violentiæ, ſed quæ habet facultatem, in quod voluerit latus ſuopte arbitratu inſiſtendi.* His germana ſunt, quæ ipſe *Julianus* repetit lib. 3. cap. 110. quod & variis illuſtrat exemplis ſequentibus verbis: *Et ut res abſoluta paucis illuminetur exemplis; ut tàm liberum ſit homini ſacrilegium facere velle, quàm nolle; tàm liberum ſit adulterium committere velle, quàm nolle; tàm poſſibile ſit verum teſtimonium perhibere, quàm falſum; tàm liberum Deo obedire imperanti, quàm Diabolo perſuadenti.* Quæ gratiæ æquilibratæ indifferentia placuit & *Caſſiano*, teſte D. *Proſpero* lib. contra *Collat.* cap. 30. *Inter boni, & mali contrarias ſuaſiones propriæ diſcretioni, & judicio hominum eſſe commiſſum.* Sit ergo certum, quòd *Pelagiani* etiam pro ſtatu naturæ lapſæ neceſſarium crediderunt *æquilibrium*, & quòd non aliam voluerunt admittere gratiam, niſi quæ compoſſibilis eſſet cum illo.

34. Redarguit *Pelagium* S. Doctor, oſtendens liberum arbitrium non tale nunc, quale *Adamus* accepit, ſed jam vitiatum, eſſe ſanan-

dum per gratiam. *Verum dicis*, inquit S. Doctor, *hoc eſt, liberum arbitrium, tale omnino accepit Adam; ſed quod datum eſt à Conditore, & à deceptore vitiatum, utique à Salvatore ſanandum eſt. Hoc vos non vultis cum Eccleſia confiteri: hinc eſtis hæretici. Homo qui non cogitas ubi ſis, & in diebus malis tanquam in bonis cæcus extolleris: quando erat tale, quale deſcribis liberum arbitrium, nondum homo vanitati ſimilis factus erat, ut dies ejus ſicut umbra præterirent.* Pſal. 143. *Non enim vanitas Deus, ad cujus ſimilitudinem factus erat, quæ per ejus gratiam renovatur de die in diem. Nondum dicebatur, ego in iniquitatibus conceptus ſum.* Pſal. 50. *Nondum dicebatur, quis enim eſt mundus à ſorde? Nec infans, cujus eſt diei unius vita ſuper terram.* Job. 14. *Poſtremò non dicebatur, non quod volo, ſed quod odi, illud facio.* Rom. 7. *Et, ſcio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hoc malum in Adam, quando rectus creatus eſt, non erat, quia natura humana depravata nondum erat. Rectorem habebat, quem libero reliquit arbitrio, non liberatorem quærebat, per quem fieret liber à vitio. Nam etſi verba illa, non quod volo ago, & cætera talia hominis ſunt, ut dicitis, nondum ſub Chriſti gratia conſtituti: ergo etiam hinc convincimini, quòd tam infirmæ voluntatis ad agendum bonum homines Chriſtus invenit, & quòd arbitrii liberi infirmitatem ad agendum bonum, nonniſi per Chriſti gratiam poteſt humana reparare natura. Ac per hoc verum eſt, quod dixi, neminem eſſe liberum ad agendum bonum ſine adjutorio Dei. Et propterea tu ſubtraxiſti, ſine adjutorio Dei, ut tibi campus aperiretur, ubi te loquaciùs, quàm eloquentiùs per multa jactares, quibus non delectares legentem, ſed intelligere volentem, quantum poſſes, potiùs impedires. Subdimini Deo, ut corrigamini. Nemo eſt liber ad agendum bonum ſine adjutorio Dei. Quid, ut præcipitetis, humanam extollitis voluntatem? Orate potiùs, nè intretis in tentationem.*

35. Rurſus Epiſt. ad *Paulinum* 186. cap. 10. n. 34. *Pelagium* poteſtatem liberi arbitrii æquâ lance librantem refellit, dicens: *Nec in iſtis libris recentioribus, quos idem Pelagius poſt illud judicium dicitur edidiſſe, quàmvis adjutorio divinæ gratiæ conſentire videatur, quid de hac re ſentiat, ſatis evidenter apparet. Aliquando enim ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æquâ lance perpendit, ut quantùm ad peccandum, tantùm etiam ad non peccandum valere definiat; quod ſi ita eſt, nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur, ſine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. Aliquando autem quotidiano gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte, ac firmum liberum arbitrium: quod utique invalidum, & infirmum debuit confiteri, donec ſanentur omnes languores animæ noſtræ. Non enim pro infirmitate corporis precabatur, qui dicebat, miſerere mei Domine, quoniàm infirmus ſum, ſana me Domine, quoniàm conturbata ſunt oſſa mea. Nam, ut oſtenderet, pro ani-*

anima ſe rogare, ſecutus adjunxit, & anima mea turbata eſt valdè.

36. Sic S. *Auguſtinus* nervosè prorsùs, invictè, & eleganter contra *Pelagianos*, ut repugnantiam *Æquilibrii* demonſtraret. At quidni quoquè totam D. *Auguſtini* ratiocinationem ad quæſtionem, quæ nobis in manibus eſt, trahamus, ut negationem unius *æquilibrii* ex negatione alterius concludamus? Negare non poſſumus, immò verò gratiſſimè confitemur, *æquilibrium* iſtud minimè malo illo *Pelagii* errore teneri; nec cùm *Pelagianorum* errore anathemate inuſtum, atque confixum hoc Catholicorum ſyſtema; cùm non ſit *æquilibrium* vigore naturæ, ſed gratiæ. At hoc minimè ſufficit, ut ab iis ſeſe argumentis expediant, & illud efficaciſſimum *Auguſtini* argumentum ex infirmitate naturæ petitum, quod ab omnibus altâ mente repoſitum velim, elidant. Quarè eiſdem *Auguſtini* momentis inſiſto, ut quæſtionem iſtam explicem, atque defendam, id tantùm contendens, non fieri ſatis ejuſdem S. Doctoris argumentis, ſive ea evacuari non poſſe in prædicto ſyſtemate.

37. Hoc ab omnibus veraciter, & catholicè confitendum, quòd quandiù corruptibili indumento tegitur anima, intra nos eſt fomes originalis culpæ, & lex peccati, quæ viget in carne, & per carnem pugnat adversùs ſpiritum. Sit iſte gratiâ ſufficienti inſtructus, adhuc eſt, quod homini repugnet ex homine. Quarè infirmato libero arbitrio deſiderabat Apoſtolus, ut ex *Auguſtino* eſt evidens, liberari per gratiam ab illa lege peccati. Hoc ergo ſuppoſito, rogo modò: an quis cum illa gratia *æquilibrii*, uberiori divino indigeat auxilio, vel non? Si primum, veriſſimè reſpondent cum B. *Innocentio* Romanæ Eccleſiæ Antiſtite Epiſt. 181. inter Auguſtinianas, qui reſcribens in causa iſta Epiſcopalibus Conciliis Africanis: *Liberum*, inquit, *arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultiùs utitur bonis, eadem cadens in prævaricationis profunda demerſus, nihil, quemadmodùm exinde ſurgere poſſet, invenit, ſuáque in æternum libertate deceptus, hujus ruinâ latuiſſet oppreſſus, niſi eum poſt Chriſti pro ſua gratia relevaſſet adventus*,

38. Ex quibus infert *Auguſtinus* Oper. imperf. contra *Julianum* lib. 6. cap. 11. *Vides, ne quid ſapiat per Miniſtrum ſuum Catholica Fides? Vides poſſibilitatem ſtandi, & cadendi ſic habuiſſe hominem, ut ſi cecidiſſet, non eâdem poſſibilitate, quâ ceciderat, ſurgeret, culpam, ſcilicet, ſequente ſupplicio. Propter quod Chriſti gratia, cui miſerabiliter eſtis ingrati, quæ jacentem revelaret, advenit.* Et iterum ibi: *In alia quoquè Epiſtola* (nempe Epiſtolâ 182.) *quam de vobis ipſis reſcripſit ad Numidas: ergo, inquit, Dei gratiam conatur auferre, quam neceſſe eſt, etiam reſtitutâ nobis ſtatus priſtini libertate, quæramus. Audis reſtitui libertatem, & non periiſſe contendis, atque humanâ voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas noſtra, etiam in ſtatum priſtinum reſtituta, ſibi eſſe intelligit neceſſariam.* Vides, quomodo *Auguſtinus* Hæreticum urgens ultra naturæ integritatem, & per conſequens arbitrii perfectum æquilibrium; ex exceſſu tamen actuum ſupernaturalium ſuper vires, quantumvis integras naturæ humanæ, requirat gratiam ſupernaturalem ſuperadditam.

Sta-

Statuendo igitur indigentiam uberioris auxilii in voluntate noſtra, in æquilibrio per gratiam conſtituta, ut veriſſimè cum *Innocentio*, & S. *Auguſtino* reſpondent. Ex hoc infero: Ergo non ſtat æqualis virtus; non expedita conjunctionis cum actu poteſtas; non facilitas eligendi pro nutu alteram partem contradictionis: ubi ergo eſt æquilibrium virium? Quid enim certius, quàm quòd, ſi opus eſt novo auxilio, detur novum gratiæ augmentum: & quòd ſi datur infirmitas, & attenuatio ex parte potentiæ liberæ, non ſtat æqualis virtus; ut contra *Pelagianos* arguebat *Auguſtinus* de nat. & grat. n. 59. *Ubi eſt inſeparabilis poſſibilitas, ei accidere non poteſt voluntatis infirmitas.*

39. Si aſſeratur ſecundum, nempè non indigere novo auxilio, urget contra ipſos *Auguſtini* contra *Pelagianos* argumentatio: *Quod ſi ita eſt, nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur.* Cujus ratio eſt mihi evidens. Ad quid enim novum auxilium, ubi datur vera poteſtas, perfecta, expedita, & æqualis ad victoriam tentationis? Quæ uſquam tanta eſt, & poteſt eſſe concupiſcentiæ vis, ut alteram libræ lancem inclinet, dum ex parte alterius lancis datur æqualis roboris gratia, quæ ipſam elevet, ut partibus æqualibus remaneat libertas, & penes ipſam ſit victoria tentationis? Quod quàm falſum ſit, & communi ſenſus humani judicio, ac infirmitati naturæ contrarium, unuſquiſque judicabit.

40. Enimverò putant ne, quòd cauſa quotidianæ orationis ablata ſit in homine, ex quo gratiâ ſufficiente ſit ille ornatus? Quòd quando contra concupiſcentias dimicamus, ex gratia ſufficiente, & non ex uberiori Dei auxilio, noſtra proveniat victoria? Poſſunt ne dicere, quid mihi ulteriùs opus eſt Deo? aut credere quòd ſibi ſufficiant, & quòd ad omnia vitæ perficienda mandata ſolâ jam libertate, gratiâ ſufficiente conſtitutâ pervenire poſſint? Incaſsùm dicerent homines liberi illud Pſal. 123. v. 8. & Pſal. 26. v. 9. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini: Deus Deus meus adjuva me, ne derelinquas me, neque deſpicias:* cùm plenè in eorum poſitum eſſet voluntate, quod à Domino flebili ſermone poſcerent. *Quis enim*, inquit *Auguſtinus* oper. imperf. lib. 6. cap. 23. n. 63. *veraciter gemat, deſiderans accipere, quod orat à Domino, ſi a ſe ipſo ſumere exiſtimet, non ab illo.* Ergo cum *Auguſtino* abſolutè dicendum, uberiorem Dei gratiam eſſe neceſſariam, quæ adhuc nos, etſi ornatos auxiliis ſufficientibus, jacentes relevet. Hæc quærenda juxta ipſum, ne miſerabiliter Dei gratiæ ſimus ingrati. Hæc enixè petenda: quid enim debet eſſe jucundius infirmis gratiâ, quâ ſanantur, & quâ, ut velint, efficaciter juvantur?

41. Urget iterum *Auguſtinus* contra *Julianum* lib. 6. oper. imperf. cap. 10. probans, quòd in bonum, quod reliquit homo, ſolius Dei gratiâ revocari poteſt, non voluntate libertatis, quam merito iniquitatis amiſit, his verbis: *Sed ut de hac re vana ſapias, fallit te definitio tua, quâ in ſuperiori proſecutione, cui jam reſpondimus, ſicut ſæpe, & alibi facis, liberum arbitrium definiſti: Dixiſti enim, liberum arbitrium non eſt aliud, quàm poſſibilitas peccandi, & non peccandi.* Infra irridet ipſum poteſtatem liberi arbitrii æquâ lance librantem. *Quæro*

au-

autem à te, utrum jam in priſtinum ſtatum ita fuerit reſtituta libertas ejus, qui dicit, non quod volo ago, ſed quod odi, illud facio: &, velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio ad Rom. 7. Et quibus dicitur: caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non ea, quæ vultis, faciatis, ad Galat. 5. Puto, quòd non uſque adeo deſipis, ut in his dicas eſſe ſtatûs priſtini libertatem: & tamen ſi nulla eis eſſet, id quod ſanctum, & juſtum. & bonum eſt, nec velle potuiſſent. Sic profundè *Auguſtinus*. Non eſt cur hanc S. Doctoris argumentationem in adverſarios urgere non poſſim. Dicant enim, amabo, an mediis auxiliis ſufficientibus ſit Paradiſi reſtituta libertas, vel non? Si negent fuiſſe reſtitutam, oſtendant, quomodò in voluntate ſint vires pares, & æquales relativè ad vincendam cupiditatem oppoſitam, cùm non omni ex parte ſanatum ſit liberum arbitrium, & lex peccati non ſit extincta? Igitur cecidimus ex illa integerrimæ libertatis poteſtate, & indifferentia veri æquilibrii: quomodò ergo ſi integritas illa liberæ poteſtatis reſtituta non eſt, æquilibrium poteſtatis reſtitutum eſt? Si verò fuiſſe reſtitutam imaginentur, ut propugnat P. *Aſſermet* Ordinis FF. Minorum cum aliis æquilibrii defenſoribus Tract. de grat. pag. 88. dicens: *Gratia ſufficiens hominem in locum, unde exciderat, reſtituit*: quod mihi prorſus ſtupendum; neque enim ulli expectandam unquam animadverto tantam doctrinæ novitatem, in quam judicium ferre meum non eſt, licèt judicare debeam, teneri eos, qui ita opinantur, oſtendere, quâ ratione illorum ſenſus cum doctrina Catholica cohæreat; certè à communi DD. Societatis alienus eſt modus iſte ſentiendi.

42. At ſatis modò ſit manifeſtare, quàm adverſus ſit modus iſte dicendi conſtitutis contra *Pelagianos* ab *Auguſtino* principiis. Audiendus S. Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 10. & ſeqq. ubi deſipientiam vocat opinionem iſtam: *Puto, quòd non adeo deſipis, ut in his dicas eſſe ſtatus priſtini libertatem. Adverſatur & Apoſtolo di enti: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis: miſer ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Cum hæc Apoſtoli verba dicere quis non poſſit, in quo priſtina eſt reſtituta Paradiſi libertas, ut contra *Julianum* dixit *Auguſtinus* lib. 6. oper. imperf. num. 13. *Non enim ante peccatum, quo malè uſus eſt homo libero arbitrio, in illa Paradiſi felicitate, & ab benè agendum magna facilitate conſtitutus poſſet hoc dicere.* An homo cum libertate expedita liberi arbitrii libertatem Paradiſi integram invenit? An illâ Paradiſi felicitate, & ab benè agendum facilitate gaudent *Athei, Pagani, Idololatræ*, in quibus eadem ſtatuitur gratia ſufficiens æquilibrii conſtitutiva? Quis æquare poterit duas vitas, eam nempe, quæ nunc agitur, & illam, quæ in illis ſanctis, & beatis deliciis agebatur? *In natura hominis*, inquit *Auguſtinus* lib. 3. contra *Julianum* cap. 16. *ante peccatum pax debebat eſſe, non bellum.* Et lib. 5. cap. 16. num. 62. *Abſit, ut illa pax animi, & corporis haberet aliquid, propter quod adverſus ſe ipſam prima hominis natura pugnaret*; quia

nem-

nempe felix obedientia permanebat. At poſt peccatum caro rationali ſpiritui adverſa pugnat contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem, abſque pacis ulla concordia. Nullus quandiu vivit de concupiſcentiæ bello triumphat. Thriumphabit ſolûm, cum extrema ejus umbra abſorbebitur illo meridie, qui nobis in æternum promittitur. Si agnoſcant adverſarji, non eſſe perfectè reſtitutam Paradiſi libertatem: ergo quærenda eſt uberior gratia, ut Apoſtolica *Innocentii* definit auctoritas verbis citatis: *Ergo*, inquit, *Dei gratiam conantur auferre, quam neceſſe eſt, etiam reſtitutâ nobis ſtatus priſtini libertate, quæramus*. Cùm, ut ſanetur homo, Deum liberatorem ſemper invocare debeat, & ſanitatem in illius magis eſſe miſericordia, quàm in noſtra poteſtate, ab omnibus ſit confitendum.

43. Accedit in ejuſdem veritatis confirmationem inſignis & alia *Auguſtini* argumentatio, ex qua graviſſimum in oppoſitam ſententiam petitur argumentum. Subſannat S. Doctor vanitatem opinionis *Juliani* ita aſſerentis lib. 1. oper imperf. n. 91. *Liberum autem arbitrium, & poſt peccata tam plenum eſt, quàm fuit ante peccata*. Inſurgit contra ipſum *Auguſtinus* ibi: *Te audi ſaltem ubi dicis propter conſuetudinem peccatorum ſcriptum eſſe, non quod volo ago, ſed quod odi, hoc facio. Quomodò ergo poſt peccata liberum eſt, quorum etſi non propagine, quia non vultis, certè tamen conſuetudine, quam ſolam huic neceſſitati victi, contortique conceditis, ſic perdidit libertatem, ut gemitus ejus feriat aures veſtras, frontemque conlidat, cum auditis, non quod volo, ago, & non quod volo, facio, bonum, ſed, quod nolo malum, hoc ago?* Concedebant enim *Pelagiani*, vitiatam in primo homine fuiſſe naturam humanam; ſed malæ conſuetudini uniuſcujuſque tribuebant inſuperabilem vim, quam patitur homo, ut ab ea ſe poſcat per Dei gratiam liberari, ut dixit *Auguſtinus* lib. 4. oper. imperf. cap. 91. *Quid ille qui dixit ad Rom. 7. non quod volo facio bonum; moxque ſubjungit, ſed quod nolo malum, hoc ago: numquid in voluntate dicendus eſt habere peccatum, ſecundùm vos ipſos, qui eum vultis intelligi, vi conſuetudinis cogi, peccare nolentem?* Ex quo inſurgit *Auguſtinus*: *Te audi ſaltem, ubi dicis, propter conſuetudinem peccatorum ſcriptum eſſe, non quod volo, ago, ſed quod odi, hoc facio*. Quod enim magis validum argumentum? *Libra tua vergendo in unam partem, te indicat delirantem*. Quod namque delirium majus, quàm *æqualem* trutinam aſſerere, quam ipſe declivem, inclinatam, & vergentem in alteram partem, vitio malæ conſuetudinis agnoſcit?

44. Vellem, ut dicerent homines, qui ſeducti à ſuis captivi ducuntur paſſionibus, & deplorant inteſtinum bellum, dumque ſpiritus adverſus carnem, caro adverſus ſpiritum dimicat, an in hoc carnis, & ſpiritus diuturno conflictu cœleſtis conſolationis gratiam ſint experti? An dum tentationibus gravati, anxietate laborantes, & abſque ullâ requie, ut hæc tentationum importunitas, & fortitudo vinceretur, *æquali* luce gratiæ perfruerentur? An ſi ita felices, ut nuſquam fuerint tenebræ, ſed ſemper lux in Domino? Audiant *Auguſtinum* miſerrimum an-

ante converſionem ſuæ libertatis ſtatum exponentem lib. 8. confeſſ. cap. 5. n. 10. *Cui rei ergo ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate: Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi annulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.* Et in Pſal. 30. enarrat. 2. n. 13. neceſſitatem vincendarum vetuſtiſſimarum cupiditatum, & annoſarum malarum conſuetudinum oſtendens, ſic loquitur. *Unde raperis? Quis te captivum trahit? An illa lex in membris tuis repugnans legi mentis tuæ? Clama ergo, infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

45. En libera *Auguſtini* voluntas; en ipſe *Auguſtinus* ferreâ voluntate ligatus, & catenâ conſtrictus; en neceſſitas infallibilitatis, niſi Deus miſericors ſubveniat, & amplius, fortiuſque juvet; quippe quam & ipſimet Adverſarii deſtructivam *æquilibrii* propugnant. Quomodò ergo *pares* erant in illo vires ad vincendam cupiditatem? Ulterius: ſi dimicans ſub lege peccati adverſus ſpiritum raperis, ſi te captivum ducit concupiſcentia, ſi dura eſt pugna vincere conſuetudinem: ergo non datur illud *æquilibrium* virium, ut arguit contra *Pelagium* S. *Auguſtinus*; eò quòd auxilium gratiæ tanquam ex abundanti, vel ad *facilius* putaret concedi, dicens: *Quamquàm illa poſſibilitas liberi arbitrii tam in bonum, quàm in malum, æqua lancis perpenſione, nec huic facilitati locum relinquit, quam ſaltem videtur eſſe confeſſus dicendo, faciliùs poſſunt implere per gratiam, faciliùs impletur per gratiam bonum, facillimè autem ſine gratia fit malum*: profectò iſta poſſibilitas non æquâ lance perpenditur: ergo ſi *facilitas*, quâ per gratiam impletur bonum, non eſt ſociabilis cum *æquilibrio*, nec facilitas, quâ ſine gratiâ fit malum erit compoſſibilis cum eodem virium gratiæ, & concupiſcentiæ *æquilibrio*. Quod totum hâc breviſſimâ ſententiâ complexus eſt noſter Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis *Vincentius Ludovicus Gotti* tom. 9. de diviſ. grat. actualis q. 2. dub. 5. §. 3. num. 26. *Sicut Pelagius volebat æquilibrium, quia peccatum originale negabat, ita iſti illud volendo, videntur eſſe peccati originalis obliti.*

§. IV.

Solidiſſimis rationibus removetur æquilibrium virium.

46. QUibus inconvenientibus obnoxium ſit hujuſmodi prætenſum æquilibrium libertatis conſtitutivum, facilè demonſtrari poteſt. Certum quippe eſt, quod varii ſunt, & poſſunt eſſe cupiditatis gradus, cum creſcere poſſit efficacia repræſentationis, & inclinatio appetitus in bonum ſenſibile, & creſcente ipsâ, creſcit & renitentia ad bonum rationis. Sunt itidem varii Divinæ gratiæ, & mo-

tionis modi, quibus Deus ex æquiſſimis ſuæ providentiæ legibus hanc temperat, ut voluntatem pro libito moveat, excitet, vel omnino convertat, ut affirmat D. *Thomas* q. 1. de potent. art. 2. *A Deo moventur quædam efficaciùs, & quædam minus efficacitèr*. Etenim chariſmata ſunt alia aliis meliora. Interdùm lenis, interdùm validus, & vehemens eſt Divini Spiritûs impulſus. De plenitudine ejus omnes accepimus, & per *Chriſtum* communicatur omnibus Dei gratia, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm operari, dicente Apoſtolo ad Epheſ. c. 47. *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*. Sicut ergo gratia inæqualitèr participatur quoad eſſe, ità & quoad operandi virtutem. Non enim datur omnibus uniformiter, ſeu æqualiter, ſed prout eam ſingulis diſtribuit ille, qui ſine menſura eam accepit. Quare hujus diſtributio ſolius eſt Dei magnificentiæ, & miſericordiæ: licèt illius dignus uſus, & Divinæ miſerationis, atque virtutis ſit, & voluntatis, cooperationiſque noſtræ.

47. Hoc poſito, quæ non ſequitur ex poſitione hujus æquilibrii, & æqualitatis virium abſurditas? Primò, Deus in ipſorum principiis, etſi velit efficacitèr gratiam eſſe connexam cum effectu; at non infallibilem iſtam connexionem videt Deus, ſecundùm quod per ſcientiam, quam dicunt mediam, prævidet bonum voluntatis uſum, illam confert; cum gratia quæcumque, atque in quibuſcumque circumſtantiis, etiam in illis, in quibus homo prævidetur conſenſurus, ſuo poſſit effectu privari: ergo quod gratia ſit victrix, victaque concupiſcentia, ſi æquales ex utraque parte quoad gradus vires eſſe debent, non ex virtute ipſius gratiæ provenit, ſed pendet omninò ex hominis voluntate. Quis autem victoriam voluntati tribuat? Dicente *Auguſtino* lib. 1. ad *Simplicianum* cap. 1. *Spiritus Dei eſt, qui pugnat in te, adverſus te, & adverſus illud, quod eſt in te*. Dicente, inquam Apoſtolo, & prædicante Catholicâ Fide: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Et quomodo dedit victoriam, qui non magis dedit in nobis, quàm quod è contra in nobis exercet contraria rebellio? Æque ergo noſtra erit victoria ſpiritus, ac fuiſſet victoria carnis. Ubi eſt ergo gratia illa liberatrix, & liberans à ſervitute peccati, à corpore mortis, & à concupiſcentiis? Ubi gratia illa, quâ arbitrium noſtrum verè ſit liberum à lege peccati? Sanè dùm non relinquimus locum gratiæ Dei, in ſuperbiam ſacrilegam extolli poterit liberum arbitrium. Cur enim homines miſeri jam de libero arbitrio ſuperbire non poterunt, antequàm liberentur, aut de ſuis viribus, ſi jam liberati ſunt? Poſito namque in æquilibrio, non charitas illa, quæ per Spiritum Sanctum diffuſa eſt in cordibus noſtris, vincit carnis concupiſcentias, ne conſentiamus eis ad mala faciendum; non ipſa eſt, quæ facit, ut bona faciamus; totum hoc eſt liberi arbitrii: conſenſus ſalutaris, non gratiæ, ſed ipſi juſtè poterit attribui. Quid enim ſpecialius gratiæ reperitur in Petro conſentiente, quod non ſit in Paulo diſſentiente? In utroque enim poterit reperiri eadem gratia conſtitutiva æquilibrii: ergo conſenſus, qui eſt in Petro ſub tali gratia conſtitutiva æquilibrii, re-

rectiùs tribueretur determinationi Petri, quàm ipſi gratiæ, cùm deſumi minimè poſſit ex principio, in quo unus convenit cum alio. Ratio namque convenientiæ non eſt ratio diſcretionis, ſicut nec differentia unius ab alio procedit ex principio, in quo unum convenit cum alio. Inæqualitas in effectu exigit inæqualitatem in principio: ergo diſcretio Petri à Paulo in conſenſu ſalutari non eſt à gratia, quæ ut conſtitutiva æquilibrii eſt indiſcernens, ſed à libero exercitio, & determinatione voluntatis, quæ ſibi efficiet meritum: non enim ante ipſum conſentire datur aliquid gratiæ acceptum à Deo, dans ipſum conſentire: ergo quod exiſtat conſenſus non dependet ex nutu Dei, ſed magis creaturæ. Inquiro enim: victoria illa, vel eſt nova gratia diſtincta ab illa, ut dante poſſe, & conſtituente æquilibrium, vel non? Si primum, ergo datur nova gratia diſtincta ab illa, quæ dat poſſe, vel conſtituit æquilibrium, adaugens proinde vires ſupra vires concupiſcentiæ, & tentationis, ac æquilibrium deſtruens. Si ſecundum: cùm victoria ſit ſeparabilis ab iſta gratia æquilibrii conſtitutiva, & ultra id, quod confert iſta gratia, quæ ab ipſis ut unicum ſtatuitur donum Dei, ipſa ſanè non eſt donum Dei: ergo ipſum credere præ non credere non eſt acceptum ex gratia, quæ non determinabat ad ipſum credere, magis quàm è contra tentatio ad non credere.

48. Totum hoc expreſſit D. *Auguſtinus* de prædeſt. Sanctor. cap. 6. dicens: *Alii credunt: alii contradicunt, ſed cum aliis præparatur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio.* Quaſi diceret Auguſtinus, verum eſt, alios liberè credere, & alios liberè contradicere verbo veritatis; ſed non exindè eſt diſcretio credentis à contradicente, ſed dum alii credunt, habent à Domino voluntatem præparatam per ſuam miſericordiam: dùm alii contradicunt, non habent ſuam voluntatem præparatam à Domino ob cauſas judicii juſtitiæ ſuæ: unde diſcretio non incipit ex ſua libera electione, ſed ex miſericordia Dei præparante voluntatem, ut credat; ſed quòd voluntas in uno præparetur à Domino, & non in alio, non provenit, niſi quia donat ex ſua miſericordia gratiam, quam aliis negat per ſuum judicium: ergo diſcretio deſcendens de miſericordia Dei in credentibus, eſt ex gratia aliqua Dei, non quæ ſit conſtitutiva æquilibrii, ſed determinante, & applicante voluntatem ad credendum. Quod expreſſit D. *Paulus* 1. ad Cor. cap. 4. *Hæc autem fratres transfiguravi in me, Apollo, propter vos, ut in nobis diſcatis, nè ſupra quàm ſcriptum eſt, unus adversùs alterum infletur præ alio, quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* At hoc æquilibrio poſito, homo erit ſupremus ſuæ determinationis & ſalutis dominus: hoc admiſſo, voluntas ſe ipſam diſcernet, contra dictum Apoſtoli, *Quid gloriaris, quaſi non acceperis.*

49. Secundò rejicitur hoc virium æquilibrium. Sumus etenim liberi, ſed infirmi, dùm ſunt in nobis tot pernicioſiſſimi motus, & quæ ex ipſis generantur tentationes, & inſultus ex infirmitate, ignorantia,

conſuetudine, & corrupta natura. Per peccatum Primi Parentis attenuatum & inclinatum fuiſſe liberum arbitrium, definivit Concilium Arauſicanum Can. 25., & quod hoc prædicare debemus & credere. *Videte*, inquit, *Auguſtinus* ſerm. 43. de verbis Domini, *quale bellum propoſuit, qualem pœnam, qualem rixam intus intra te ipſum*. Sed quomodò, vel qualis eſt hæc lapſi hominis infelicitas, & in natura corrupta imbecillitas, ut ſpiritus pugnantem carnem non ſubjiciat, ſi voluntas non in unam magis partem, quàm in aliam propendat, ſed æqualitèr hinc, & indè afficiatur? Sit namque tentatio ut centum, non ſuccumbet. Sint ut mille accenſæ cupiditatis vires, reſiſtet; cùm in hac ſententia, ne detur defectus ponderis, mens æqualibus ſanctis afflata deſideriis rectitudinem ſervare debeat; nec unquam erit, niſi voluntariè, peccati fomite ſuperagitata; nec quantumvis propria ſit infirmitate reverberata, relabi compellitur. Ubi eſt ergo infirmitas hæc? In quo primi Parentis peccato vulneratum, ſauciatum, debilitatum, vitiatum. ac in deterius actum fuit liberum arbitrium? Quæ namque magis admirabilis virtus, quæ quamtumvis augeatur tentatio, ſemper contra ipſam creſcit æquâ lance, ut propriâ, ſolâque determinatione ſuâ, nullo ulteriùs expectato adjutorio, nullâ peccandi neceſſitate, ſtare poſſit? Quid felicius, quàm quod in hoc conflictu Divina miſericordia contra tentationem æquale præſidium omnibus de neceſſitate tribuat, alioquin non peccaturis ex defectu æquilibrii: atque virtutem æqualem reſiſtendi, ſi velit, & lumen æqualitèr roboratis infundat, nè anima opera carnis peragat, ac nè actum perficiat, quod caro malè ſana, & rationis ignara faciendum eſſe blanditur. Ergo nulla in hoc poſito æquilibrio neceſſitas eſt ulterioris gratiæ, neque aliquid à Deo petere debebimus, aut poterimus, ut tentationi reſiſtamus, & ut fugiat à nobis. Conſequentia eſt evidens; primò, quia in hoc æquali conflictu, illa ſuperior erit pars, cui conſenſus voluntatis inſiſtet, ut arguit *D. Auguſtinus* Epiſt. 186. ad *S. Paulinum* cap. 10. *Aliquando enim ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æquâ lance perpendit, ut quantùm ad peccandum, tantùm etiam ad non peccandum valere, definiat Pelagius. Quod ſi ita eſt, nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur, ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere*. Secundò, quia vel ſine ſpeciali gratia remanet æquilibrium, vel non? Si hoc ſecundum? Cùm ſine æquilibrio non ſit libertas, deſtrueretur libertas arbitrii. Si primum? Ergo ſine diſtincta gratia adjuvante remanet æquilibrium ad libertatem requiſitum: ergo adjutorium iſtud adjuvans, diſtinctum à ſufficiente, ſeu dante illas vires neceſſarium non eſt ad vincendas tentationes; cùm data libertate, debeat & dari juxta ipſos, quidquid requiritur ad operandum, & vincendum: ergo in ſenſu compoſito gravis tentationis, eſt in poteſtate liberi arbitrii, quin Deo ultro indigeat, & agere, & non agere: ergo æquilibrium hoc ſufficit; &, ſi non ſufficit, aliquid deficit, vel aliud eſt neceſſe, ex quo neceſſariò perit, & deſtruitur æquilibrium. Quod totum abſurdiſſimum judicavit D. *Auguſtinus* lib. 3. ope-

operis imperfecti contra *Julianum* num. 117. dicens: *Cur enim tu adminicula gratiæ ſupponis bonæ voluntati, cum voluntas mala nullo innitatur adminiculo, ut mala ſit, & mala eſſe perſiſtat? An hic libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, ut voluntas quantùm eſſet ad malum, tantùm etiam ſit ad bonum libera. Vergendo in unam partem te indicat delirantem?* Quod perperàm non dicimus, cum perinde ſit ad præſens, quod æquilibrium ſit naturæ, vel gratiæ. In utroque voluntas eſt ſalutis domina; cum hoc ſolùm diſcrimine, quòd in æquilibrio gratiæ, & gratia eſt voluntati ſubjecta.

50. Sed preſſiùs rem iſtam iterum examinemus. Imbecillis, & exigua eſt hominis fortitudo, ut toto ſuæ vitæ tempore ſine ſpeciali gratia in hoc ſpirituali certaminis ſtadio, abſque peccato mortali, valeat perducere, ut unanimis tenet Theologorum conſenſus. Quod ſanè falſificatur hoc poſito æquilibrio. Eadem namque in iſta hypotheſi, & æqualis datur poteſtas cum vigore æquali, tàm ad bonum, quàm ad malum, ut reſiſtat gratiæ, & ut reſiſtat tentationi; ergo ſi poſſet accidere, quod homo per longum tempus, & toto vitæ ſuæ tempore in amore Dei perſeveret cum poteſtate illa proxima ad bonum æquilibrium conſtituente, & cum eadem ad reſiſtendum tentationi, cur non poterit ſine peccato perſeverare? Adeſt namque æqualis gratiæ læta ſocietas, vi cujus in tali adverſantium tentationum congreſſu, nec proſterni, nec concitari, nec uſquam non volens, poteſt ſupra id, quod viribus ſuis valet, agitari. Stante æquilibrio nec ipſa vinci, nec in peccatum urgeri poteſt: Cùm ut nec concupiſcentia ſeducat, nec alliciat, nec ſenſum pervertat, ex oppoſito (ne pereat libertas) æqualis gratiæ prætendat auxilium, æqualis charitas teneat affectum: æquè enim Deus ſtat adversùs objectas voluptates, & hoſtium inſidias, æqualibus quibus pulſamur tentationibus, & perturbamur paſſionibus, eiſdem ad reſiſtendum promovemur inſpirationibus. Quænam ergo eſt iſta, vel ex parte cujus ſe tenet talis prætenſa imbecillitas, ut ſine peccato non poſſit homo toto vitæ ſuæ tempore in hoc perdurare certamine?

51. Elucidatur ampliùs, & efficaciſſimè urgetur. Natura in ſtatu corruptionis eſt debilis, & infirma; liberum ejus arbitrium quamvis non extinctum, viribus tamen eſt attenuatum; mens ejus, dum tot inimicorum patitur inſultus, indiget indui virtute ex alto, ut victoriam obtineat, & ut propitiante gratiâ, refrænetur concupiſcentia, & ut natura rebellis reformetur in melius. Hoc ſuppoſito: ex parte cujus, rogo, ſtat infirmitas, vel virtus? Quis fortitudinem, virtutem, & efficaciam agnoſcet ex parte gratiæ conſtitùtivæ hujus æquilibrii, dum ipſa, quamvis major ſit, æquilibrium excedere non poſſit? Dum in hoc ſpirituali ſtadio perſeverat, quin ſpiritus prævaleat operibus carnis, & virtus vitio dominetur? Non ergo ex parte gratiæ, ſed ex parte voluntatis ſtabit omnis virtus, cum ab ejus determinatione unicè pendeat conſenſus, vel diſſenſus vocationi. Ad quid ergo Propheta

Re-

Regius infirmus, & tentationum procellis obrutus, clamat ad Dominum de profundis, ut liberet ipſum Pſal. 129. & in Pſal. 34. *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi, effunde frameam, & conclude adverſus eos, qui tribulant me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.* Et Pſal. 51. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Ad quid & plorans exclamat Apoſtolus ad Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et iterum inferius exclamando ſubinfert: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quid conturbat ipſos? Et cur in tribulationum, & tentationum certamine poſiti, ad Dei gratiam petentes recurrunt; dum concupiſcentia, juxta Auctores oppoſitos, nec vim ſuam induceret voluntati, nec delectationem majorem induceret, quæ ipſam, aliàs nolentem, ſed tunc allectam ad peccati poſſit trahere conſenſum? Dumque Deus ipſi, ad libertatis æquilibrium, æqualem virtutis lucem tenetur infundere, ut ipſum revocet ad ſe ipſum?

52. Dices cum *P. Ramirez* S. J. Primario Compultenſi tract. de prædeſt. diſp. 5. cap. 3. num. 226. Apoſtolum in illis verbis: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*, non loqui de gratia dante victoriam in agone hujus vitæ: Sed præciſè ibi deſiderare gratiam reſurrectionis. Quod nititur fundare in *D. Auguſtino* lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagii ad *Bonifacium Papam* cap. 11. (non ſecundo ut citat; immo & textu *D. Auguſtini* aliquantulum immutato) ſic enim loquitur S. Doctor: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quis neget Apoſtolum, cum hæc diceret, adhuc fuiſſe in corpore mortis hujus? A quo utique impii non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta æterna redduntur.*

53. Verùm hæc doctrina videtur expreſsè contra communem ſenſum, nedum S. Auguſtini, verùm & aliorum PP., & Theologorum. Etenim non negamus, quòd S. Auguſtinus verbis citatis innuat, quod in illis verbis Apoſtolus inhiabat etiam pro gratia dante poſt diſſolutionem corporis, perfectam libertatem ab agone, quem modò experimur. At negare, quod etiam ibi optet gratiam dantem victoriam in agone, eſt expreſsè contra D. *Auguſtinum* in illo lib. 1. ad Bonifacium. Immo, quia S. Par. in libris anterioribus contra Pelagianos ex hoc textu manifeſtè probaverat, gratiam dantem victoriam in agone, ut patet lib. 2. de peccat. merit. cap. 12. & lib. de natura & gratia cap. 53. 54. & 65. & lib. de gratia Chriſti cap. 39. ideò inter alias calumnias, quas Pelagiani in illis duabus Epiſtolis ſparſerunt contra ipſum, altera fuit concepta his verbis: *Apoſtolum etiam Paulum, vel omnes Apoſtolos dicunt ſemper immoderatâ libidine fuiſſe pollutos*, ut patet ex dicto lib. 1. cap. 8. ideò S. Parens verſat hanc Apoſtoli ſen-

tentiam in citato cap. 11. non recedens à ſenſu, quem tradiderat in prioribus libris. Fundat namque, hoc ab ipſo fuiſſe dictum in ſua etiam perſona, & aliorum jam per gratiam Chriſti juſtificatorum, legem tamen carnis, ſeu fomitem peccati adhuc habentium, & indè clamantium, *id propter quod*, ut aſſerit S. Doctor cap. 10. *dicta ſunt omnia: miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Juxta quæ calumniam Pelagianorum retundens, & utrumque ſenſum complectens, ſic concludit caput 11. *Et ideò Apoſtolos, quia homines erant, & corpus, quod corrumpitur, & aggravat animam in hujus vitæ mortalitate portabant, abſit ut dicatur, ſicut iſte calumniatur, ſemper immoderatâ libidine fuiſſe pollutos, ſed dicimus à conſenſione pravarum libidinum liberos, de concupiſcentia tamen carnis, quam moderando frænabant, tantâ humilitate gemuiſſe, ut optarent eam non habere potiùs, quàm domare.* Hæc S. Doctor in ipſo loco, quem pro ſe adducit Doctor iſte S. J. ex quo manifeſtè conſtat, quòd S. Parens utramque gratiam intellexerit in hoc loco; & illam ſcilicet, quæ in hac vita dat frænare concupiſcentiam, & illam, quæ totaliter liberat à concupiſcentia. Ideò autem hujus poſtremæ meminit in hoc loco, quia hoc neceſſarium erat ad retundendam calumniam: cùm tamen in prioribus locis ſupra citatis hunc textum adducens, ex illo præcisè ſuadeat gratiam dantem victoriam in agone; quia hic erat finis & ſcopus illorum librorum. Quòcirca etiam in ſequentibus libris ex hoc textu gratiam dantem exercitium ſalutare ſuadet, ut patet de corrept. & grat. cap. 11.

54. In eodem ſenſu, & de gratia dante in hac vita exercitium ſalutare intellexerat *D. Ambroſius* lib. 2. *de Abraham* cap. 6. & lib. 1. *de Jacob* cap. 4. *D. Cyprianus* lib. de Orat. Dominica, & *D. Gregorius Nazianzenus* de hoc laudati à *D. Auguſtino* lib. 2. contra Julianum cap. 3. Videatur ibidem cap. 9. ubi pro eodem ſenſu laudat *D. Ambroſium* in lib. 1. de pœnit. cap. 2. Quòcirca ex hoc textu gratiam adverſus Pelagianos probarunt *Divus Hieronymus* lib. 2. Dialog. cap. 1. & Epiſt. ad *Cteſiphontem* cap. 4. *D. Fulgentius* in Epiſt. *ad Probam.*, & quod magis eſt *Zoſimus Papa* apud *Cœleſtinum I.* in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 8. & *PP. Concilii Carthaginenſis* in Epiſt. ad *Innocentium I.*, & ab ipſo approbata, ubi errorem Pelagianorum referentes, ſic inquiunt: *Legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit. Illam verò gratiam, quâ, ut dictum eſt, Chriſtiani ſumus, cujus Apoſtolus Prædicator eſt, dicens: Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: nolunt omninò cognoſcere, ſed neque apertè quidem oppugnare audent*: ergo Apoſtolum intellexerunt de gratia dante victoriam tentationis. In eodem ſenſu poſtea intellexit D. *Gregorius Magnus* lib. 5. ſuper 1. Regum Gloſs. interlinealis. Et D. *Tho-*

D. *Thomas* in expoſitione hujus textus. Immo ipſe *P. Suarez* in opere poſthumo de auxiliis, dum agit de intelligentia auxilii efficacis cap. 35. §. *Circa hoc donum*.

55. Si autem quis opponat, quòd *D. Anſelmus* in expoſitione hujus textus tantùm meminit liberationis, quæ fiet in reſurrectione: quem morem ſequuntur *Eſtius*, *Cornelius à Lapide*, & alii. Facilis eſt reſponſio, per hoc non excluſiſſe ſenſum, in quo, ut vidimus, intellecta eſt illa gratia optata ab Apoſtolo: maximè, quia non ſunt ſenſus contrarii, ſed ordine ſe habentes, victoriam nempè in agone, & liberationem ab agone, cum in ſacris litteris reperiatur, & detur multiplex litteralis ſenſus. *D. Anſelmus* ferè ad litteram exſcribit expoſitionem hujus loci Apoſtoli ex illo cap. 11. lib. 2. ad *Bonifacium*, ubi, ut ſupra diximus, meminit gratiæ reſurrectionis; ſicut & in illis libris, in quibus ex profeſſò agit de peccato originali, illud probans contra Pelagianos, utpote ad hoc maximè conducens illa perfecta ſanitas, quam homo adipiſcitur, cum ejus corpus reſurget ſpiritale, jam non ſubjectum legi fomitis, ex qua probat Auguſtinus peccatum originale. Verùm, quando ex profeſſò probat neceſſitatem gratiæ Chriſti, quâ in præſenti liberamur à malo, utitur ſenſu à nobis expoſito. Nec ante hos recentiores, qui id excogitant, ut reſpondeant argumento ex oratione petito, invenietur Doctor aliquis, qui talem rejecerit ſenſum. Et uno verbo dico, me neſcire, quid ſibi velit memorati auctoris reſponſio. Nam negantes quod à Deo eſt in tentationibus victoria, & quod à Deo illam petere debemus, Fides Catholica non patitur.

56. Quarè rejectâ hujus Scriptoris intelligentiâ, feliciter ex eodem teſtimonio obtinetur gratia diſtincta à gratia æquilibrii conſtitutiva, cujus deſiderio, & ardore tenebatur Apoſtolus, dum ad Rom. 7. exclamabat, dicens: *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem*. En ubi erat in ipſo, poteſtas conſtituta per gratiam interiorem ſufficientem; quod maximè in ipſo per gratiam gratum facientem juſtificato, eſt certiſſimum: cum de fide ſit, quòd juſtis ſunt poſſibilia mandata Dei ſecundùm præſentes, quas habent vires, ut patet ex Tridentino ſeſs. 6. can. 18. & ex Conſtit. *Innoc. X.*, dum ut hæreticam damnat propoſitionem Janſenii: & tamen in agone poſitos ex lege membrorum contradicente legi mentis, adhuc exclamant, & peroptant aliam gratiam, quæ det agere juxta illam Apoſtoli condelectationem: ergo non gratiam conſtitutivam æquilibrii, cujus victoria pendeat ex libero arbitrio, ſed gratiam dominantem voluntati expoſcit Apoſtolus. Sed ad principale argumentum revertamur.

57. Novum elicitur ratiocinium efficaciter probans aſſertum noſtrum, ex aliis, quæ in doctrina iſta occurrunt improbanda. Quis enim mortalium credat, quòd dum præcipuum vitæ chriſtianæ fundamentum in id eſt, ut deprimatur cupiditas, & augmentetur charitas, doctrix Dei Sapientia liberum arbitrium ſic ad vitam ſpiritualem, ejuſque incrementum accomodaverit, ut homo tot habere debeat mala deſideria cordis, quot Deus infundit pia deſideria, ut ita detur æqualis

inter

inter motus gratiæ, & concupiſcentiæ proportio, quod ad augmentum gratiæ aſcendat cupiditas, ad gradumque cupiditatis deſcendat ipſa gratia, ut ſuſcepta in acie, liberè, & meritoriè perſeveret voluntas? Quæ non ex hypotheſi iſta ſequuntur falſitates?

58. Primò, quod homo currens ad Deum in odorem unguentorum ſuorum, ſi deficit æqualis tentatio, cùm ad defectum æqualis tentationis deficiat æqualitas virium, ipſe mereri minimè poſſit. Ulteriùs, quòd Sancti ad meritum tot experti fuerint cupiditatis motus, quot in ipſis erant Divinæ miſericordiæ ineffabiles divitiæ. Res ſanè miranda, nova, & hucuſque Thologis inaudita. Excellentiam gratiæ, juſtitiæ, & virtutum patientiſſimi *Job* clariſſimè docet Scriptura *Job* 1. & Deo dicente, *Quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*: etiam *Luc.* 1. ad B. Virginem dicit Angelus: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Ubi manifeſtum eſt, ſignificari, quòd B. Virgo omnes alias mulieres in gratia ſuperaret. De *Joanne*, *Matthæi* 11. legitur: *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta: qui autem minor eſt in Regno Cælorum, major eſt illo*. Sicuti & de *Magdalena Luc.* 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniàm dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Et tandem in Apocal. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Quis ergo ità cœcus erit, ut aſſerat, quod æquales ipſi gratiæ ſenſerunt rebellionis effectus? Dicant juſti viventes, (quamquam ſe juſtos ſcire non poſſint) an eoſdem tentationum motus & in eodem gradu experiantur ipſi, quot ſunt ſanctæ inſpirationes à Deo infuſæ? An augeatur cupiditas ad proportionem gratiæ? Si ita eſt: ubi gaudium ſpirituale, ubi pax, ubi conſolatio, ubi dulcedo, ubi illuminatio, ubi exceſſus amoris? Quomodò & poterunt hæc ab ipſis percipi, ſi æqualis debet eſſe ad libertatem tentatio? Non jam Eccleſia pro juſtis orare debet augmentum Fidei, Spei, & Charitatis, ne cum tali affluentia bonorum perdatur gloriæ meritum. Non fideles rogare debent, non induci in tentationem, ne ſi deficiat æqualis cupiditas, deficiat ex conſequenti bonorum operum præmium. Non plorare omnes pondus hoc, quod aggravat animam: hoc conſervari debet, ex quo accendi debeat cupiditas, nè ob maximam gratiam in hac vita nihil in alia mereri poſſimus. Quod quam falſum ſit, nemo eſt, qui non videat.

59. Quid magis abſonum, & veritati Catholicæ contrarium, quàm quòd Deus, cui nullus miſerendi eſt finis impoſitus, cujus incomprehenſibilis affectus, & omnipotentìa, non induxit menſuram, neque conſequendæ gratiæ terminavit locum; quod, inquam, non affluentiùs humiliter petentibus largiatnr dona, quàm ſunt concupiſcentiæ vires, ne gratia ab ipſo conferenda, tollat æquilibrium, & ſic libertas ipſa deſtruatur? Quod faveat plus peccatoribus, quàm juſtis, hoc ſolo titulo, quod peccatores illi, iſti verò juſti ſunt. Clariùs dicam, quòd peccatores, qui delictorum onere quotidie magis, ac magis ſunt depreſſi, Diabolique tentationibus, & mundi illecebris irretiti, ad libertatem Divinæ miſerationis æquales debeant habere motus: quippe, juxta ipſos, ut

homo liber ſit, & liberè agat, nihil minus habere poteſt; utque benè, ac meritoriè agat, nihil majus habere debet. Ergo Anti-Chriſtus homo ille, quaſi totus ex peccato concretus, æqualem malitiæ ſentiet Dei gratiam, ut ſic liberè ſe ut Deum oſtentet. Ergo majoribus gratiæ auxiliis erat ornatus *Paulus*, dum adhuc erat ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, quàm dum circumfulſit eum lux de Cœlo, & cadens in terram, tremens, ac ſtupens dixit: *Domine, quid me vis facere*, ne periret æquilibrium. Ergo majorem expertus eſt *Regius Propheta* gratiam, dum dixit: *De neceſſitatibus meis erue me Domine*, ac dum exclamavit: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, cum minor hic fuerit concupiſcentiæ motus. Abſit.

60. Quis credet, quòd dum in homine ſuperbia ſe contra Deum erigit, dum voluptuoſa carnis delectatio adversùs ſpiritum animum excitat, dum avaritia in amorem temporalium accendit animum, dum iræ impetus iraſcentem ad odium commovet, dum repentè cupiditatibus fræna laxantur, dum in monte tumultuoſa vitiorum contentio oritur, dum concupiſcentia carnis mentem importunè exagitat; quòd, inquam, ut detur in omnibus æquilibrium, ſintque æquales ex utraque parte, etiam geometricè loquendo, quoad gradus vires, Deus ſemper eſt æqualibus auxiliis favens; quòdque eodem humilitatis gradu comprimatur homo, æquali pudicitiæ vigore refrænetur, eodem patientiæ fræno coarctetur, æquali cœleſtis patriæ deſiderio repercutiatur, ſemperque æqualibus, nè pereat æquilibrium, piis deſideriis ſtimuletur? An Barbari, Athæi, Hebræi, an Tyranni ipſi, dum in tot crudelitatis, & infidelitatis prorumpunt actus eoſdem clementiæ, ſanctitatis, juſtitiæ, & Religionis ſentiunt vires, & motus? An Deus, qui ſuperbis reſiſtit *Act.* 9. Et è contrariò humilibus dare gratiam perhibetur, eadem ſpiritualia bona ſuperbienti, & cœleſtia præcepta contemnenti, & in eadem pertinacia perſeveranti confert, immo majorem, quàm juſtis, largitur affluentiam donorum? Hoc ſanè falſum videtur, quidquid in oppoſitum ſcribatur in edito ſub nomine Cardinalis *Sfondrati* Romæ anno 1696. Nodo Prædeſt. diſſoluto pag. 67. *Quis novit cum ea gratia, quæ Petro, & Magdalenæ data eſt, Judam converſum iri; cùm fortè plures, & majores gràtias utroque acceperit.* Et pag. 107. *Negari non poteſt plura Judæ reprobo auxilia, quàm prædeſtinato Zachæo impenſa eſſe . . . Ideo plura remedia Judæ reprobo adhibita, quàm Petro electo, quia illi gravior morbus.*

61. Rurſus; dantur peccatores obſtinati, obcæcati, vitiiſque quaſi ferreis vinculis conſtricti, ideſt ferreâ ſuâ voluntate, ſecundùm fidem, & experientiam; ſi ergo habent eoſdem gradus gratiæ actualis, quot ipſi cupiditatis, &, ſi juſtus eoſdem habet concupiſcentiæ gradus, quot gratiæ, cur peccator ille dici debet magis obduratus, quàm juſtus? Cùm in omnibus debeant ad excogitatum æquilibrium eſſe æquales concupiſcentiæ vires, ſemperque ſit æqualis cum cogitationibus ſanctis compenſatio. Ulteriùs, ex conſuetudine peccandi, quæ tentationum bella non moventur adversùs ſpiritum? Semper namque ad id, quod reliquit

con-

conſuetudo, reflectitur: hincque tali conſuetudini pravæ natura rebellis copulata, inſuperabilis abſque dubio eſt ipſi pugna, & tentationum indefeſſa rixa, quibus quaſi quodam arenæ aggere obruta mens, niſi grandi, ac terribili voce excitetur è momento, ſurgere nequit. Ex quo hujuſmodi peccatoribus neganda eſt abſolutio, ut definivit *Innoc. X.*, hanc inter alias damnans propoſitionem: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* Sed hoc admiſſo virium æquilibrio, quomodò neganda abſolutio, vel non poterit veræ compunctionis, ac emendationis judicium, & ſpes formari? An eſt ratio, cur æſtimari debeat falſa pœnitentia, dum adſunt æquales vires gratiæ: dum ille omni aſſeveratione affirmat benè uſurum æquilibrii viribus, dum perſeverantiam ſtatuit, dum in quolibet momento, abſque nova Dei gratia, pro arbitrio gratia illa æquilibrii ad perfectiſſimum contritionis gradum pervenire poterit, cùm pares ſint vires gratiæ viribus petulantis, & effrænatæ concupiſcentiæ? Ergo vel ipſis concedenda erit abſolutio, vel rejiciendum hoc virium æquilibrium. Peccator etiam procraſtinabit tutò converſionem ſuam, ut licentiùs proprias peragat voluptates,& carnis deſideria detectabiliùs compleat, confidens ad libitum poſſe pœnitere, certus de habendo, iſtius æquilibrii beneficio, gratiam illam omnibus promiſcuè datam, voluntati tribuentem vires tam perfectè æquales, & pares vincendæ concupiſcentiæ, ut ſolus voluntatis conſenſus alterutram ſtateræ partem determinet.

62. His addimus, quòd ſi dum in anima tot ſævientium diverſarum tentationum diſcurrunt agmina, ad libertatem æqualis ipſis requiritur gratia: ergo vel minori gratiæ deficiente gradu, ſi ab ipſis voluntas vincitur, non liberè, ſed neceſſariò peccaret: ergo in illa hypotheſi eſſent homines rei offenſæ inevitabilis, quod eſt error Manichæorum, vel peccarent peccato Philoſophico, quod etſi eſſet grave peccatum, non tamen offenſa Dei, nec mereretur pœnam æternam, quod damnatum eſt ab *Alexandro VIII.* ann. 1690. *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei: neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Propoſitionem Sanctiſſimus declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, die* 24. *Aug.* 1690. Enimverò ſi ad peccandum requiritur actualis ad malitiam attentio, quæ ſi deſit, impunè committentur quæque flagitia, nec his ſolvetur amicitia cum Deo, nec inducetur reatus æterni ſupplicii: ergo neceſſariò erit admittendum peccatum Philoſophicum. Quinimò quid abſurdius ſequeretur. In peccati Philoſophici errore, ignorans, dum peccat, excuſatur à pœna ratione ignorantiæ; ſed in præſenti peccator, ſciens bonum, & non faciens, excuſabilis erit à peccato, etſi reclamante conſcientiâ, totque cogitationibus in ſecreto conſcientiæ ipſum accuſantibus, benè agere

nolit, quia deficiente vel minimo gradu gratiæ, deficit æquilibrium libertatis: ergo ne incidamus in errores iſtos, debet abſolutè concedi, quòd æqualitas virium minimè requiritur ad veram poteſtatem libertatis.

§. V.

Alia ratio, ex aliis abſurdis, & incommodis, quæ ex hoc ſyſtemate æquilibrii virium ſequuntur, proponitur.

63 POſtulat veritatis amor, ut & alia, quæ ex hoc ſyſtemate ſequuntur inconvenientia paulò diſtinctiùs expendamus. Primò refellit Apoſtolus ad *Philipp.* cap.2. verſ.12. inanem certitudinem, & ſecuritatem æternæ ſalutis, de qua ſibi gloriantur peccatores, qui tantùm abeſt, ut carnis petulantiam reprimant, ut potiùs hanc vanis, immodiciſque deliciis excitent, arrogantes ſibi Deum minimè defecturum: hoc rejicit Apoſtolus, dicens: *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Cui conſonat illud Pſal. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Eſt tantùm timor*, inquit S. *Cyprianus* Epiſt. 1. *innocentiæ cuſtos, ne ſuſcepta ſecuritas indulgentiam pariat, ut vetus hoſtis denuò obrepat.* Et S. *Leo* ſerm.8. *Epiphaniæ* cap.3. ſuper eadem Apoſtoli verba: *Et hæc Sanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi, ne ipſis pietatis operibus elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* At quo pacto, quæſo, ita timendum inter tot, quæ nos undique circumſtant lapſuum pericula? Cur viribus noſtris diffidendum, ad Deum confugiendum, eique firmiter adhærendum eſt; cùm hoc poſito æquilibrio ſalus, & tota operatio gratiæ ab aſſenſu humanæ voluntatis pendeat? Rurſus obſervanda eſt illa ab Apoſtolo obſervata ratio. *Deus enim eſt, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate?* Ac ſi diceret: timete, quia bonum ſalutare velle, & operari Dei eſt, qui in nobis operatur illud efficaciâ gratiæ, & eâdem gratiæ ſuæ potentiſſimâ virtute, ac energiâ facit, ut quod volumus bonum, opere impleamus, & perficiamus. Non dixit Apoſtolus, Deum in nobis tantùm operari, ut poſſimus velle, & perficere, ſi velimus; neque id intelligit Eccleſia, quæ frequenter ipſum velle à Domino petit in orationibus ſuis. Quid enim magis ridiculum, quàm exigere aliquid ſub conditione voluntatis petentis? Quod v. g. Deus det mihi velle legere, ſi volo legere: ergo juxta mentem Apoſtoli facit Deus in nobis, non ſolùm ut poſſimus velle, & perficere, ſed etiam ut re ipsâ velimus, & faciamus. Quod ſanè argumentum efficaciter probat, quantùm invigilare, & orare debeamus, ne otioſi, & negligentes ſimus in negotio ſalutis.

64. At in prætenſo ſtatu æquilibrii, in quo ſtat timor iſte; cùm æquilibrio poſito ceſſet magna illa ſollicitudo, ne Deus deneget nobis gratiam propter negligentias noſtras, quâ omnino poſſimus, velimus, & faciamus? Ut quid illa anxia precandi cura, ut conferat poſſe, velle, per-

perficere? Omnibus data eſt gratia illa, quam Deus minimè negare poteſt. Illâ voluntas ad nutum uti poteſt, totaque operatio gratiæ ſubordinata eſt voluntati; non ergo eſt timori locus. Abſque ullâ formidine poteſt jam voluntas periculis ſe offerre, hoſtem à fronte adoriri, & tentationibus obniti, adverſari, & reſiſtere. Cum ſi velit illa, vincet, triumphabit: manet namque voluntas, hoc ſtatuto æquilibrio, ex utrâque parte per æqualia momenta ſuſpenſa: Quantùm eſt ad malum, tantùm eſt ad bonum fortis, & pro nutu vergendo in unam partem, erit certa ſalus. Vanus ergo erit timor ille *Apoſtoli*. Non eſt, cur opera ſalutem promoventia cum tanta ſollicitudine, timore, & tremore exercere quis ſatagat, & ſtudeat; quia cùm voluerit, & quando voluerit, ſibi facilia erunt. Horrendum ſanè paradoxum! ſollicitudini, timori, & tremori ſalutis, prorſus neceſſariis, maximè contradicens. Secundò. Orat Eccleſia Deum, cujus miſericordiæ, & bonitatis inexhauſtus eſt theſaurus, ut propter immenſam charitatem ſuam, quâ nos dilexit, peccatores, concupiſcentiis carnalibus indulgentes, & obedientes, verè, & ſincerè convertantur ad ipſum. Orat, ut *Pagani*, & *Infideles*, ſine Chriſti cognitione, ſine Fide, Evangelio, Religione, & à veri Dei cognitione remoti, ad illius notitiam adducantur, ut in unum Eccleſiæ corpus ſint conjuncti.

65. Orat pro omnibus Chriſtianis, ut nobis det poſſe, & velle quæ præcipit. Orat etiam pro peccatoribus, ne Dæmonis tyrannidi ſubjecti perſiſtant, ne pravis ejus perſuaſionibus cedant, captivique ducantur ad interitum. Sed vana, & inanis oratio; cùm in *æquilibrio* poſiti, non ſalus à Deo petenda, ſed ab ipſis ſumenda ſit, ut obſervat *Auguſtinus* de *natura*, *&* *gratia* cap. 18. dicens: *Quid ſtultius, quàm orare, ut facias quod in p teſtate habes?* Et num. 62. *Fideles orantes dicunt, ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo; ſi adeſt poſſibilitas* (id eſt ſi jam omnia in poteſtate noſtra habemus) *ut quid ergo orant*: ergo inutilis eſſet oratio. Enimverò infideles habent & gratiam, ut fidei lumini, ſi velint, non claudant oculos, & ut verbo fidei liberè credant, & adhæreant. Peccatoribus jam data eſt gratia ſufficiens, ut per eam abſque ulteriori auxilio cum omnibus amoribus, terroribus, & erroribus ſuis vincatur hic mundus: ergo inutilis eſt oratio; quô nihil magis Religioni adverſum. Quarè hoc argumento inſurgit contra *Pelagianos Auguſtinus* Epiſt. 217. aliàs 107. ad *Vitalem*. *Exere*, inquit, *contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deos convertat ad fidem, & pro cathecumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus, ut in eo quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent: Subſanna pias voces, & dic, te non facere quod hortamur, id eſt, Deum pro Infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare; eò quòd non ſint iſta divinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis.*

66. Tertiò: Ex primo Parentum peccato effluxit naturæ deordinatio, lucta carnis, & ſpiritus: Liberum arbitrium, etſi minimè extinctum,

ctum, viribus tamen eſt attenuatum, & debilitatum. Factus eſt homo ſervus peccati, hoc divinò atteſtante eloquiò, *Joann.* 8. verſ. 34. *Amen, Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Et Apoſt. ad *Rom.* 6. 17. *Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde.* Et v. 20. *Cum enim eſſetis ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ:* Etiam D. *Petrus* 2. cap. 2. v. 19. *Libertatem illic promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Ergo miſera, cœca, & attenuata, etſi non extincta fuit peccatoris libertas. At in hoc *æquilibrio*, miſerrima ſervitus animi dici minimè poteſt. An verè dicendus ſervus peccati, dum peccator divino ſufficiente adjuvante auxilio *pares*, & *æquales* habet vires viribus concupiſcentiæ, atque integram ſemper his, aut illis viribus utendi poteſtatem? Dum caro non concupiſcit adverſus ſpiritum fortiori robore; & gratia eſt æquè fortis, ut non cedat malæ concupiſcentiæ, niſi ſe ultrò illi det, & arma juſtitiæ ignavè abjiciat? Ergo non probroſæ ſervituti peccati addictus dici poteſt. Fractum eſt jugum, diruta ſunt vincula, volens vincere, vincet quidem. Tenteat namque ipſum Diabolus, magnis indeſinenter pungat ſpiritum concupiſcentiarum aculeis, majoribus voluptatum carnalium tenteat illecebris, & maximis deſideriorum inordinatorum alliciat motibus: tot in hoc ſtatuto virium *æquilibrio* gratiæ gradus inveniet, ut pro voluntate tentationibus reluctari poſſit ſingulis. Incrementum, roburque novum concupiſcentiæ uſque ad mille gradus adjiciat Dæmon; virtus ipſamet, idemque robur ex parte gratiæ paratur, aut ſi non ita detur, datur tamen liberrima poteſtatis expeditio ſemper eadem, & æqualis, ut quibus maluerit viribus, contra oppoſitas, utatur: de quò etiam modò dicendi agemus poſtea. Quomodò ergo ſervus peccati, ſi tentatio non ipſi, niſi ignavo, tepido, & reſiſtere nolenti, nocebit: cum nihil ultra ad actu reſiſtendum ſperet à Deo, ſed ad certamen ſemper fortis, in tentationibus ſecurus, & in periculis gratiâ *æquali* cuſtoditus, deſcendit?

§. VI.

Quædam ex Ortizio objecta ſolvuntur.

67. DIſplicet tantopere *Ortizio* hæc noſtra prima aſſertio, ut doctrinam non ſine exceſſu notaverit. Furiis invectus, ac non parùm irâ turbatus in me inſurgit; ac ſi mihi non liceret Theologicè diſputare, novas in dies emergentes opiniones diſcutere, eaſque ſcholaſticè ad examen revocare: præſertim, dum recentes hujus ſyſtematis Auctores ſeipſos quaſi in judices Fidei extollunt, & inſomnia ſua, velut doctrinam ad Fidei ſummam pertinentem videntur velle diſſeminare, DISTINGUIMUS CATHOLICI... HOC CATHOLICI APPELLANT, (obſerva *Catholici*) ac ſi Catholicus non ſit, qui æquilibrium virium non admittat. Quare in id totis viribus incumbit, ut exponat veram hujus ſyſtematis intelligentiam. Cùm à pag. 228. num. 66. varia æquilibria

libria adduxiſſet, inter cætera ponit Mathematicum, quod dividit in Aritmethicum, & Geometricum: quod ipſe admittit, ut diſcrimen aſſignet inter æquilibrium virium hujus ſyſtematis, & æquilibrium invectum à *Juliano* Pelagiano, quod hæreticum eſſe certiſſimum eſt, ut etiam inſinuat ille pag. 285. num. 68.: ubi hæc obſervatione digna pronuntiat: *Ex quo forſitan non ita diſcriminato, fuit præfato auctori*, mihi nempe, *ea ſiniſtra cogitatio ſuborta*. Quibus verbis ſatis indicat me parum æquilibria illa diſcriminaſſe. Sed parum ſibi conſtat ille, cum num. 69. aſſerat: *In quibus duabus propoſitionibus omni expreſſione cavetur, nè putetur requiri in viribus æqualitas Aritmethica, ſed ſolùm proportionalis .... quod idem* EXPLICATISSIME TRADITUR AB EODEM R. BENITEZ *in tertia propoſitione, in qua res tota inclareſcit*. Non eſt ergo, quòd in hoc immorer, cùm hìc ſibi pro me reſpondeat. Optarem tamen, ut mentem ſuam, necnon utriuſque æquilibrij, recentiorum Auctorum, & *Juliani* apertiùs exponeret. Non ſatis quippe conſtat, qualem æqualitatem virium requirant omnes novi illius ſyſtematis auctores, nec quam ipſe admittat. Licèt enim pag. 285. num. 68. videatur contentus æqualitate Geometricâ, alibi tamen videtur exigere æqualitatem Aritmethicam, non quidem quoad gradus gratiæ, & concupiſcentiæ materialiter conſideratos, ſed formaliter, ideſt, non quoad entitatem Phyſicam, ſed quoad valorem, & virtutem: ex quô explicans qualiter unus gradus gratiæ æquivaleat pluribus concupiſcentiæ gradibus, utitur exemplo auri, & aurichalci; ponamus nos argenti: atqui unus nummus aureus, nedum Geometricè, ſed Aritmethicè æquivalet in valore quatuor nummis argenteis: igitur non ſatis conſtat, an ipſe Caducifer non exigat æqualitatem, adeòquè æquilibrium Aritmethicum.

68. Non inſupèr ſatis apertè legitur *Juliani* quodnam fuerit æquilibrium. Pag. 285. num. 68. aſſerit *Julianum* requiſiviſſe æquales ad libram vires, ut neutra alteri præponderet: ſed non ab illa urgenti reflexione ſe per hoc expedit: ei quippe ulteriùs reſtat probandum intellexiſſe *Julianum* æqualitatem Aritmethicam, & non Geometricam. Ratio dubitandi eſt, quod *Julianus* non requiſiviſſe videtur vires Aritmethicè æquales, ſed ſolùm Geometricè, ut ſignificare videntur hæc *S. Auguſtini* in *Julianum* lib. 5. operis imperf. num. 28. *Tam bonum certè, quàm malum ex propria homo, ſicut dicis, voluntate facit; & utriuſque in illo poſſibilitas æquâ lance libratur, & ad bene faciendum Deus adjutorium ſumminiſtrat: cur ergo ad peccandum proclivior eſt natura mortalium, ſi nihil agit peccatum originale?* Quibus verbis *S. Auguſtinus*, ex ijs, quæ *Julianus* admittebat, probat peccatum originale. Admittebat ergo *Julianus*, quòd ad peccandum proclivior eſt natura mortalium; & quomodò negare id potuiſſet, quod quilibet in ſe experitur? Igitur *Julianus* non requirebat æquilibrium inclinationis Aritmethicum, ſed Geometricum, ideſt, conſiſtens in proportione, non æqualitate. Ubi notandum quoquè venit *Julianum* admiſiſſe, quòd ad bene faciendum Deus adjutorium

ſum-

ſumminiſtrat: unde nec ex hac parte differt æquilibrium *Juliani* ab alio modernorum quorundam æquilibrio: ruitque funditùs diſcrimen, quod ſtatuit Caducifer pag. 555. num. 121. dicens: *Pelagius verò, cùm negaret peccatum originale; & aſſereret ipſum liberum arbitrium præcisè ſecundùm nativas vires eſſe æquè potens boni; poſſet apud ſe reputare idem æquilibrium virium, quod potentiæ; & idem eſſe potentiæ, quod virium, ſcilicet naturalium: ſiquidem vires ſupernaturales ipſe prorſus excluſerat.* Reſiſtit quippe *Auguſtinus* præfatis verbis, *ad benè faciendum Deus adjutorium ſumminiſtrat*, quod adjutorium non ordinis naturalis, ſed ſupernaturalis eſſe ſatis conſtat. Etſi enim ille in principio ſuæ hæreſis ſolam naturam ad omnia mandata Dei obſervanda ſufficere dixerit, admiſit tandem gratiam conſiſtentem in ſubitis motibus voluntatis. Admiſit cognitionem practicam allicientem ad conſenſum. Non negavit concurſum ſimultaneum. Admiſit gratiam intrinſecam moraliter excitantem, entitativè ſupernaturalem. Concedebat Deum adjuvare potentiam per gratiam: licèt numquam veram interiorem gratiam, quæ det velle, & operari admiſerit; quippe per hoc auxilium ab intrinſeco efficax auferri credidit libertatem; quod totum infra videbimus. Rurſus, quidquid ſit de *Pelagio*, & *Cœleſtio*, tamen *Julianus* confitebatnr gratiam interiorem dantem poſſibilitatem, maximè in homine juſtificato: immo, ut Magiſter *Lemos* videtur concedere tom. 1. p. 1. tract. 5. cap. 7., illam conceſſit neceſſariam ad ſingulos actus poſitivè ſalutares, exceptò initio fidei; quia cum illo in omnibus ſenſerunt Maſſilienſes, qui ita poſuèrunt, ut habetur in Epiſtola *S. Proſoperi*, & agnovit *S. Auguſt.* de Prædeſt. SS. cap. 1. Quâ ratione illa Apoſtoli ad Romanos ſeptimo exponebat de homine non juſtificato: & tamen æquilibrium virium in juſtificato poſitum à *Juliano D. Auguſtinus* etiam impugnat: ergo & eodem jure æquilibrium virium gratiæ, & concupiſcentiæ reijciendum venit. Ne ergo clauſis oculis incidamus in Scyllam cupientes vitare Carybdim, clariùs diſcrimen utriuſque æquilibrii nobis proponat Caducifer.

69. Id verò vires reſumit urgentiores ex ijs, quæ habet P. *Ruiz* Soc. Jeſ., quem in ſubſidium advocat *Caducifer* num. 72., & qui ſanè videtur adhuc ulteriùs progredi, dicens diſp. 74. de ſcient. ſect. 6. num. 15.: *His, & ſimilibus teſtimoniis PP. non intendunt eſſe de ratione libertatis, ut ſemper, & ſub quibuslibet circunſtantiis non pendeat magis in unam, quàm in alteram partem, & æquè liberum ſit unam, aut alteram partem eligere; ſed tamen PP. docent, eſſe de ratione, & quidditate libertatis, ut libratis momentis motivorum impellentium ad utramque partem, poſſit reduci voluntas ad æqualitatem propenſionis, itaut æquè liberum ſit illi unam, aut alteram partem eligere, ſuppoſito ſemper Divino concurſu pro qualitate electionis bonæ, vel malæ.* In quibus verbis occurrunt nonnulla merito ponderanda. Ac primò ſatis indicat non ſe loqui de omni tempore, ſed ſolùm de caſu urgentis præcepti poſitivi, vel negativi. Secundò, vult, ut motiva hinc inde libentur uſque ad MOMENTA, ideſt, in re pon-

ponderabili, multùm pretioſa, gemmis, margaritis, auro, quibus libertas comparatur, ad ſcrupula: ſapientiæ 11., *Quoniàm* MOMENTUM *ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum* &c. Tertiò ut MOMENTA illa ſint ita æqualia, ut poſſit reduci voluntas vel ab intellectu, vel à ſeipſa ad æqualitatem propenſionis; itaut æquè liberum ſit illi unam, aut alteram partem eligere, nullâ ulteriori accedente gratiâ, ſed ſolo ſuppoſito Divino concurſu, communi haud dubiè. In quibus ſatis declarat eſſe de eſſentia libertatis, ut libratis momentis pro utraque parte militantibus, poſſit voluntas reduci ad æqualitatem propenſionis, quam neceſſariam judicat ad libertatem. Ad quid enim dicitur de eſſentia libertatis eſſe, ut poſſit voluntas reduci ad æqualitatem propenſionis, ſi hæc æqualitas propenſionis non ſit neceſſaria ad hìc, & nunc liberè operandum? Deniquè totum hoc aſſerit eſſe deſumptum ex Patribus; cùm tamen nullus eorum SS. Patrum, quorum verba retulerat, nè per umbram quidem aſſerat id, quod ipſe pronuntiat. Imò *durum eſſet, ac propè injurioſum*, ut verbis utar *Patris Daniel* epiſt.9. *a vobis* (ab ipſo,) *exigere, ut oſtenderetis in Auguſtino & SS. Patribus* veſtri æquilibrii *ſyſtema, quale a veſtris Doctoribus proponitur*. Hìc ergo habemus aliquid valde ſimile æquilibrio Aritmethico, quod ſecundùm æqualitatem graduum, & momentorum æſtimatur: quod lucidiùs conſtabit, attento vel maximè quòd *S. Auguſtinus* lib. 6. operis contra *Jul.* cap.120. ferè iiſdem coloribus depingat æquilibrium *Juliani*, ac ſuum Pater *Ruiz*; ait enim *S. Auguſtinus*: *An hìc librâ tuâ conaris ex utraque parte per æqualia* MOMENTA *ſuſpendere, ut voluntas, quantum eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera? Vergendo te ad unam partem te indicat delirantem*: quibus ſi comparentur verba P. *Ruiz*, videtur hìc aliquid amplius exigere præ *Juliano*: ſcilicet præter librationem MOMENTORUM, præter æquè liberum eſſe ad unam, vel alteram partem eligendam, requirit, ut voluntas ſe poſſit reducere (ad æquabilitatem propenſionis. Verùm hac de re nihil contendo, penes ipſos ſit ſollicitudo, ut ſuum ab æquilibrio *Juliani* diſcriminent.

70. Sed ne intactam, aut neglectam relinquat Ortizius controverſiam præſentem, menſque defenſorum æquilibrii virium luculentiùs, diſtinctiùſque exponatur, utque brevi finiatur hæc difficultas, dignentur defenſores clarè, & diſtinctè, ſincerè, ac candidè reſpondere ſequentibus quæſtionibus. Prima, an exiſtente aliquâ tentatione, neceſſe ſit ad ſalvandam libertatem, ut tota gratia, quâ indiget homo ad ſuperandam tentationem illam, ſit intrinſecè collata, & recepta? Secunda, an gratia, & concupiſcentia debeant librari ad momenta? Tertia, an, ſuppoſito quòd unus gradus gratiæ æquiponderet duobus concupiſcentiæ, exiſtente concupiſcentiâ ad octo, debeat eſſe collata, & recepta intrinſecè gratia ad quatuor, & è converſo? Quarta, an voluntas debeat ſe poſſe reducere ad æqualitatem propenſionis? Quinta, an, ſicut voluntas reducta ad æqualitatem propenſionis, poteſt ex ſe ipſa cedere tentationi; ita debeat poſſe ex ſe ipſa, cum ſolo con-

curſu generali Dei ſuperare tentationem, idemque ſit de neceſſitate libertatis? Sexta, an requiratur, ut voluntas, quantùm eſt ad malum, tantùm etiam ad bonum ſit libera, ſive, ut ſit æquè libera ad unum, & aliud? Septima, & ultima, an hæc omnia exiſtiment pertinere ad Fidem Catholicam; taliter ut qui hæc omnia non admittit, Catholicus habendus non ſit? Ad hæc ubi habuerimus clarum, diſtinctum, candidum, ac ſincerum reſponſum, brevi finietur controverſia tota. Quæ omnia non injuriandi, ſed veritatis indagandæ causâ dicta ſint. Cæterùm optarem, ut Caducifer, ſi denuò ſcribendum ſibi putet, abſtineret a puerilibus illis phraſibus, quibus claudit partis ſecundæ punctum quartum: *quos ego! Sed motos præſtat componere fluctus.*

DUBIUM II.

Aliorum de æquilibrio ſententiæ proponuntur, & propria multipliciter firmatur.

§. I.

Æquilibrium Janſenii *proponitur, & refellitur.*

1. CUm in exponendo, quomodò voluntas proximè potens ſit, tàm ad unum, quàm ad alterum eligendum, ſeu, quomodò utriuſque in illo poſſibilitas libretur, in partes abeant, & dividantur his noſtris temporibus plurimi, operæ pretium duximus aliorum Theologorum placita recenſere, ut pleniùs quid in quæſtione iſta verſetur, innoteſcat. Et primò accuratè expendendum venit æquilibrium illud, propugnans hominem in quodam delectationis terrenæ, & Cœleſtis conflictu, ſæpiùs ſic collocari, ut libratis hinc & inde ad æqualitatem, tùm gratiæ, tùm concupiſcentiæ viribus, nullòque graviori pondere in alterutram bilancis partem inclinatum, ſuſpenſum remanere. Hujus ſiſtematis primus Auctor, & inventor eſt *Janſenius*, cùm nullus ante ipſum illud, ſi ei credimus, aut propugnaſſe, aut impugnaſſe legatur. Quare lib. 4. *de grat. Chriſti* cap. 2. & 10. & lib. 2. cap. 25. *inopinatam* appellat, *novam*, ac recenter excogitatam ſententiam ſuam. En ergo *æquilibrium* ab ipſo adinventum, & à ſuis aſſeclis, quaſi pro aris & focis, propugnatum: illud nempe, quô remanet homo inter delectationes cœleſtes, & terreſtres, ſeu ſub virtutibus gratiæ, & concupiſcentiæ ita in medio ſuſpenſus, ut alternante delectationum fluctu, inter bonum, & malum fluctuet, donec alterutra delectatio alteram vincat, & ſuperet. Sic ille lib. 4. de *grat. Chriſti* cap. 6. *Perſpicuè intelligitur tantoperè neceſſariam eſſe iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quàm terrena, quâ noſter affectus detinetur, fieri non poſſit, quin propriæ voluntatis infirmitate vin-*

vincamur. Major enim delectatio numquam ſanè delectatione minore ſuperabitur. Et cap. 9. *Conflictus ille*, inquit, *delectationum ſopiri non poteſt, niſi altera delectando ſuperaverit. & eò totum pondus vergat. Quod enim amplius delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex quâ operatio nequidem poſſit ſequi: & niſi ejus efficacia per aliam ſuppleatur, in medio remanebitur*: id eſt in æquilibrio. Et lib 8. cap. 2. *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt.* Quod prius dixerat lib. 7. cap. 14. de voluntate graviter tentata loquens: *Ad æquilibrium reducendæ, par, vel major gratiæ delectatio neceſſaria eſt.* Nam divinæ providentiæ lex hæc eſt, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, quâ agens ſibi ſubjiciat paſſum, & major vis vincat minorem. Quod non diffitentur huic *Janſeniano* ſyſtemati addicti, aſſerentes, quòd gratia, quæ nunc victrix eſt, dùm cum levi cupiditate pugnat, auctâ cupiditate, & acriùs inflammatâ, poteſt etiam actu ſuperari.

2. Et quòd cupiditas, quæ victrix erat, dùm cum alia minori certabat, ſi hæc invaluerit, & admotis propiùs incitamentis exſurrexerit, deſinit eſſe victrix, deſinit plenam elicere voluntatem; ſic item eadem illa gratia, quæ cum minori cupiditate pugnans victrix dicebatur, ſi novus ingruat cupiditatis fluctus, actu ſuperatur. Et quòd ſimiliter fieri poteſt, ut qui levem tentationem ſuperat, à majore ſuperetur, etiamſi eâdem utrobique gratiâ polleat, ob incrementum tentationis.

3. En apertum totius ſyſtematis *Janſenii* arcanum. En æquilibrium propugnatum ab ipſo, quô gratia ita commenſurari debet tentationi, ut par, & æqualis ſit conditio, & neceſſitas delectationis terrenæ ad malum, ac cœleſtis ad bonum, ut ſic hæreat in ſuſpenſo animus. En qualiter expoſcit tot neceſſarios eſſe gratiæ gradus, ut ſimus potentes reſiſtere tentationi, quot ſunt adverſariæ concupiſcentiæ gradus: & cum neutri conſenſu efficaci acquieſcere ſit potens, in medio ſuſpenſa debet eſſe, donec illecebrarum altera minuatur, vel augeatur. Cujus rationem aſſignat lib. 4. de *grat. Chriſti* cap. 16. dicens: *Ratio perſpicua eſt, quia cùm ei* (Auguſtino) *nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. Sin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur: Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt: ſed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur.*

4. Omiſſo, quòd hoc ſyſtema minus dignè ſentit de gratia Dei; quæ enim laus Dei gratiæ, quòd victrix non ſit abſolutè, ſed comparativè ad inferiores vires oppoſitæ cupiditatis; quòd non reſiſtat huic, niſi major ſit vis illius; hoc, inquam, omiſſo rejiciendum eſt ſyſtema hoc,

quod penitus eſt deſtructivum libertatis. Qua ex parte à modernorum, quibuſcum agimus, doctrina prorſus diſcrepat; illi enim omnem determinationem virium tribuunt libero arbitrio, quamvis aliqui libertatem arbitrii per æquilibrium virium conſtitueudam cogitaverint. Nam quandiu durat conflictus ille, daturque utriuſque delectationis æqualitas, tentatus liber non eſt, nec quidquam boni, vel mali poteſt facere, niſi ceſſante delectationum congreſſu, una alteram vincat, quod apertè concedit ille dicens: *Ex quo fit, ut, ſi illa deſit, voluntas veluti torpens, ac mortua, nihil omninò amplecti poſſit.* Et lib. 4. de *grat. Chriſti* cap. 9. *Vigente delectatione carnali impoſſibile eſt, ut virtutis, & honeſtatis conſideratio prævaleat.* Et lib. 7. cap. 5. *Superior enim delectatio vinculum eſt, quó liberum arbitrium, ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quandiu iſto ſtabiliter poſſidetur, ac conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem: ita videlicet, ut arbitrium, non liberatum eum velle non poſſit.* Ergo urgens tunc temporis adimpletio præcepti impoſſibilis erit, necnon victoria tentationis, cum abſque majori illa delectatione cœleſti, quæ deeſt multis, ſuperari non poſſit: nec, ipsâ exuberante, detur electioni locus, cum cœleſtis delectatio neceſſariò hominem ad bonum impellat; ſicut & major terrena delectatio ad malum: contra illud Apoſtoli oraculum 1. ad *Corint.* cap. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:* ergo verum abſolutè erit, quòd, exuberante delectatione terrenâ, ſupra id quod poteſt tentatur homo.

5. Non alium bonitatis conſequentiæ teſtem volo, quàm *Janſenium*, qui ex eôdem principiô neceſſitatem conſenſus arguit lib. 4. cap. 13. dicens: *Hinc ergo fit, ut non ſemel de S. Petro etiam volente dicat* (Auguſtinus): *Cùm Chriſtum negaret, invalidas, infirmaſque fuiſſe vires ejus; imò non potuiſſe mortem ferre pro Chriſto, quamvis hoc & velle, & ſe poſſe judicaret. . . . Quibus omnibus locis . . . . docet, Petrum . . . . propter defectum virium voluntatis præſtare non potuiſſe, quod promiſerat. Voluntas enim ejus, hoc eſt, vis volendi divinitùs ei data adhuc parva erat, quam oportebat eſſe maximam, ne mortis oblatæ terrore frangeretur . . . . Hinc ergo fit iterum, ut ſubinde doceat Auguſtinus, quarumdam cupiditatum tentationes aliquorum hominum vires ſuperare, ita ut eas ſuperare non poſſint.*

6. Et infra eodem capite: *Neutri vident*, inquit ille de *Pelagianis*, & *Scholaſticis* loquens, *non eſſe ſatis velle, vel nolle, ut magna quædam præcepta impleantur, tentationeſque ſuperentur; ſed propter libidinum internarum, & conſuetudinum arctiſſimarum pertinacem reſiſtentiam opus eſſe, ut ardenter, & fortiter velit; quod non eſt ſemper in hominis poteſtate: talis enim ardor, vel fortitudo voluntatis non ex ſola libertate hominis proficiſcitur, aut haberi poteſt, ſed ex delectationis magnitudine, quam animus ex objecto, circa quod verſatur, capit; atque ideò cœlitus inſpirari debet.*

7. Et rurſus infra: *dicat cauſam ille, qui expertus eſt conatum, luctamque ſatagentis animæ, & videbis eum hanc ipſam, quam hìc trado,*

do, intuitum eſſe veritatem. Hoc eſt, nondum poterat eam quocumque voluntatis conatu ſuperare; eò quòd videlicet ipſe conatus defectu virium languidus eſſet, cui cœleſtem delectationem, atque ardorem nondum inſpiraſſet Deus, ideoque ſimilis conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. Hanc intuebatur, & in lib. de grat. & liber. arbitr. quando iſtam voluntatis infirmitatem, quâ fit, ut quidquid ſuis viribus conetur homo, non tamen poſſit adverſantes bonæ voluntati ſuæ cupiditates ſuperare, donec gratia Dei majorem vim, ardoremque volendi aſpiraverit, tam diſertè explicat.

8. Hæc ſunt principia, & fundamenta, quæ poſuit ille, ut aſſereret, impoſſibilia eſſe quædam Dei mandata defectu virium voluntatis, quæ eſt prima illa *temeraria, impia, blaſphema*, anathemate damnata, & *hæretica* propoſitio: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Quare non erubuit in eodem capite dicere: *Hæc igitur omnia pleniſſimè, planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius, ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus, conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibilia fiant.*

9. At quis noſtrum audeat in tantam prorumpere blaſphemiam, ut de Deo præcipiente hoc ſentiat? Extincta abeat à Fidelium mentibus hæc tetra hæretici dogmatis flamma. Non, ut inquit ille, errorem iſtum purum, putumque docuit *Auguſtinus*, qui veritatem oppoſitam huic errori conſtanter, & perſeveranter ſemper docuit. Sic namque S. Doctor lib. 1. retract. cap. 9. n. 3. & 4. loquitur: *Quis peccat in eo, quòd nullo modo caveri poteſt?* Et cap. 10. n. 2. *Non credant Pelagiani hoc errorem ſuum fovere, nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt.* Rurſus cap. 15. *Ideò peccamus, quia poſſumus peccare*: quod & repetit cap. 22. Id ipſum propugnat lib. de *fide contra Manichæos* cap. 10. *Quis enim*, inquit, *non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe condemnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere.* Quod etiam lib. 3. de *liber. arbitr.* cap. 1. & 19. apertiſſimè docet: cum enim hic n. 53. ſibi objiceret eos, qui ad excuſanda peccata ſua, in cœcitatem, & ignorantiam, in qua naſcimur, illa refundunt, ſic ait: *Rectè enim fortaſſe quærentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret; cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, indigentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis. iſta tua propria peccata ſunt.*

10. In eadem eſt S. Doctor ſententia lib. de *natur. & grat.* cap. 69. n. 8. *Firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſ-*

tuiſſe præcipere. Et lib. 2. de *peccat. merit. & remiſ.* cap. 3. n. 3. *Quaſi noſtrum hoc nullus ignoret, quòd ſi nolumus non peccamus; nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati*. Et lib. de *grat. & liber. arbitr.* cap. 16. ita *Pelagianos* redarguit: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: non juberet Deus, quod ſciret, non poſſe ab homine fieri: quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus*. Injuſtè ergo *Janſenius* eximiam S. *Auguſtini* calumniatur doctrinam, ad cujus vindicationem S. *Pius V.* & *Gregorius* XIII. hoc poſuerunt monumentum ære perennius, damnantes hanc *Baii* propoſitionem: *Hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe falsò tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit*: ne Hæretici amplius ſub tanti Doctoris nomine ſuam circumferrent ſententiam.

11. Fuit etiam D. *Thomas* hujus Eccleſiæ doctrinæ fideliſſimus cuſtos. Anathema dicit *Quodlibeto* 3. cum S. *Hieronymo* ei, qui dixerit: *Deum aliquid præcepiſſe impoſſibile*. Nec diſſimilia ſcribit 1. p. q. 23. art. 2. ad 3. & q. 49. art. 2. ad. 3. & 1. 2. q. 69. art. 6. & q. 89. art. 2. ad 3. & 4. & q. 100. art. 10. Etiam 2. 2. q. 10. art. 1. & 3. p. q. 83. art. 6. & in 2. ſentent. diſt. 28. q. 1. art. 3. Meritò etiam proſcripta eſt illa ſententia tanquam dogma *Calvini & Lutheri* ab Academia *Lovanienſi* anno 1519. die 17. Novembris: *Deus ligat hominem ad impoſſibile*. Et ab Univerſitate *Pariſienſi* anno 1521. die 15. Aprilis illud *Lutheri* dogma: *Qui negat, Deum nobis impoſſibilia juſſiſſe, peſſimè facit, & qui hoc falſum dicit, peſſimè facit*; quod ſequenti execratur cenſurâ: *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, legis Chriſtianæ infamativa; & authore Auguſtino in Deum blaſphema*. At non ſolùm judice *Auguſtino*, ſed etiam teſte S. *Baſilio* oratione ſupra illud, *Attende tibi*, dicente: *impium eſt aſſerere Spiritûs Sancti præcepta eſſe obſervatu impoſſibilia*. Quare Eccleſia ſemper hunc damnavit errorem, tam in *Manichæis* fatum in actiones humanas inducentibus, quàm in *Lucillo* Presbytero in Concilio *Arelatenſi*, & in *Gotheſcalco* in *Cariſiaco* aſſerentibus, hominem, quandoque non poſſe tentationibus reſiſtere, & ſe convertere. Quem tandem infallibili, ac irrefragabili decreto proſcripſit *Tridentinum* dicens: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*,

12. Enimverò quid magis juſtitiæ, & bonitati Dei adverſum, quàm hominem, in quo eſt ipſe innocens, punire? Ubi miſericordia Dei, ſi hominem in ſumma miſeria, ſeu in impotentia adimplendi præceptum poſuit, non dans, nec offerens media ad ejus obſervantiam? Quis non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur; & damnare eum, cui non fuit poteſtas juſſa complendi? Excuſabit ſe ergo hoc evidenti, ac fortè ineluctabili ratiocinio, impoſſibile ſibi fuiſſe, exiſtente majori ſuggeſtione Satanicâ, vitare peccatum, cum omni arbitrii libertate fuerit privatus; juxta eximiam S. *Odonis* Abbatis *Cluniacenſis* ſententiam Collat. lib. 1. n. 13. *Neque enim juſtus Deus, qui poſſe dedit, impoſſibile aliquid imperare poteſt: neque qui*

pius

pius eſt hominem condemnare pro iis, quæ vitare non poteſt. Et quomodò ſtaret quod ipſe perhibet: jugum meum ſuave eſt? Hanc itaque, nec juſto iniquitatem, nec pio crudelitatem adſcribimus. Videantur quæ tract. de *concurſ. præv.* diximus toto *dub.2.* ubi tot hujus veritatis teſtes dedimus, quot SS. PP. Non eſt ergo, quòd in his immoremur. *Nonne id*, inquit *Auguſtinus* lib. de *duabus animab.* cap. 11. de hoc loquendo, *cantant & in montibus Paſtores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* En hæreticum *Janſenii* æquilibrium; quô non liber, quandiù perſeverat conflictus delectationum æqualitas, remanet homo; ſed potiùs libertate ſpoliatus; cum nequidquam aut boni, aut mali agere poſſit: nec præceptum, ſi urgeat, adimplere valet, niſi ceſſante delectationum congreſſu, & Cœleſtis terrenam ſuperet.

13. Non hìc reponant *Janſenii* defenſores, in doctrina *Janſenii* voluntatem quidem majori delectationi infallibiliter cedere; ſed neutiquàm inde conſequens eſſe tolli conſentiendi potentiam; quia ut iſtam potentiam voluntas habeat, ſufficit, ut dum concupiſcentiæ allicienti actu obſequitur, auxilium habeat ex ſe ſufficiens ad actum contrarium; hoc porrò veriſſimum eſſe in doctrina *Janſenii*, ſecundùm quam ita voluntatem cupiditas ad conſentiendum determinat, ut de virtute, quam in ſe continet gratia excitans, nihil prorſus detrahat. Motio enim concupiſcentiæ ſuperioris efficientiam gratiæ excitantis, ideſt, delectationis inferioris non minuit, nec impedit, quominùs hæc ſufficientiſſimam ex ſe voluntati ad benè agendum potentiam conferat. Igitur etſi delectatio cœleſtis gradu inferior, non poſſit reſiſtere potentiâ conſequenti, benè tamen potentiâ antecedenti. Non, inquam, audiendi iſti, ſubdolè occurrente argumento poſito. Mente enim verſipelli, & callidè aſſerunt Novatores iſti, quòd ſi gratia adſit in gradu concupiſcentiâ inferior, præbet voluntati ſufficientiſſimam ad benè agendum potentiam, vi cujus poteſt reſiſtere concupiſcentiæ ſuperiori, potentiâ antecedenti, & ſecundùm ſe ſpectatâ, licèt non poſſit reſiſtere potentiâ conſequente, & relativâ. Omnis quippè gratia, apud *Janſenium*, ſecundùm ſe eſt ita efficax, ut etiam illa, quæ privatur effectu, ad quem datur, ſuum poſſit producere effectum, ſi concupiſcentia ferveſcens decreſcat ad gradum gratiæ inferiorem abſque ulla nova gratia ſuperaddita. Eſt enim *Janſenii* decantatum principium, ut omnis gratia ſpectata, ſecundùm ſe, & cum voluntate Dei ſit ſemper efficax: quia voluntas Dei ita efficax, & abſoluta eſt, ut omnis gratia neceſſariò ſuum opere;ur effectum, vel ſi vis, infallibiliter infabillitate inſuperabili, & indeclinabili; quod in ſenſu *Janſenii* idem eſt, ac infallibiliter neceſſariò: quarè aſſerit, quod horrendum eſt dictu, hominem exuberante delectatione terrenâ, ſupra id quod poteſt, tentari poſſe. Futilis ergo, & vanus recurſus ille ad potentiam antecedentem, & conſequentem; manifeſtum quippè eſt nihil id Janſeniano dogmati ſuffragari. Thomiſtæ concedunt voluntatem non poſſe, potentiâ conſequente, gratiæ reſiſtere; ſed per poten-

tentiam conſequentem intelligunt ſenſum compoſitum, ſeu potentiam cum actu conjunctam; implicat enim voluntatem non conſentire, dùm actu conſentit. At *Janſenius* propugnat etiam in ſenſu diviſo voluntatem à gratia motam non poſſe, potentiâ relativâ, majori concupiſcentiæ reſiſtere; quinimò lib.4. *de grat. Chriſti* à cap.1. uſque ad 11. hominem ejus motibus, veluti tot vinculis conſtrictum eſſe prædicat. Et ut infinita hujuſmodi prætermittamus; audiendus ſolùm lib.7. cap.5. *Cùm igitur*, inquit, *juſtitiæ vel peccati delectatio ſit illud vinculum, quò liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiù iſto ſtabiliter poſſidetur & coſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit*. Et lib.3. de gratia Chriſti cap.15. *Eſt enim paradoxum in principiis S. Auguſtini, quòd charitas quamvis minima ſufficiat ad quamcumque tentationem ſuperandam, vel quæcumque præcæpta ſine tranſgreſſione ſervanda*. Si ergo actus oppoſitus, exuberante concupiſcentiâ delectationis terrenæ, eſt extra ejus poteſtatem; ſi paradoxum eſt gratiam minimam ſufficere ad quamcumque tentationem ſuperandam: ergo evidens eſt eum neceſſitatem antecedentem ex delectatione ſuperiori promanantem agnoſcere; & quod negatâ omni indifferentiâ actùs ſub dominio delectationis victricis exuberantis, ſolùm indifferentiam ſtatus admittere; quantenus homo à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ pertranſire poteſt, per hoc quod detur aſcenſus vel deſcenſus in delectationibus; quòd terrena, quæ modò exardeſcit, imminui poſſit; & cœleſtis, aliàs parva creſcere, ut terrenam ſuperare poſſit. Ex quo neceſſitatem abſolutam in actus humanos inducit, quia, ut inquit ille, ſecundùm id, quod magis delectat, operari neceſſe eſt. Hæc ſufficiant, ut mens & ſenſus *Janſenii* appareat, & quòd diſtinctione illa poteſtatis antecedentis & conſequentis, ad Thomiſtarum doctrinam, velut ad certam poſt naufragium tabulam, ſed incaſſum, confugere nituntur.

§. II.

Syſtema D. Honorati Tournely de æquilibrio proponitur, & reijcitur.

14. DIfficillimum eſt, ut omnes, etſi ejuſdem ſcholæ diſcipuli, idem omninò ſentiant; vel quia magna eſt in rebus ipſis obſcuritas, vel quia non minor eſt in hominum ingeniis diſſimilitudo. Hinc multa non diverſa modò, verùm etiam inter ſe pugnantia legimus circa modum, & naturam hujus *æquilibrii*. Non omnium eſt una, & eadem ſententia. Quarè rejecto primô modô dicendi; alium ad exactum Theologiæ Criterium revocemus. Conqueritur de injurja ſibi irrogata *Honoratus Tournely* ſacræ facultatis Pariſienſis Doctor, Regius, & emeritus Profeſſor admonit. p. 4. & 5. eò quòd ſupra explicatam æquilibrii ſententiam illi imputent. *Non poſſum*, inquit ille, *quin illum falſi poſtulem, quòd me nominatim in crimen vocaverit propugnatæ ſur-*

turpis cujuſdam æquilibrii doctrinæ. Et pag. 7. *Cur malignè cenſor diſſimulat? Cur æqualitatem virium inter gratiam, & concupiſcentiam, quam rejicio, ſubſtituit in locum æqualitatis virium in voluntate, quam admitto?* Et rurſus: *Priori ſenſu callidè omiſſo, ac diſſimulato, in altero, qui à nemine defenditur, explodendo, ac confutando jactantius exultant, ac triumphant*. Quare ne iterum præpoſtero ſenſu accipiatur hujus Doctoris ſententia, hanc in bono lumine collocemus. Obſervat ille tract. de *gratia Chriſti* q. 7. artic. 1. verba illius reddo: *Cùm dicimus, per gratiam ſufficientem vires pares, & æquales relativè conferri, vires cum viribus non comparamus, quaſi illæ deberent eſſe inter gratiam, & concupiſcentiam; non ita eſt, immo potiùs contendimus, vires gratiæ ſufficientis, tametſi gradibus inæquales, & inferiores viribus oppoſitæ concupiſcentiæ, pares tamen eſſe, ac ſufficientes huic oppugnandæ, ac ſuperandæ*.

15. At, cum ſibi infra ſequens objiceret argumentum, quòd ex ſua ſententia ſequeretur, hominem per gratiam ſufficientem in quodam æquilibrio debere ita collocari, ut libratis hinc & inde, ad æqualitatem tum gratiæ, tum concupiſcentiæ viribus, nulloque graviori pondere in alterutram bilancis partem inclinatus liber maneat; ut huic propoſitæ ex æquilibrio argumentationi nitidè, ac ſolidè reſpondeat, ad opus veræ pietatis per gratiam exercendum, triplicem diſtinguit, & explicat æquilibrii ſpeciem; nempe *inclinationis*, *potentiæ ſeu facultatis*, & *actionis ſeu exercitii*. *Æquilibrium inclinationis, ſeu propenſionis illud eſt, quô voluntas in unam magis, quàm in aliam partem non propendit, nec inclinatur, ſed æqualiter hinc, & inde afficitur. Æquilibrium potentiæ ſeu facultatis illud eſt, quô facultas, ſeu voluntas ſub motione gratiæ, vel concupiſcentiæ, ſuam retinet indifferentiam activam, per quam immunis ab omni neceſſitate, in quam voluerit partem, bonum vel malum, vitam & mortem flectere ſe, ac determinare poteſt. Æquilibrium denique actionis, quæ fit ex gratia, non uno modo excogitari poteſt, & exponi, nempe ut actio fiat, vel ſine novo adjutorio gratiæ phyſicè, aut moraliter præmoventis, vel ſine majori facilitate ad unum, quàm ad aliud; vel cum æqualitate virium gratiæ, & concupiſcentiæ, vel denique, quô res aliqua fiat immediatè. Certum autem eſt, ad libertatem actionis neceſſe non eſſe; primò, ut nulla major inſit voluntati ad unum, quàm ad aliud facilitas, vel difficultas: hæc enim perinde ac major, vel minor inclinatio voluntatis, libertatem actionis non tollit, ac conſequenter æquilibrium hujuſmodi neceſſarium non eſt. Secundò nec minus certum, neceſſe non eſſe, ut pares ſint, & æquales ex utraque parte, gratiæ nimirum, & concupiſcentiæ vires. Neque enim hic vires unius cum viribus alterius comparantur; ſed hoc unum exigit Eccleſia contra ſententiam Janſenii, ut vires gratiæ, tametſi gradibus inferiores viribus concupiſcentiæ, iſtas nihilominus ſuperare poſſint, ſeu pares ſint illis vincendis, ac ſuperandis, quod ex diametro pugnat cum ſyſtemate Janſeniano, in quo impoſſibile eſt, vim majorem à minori ſuperari.*

Tertiò certum quoque eſt, ad eamdem actionis libertatem neceſſe non eſſe, ut res immediatè fiat, ut obſervetur mandatum: ſed ſatis eſt, ſi fiat ſaltem mediatè, impetrando ſcilicet gratiam uberiorem, per quam obſervetur. Quibus diſcuſſis, vel expoſitis, rejicit æquilibrium illud inclinationis, & quòd major debeat eſſe in gradibus vis gratiæ, quò majorem, & ardentiorem, cum qua concurrit, cupiditatem debellandam habet. Quare hanc concluſionem ſtatuit: *Nomine gratiæ ſufficientis eam Eccleſia intelligit, quæ expeditam, proportionatam, & relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias confert voluntati ad opus bonum potentiam, ac vires pares, & æquales ſuperandæ oppoſitæ concupiſcentiæ, nec aliter etiam intelligit, gratiæ interiori reſiſti, quàm quòd eô privatur effectu, quem relativè ad oppoſitam actualem concupiſcentiam ex ordinatione ac voluntate Dei, hic & nunc habere poteſt.*

16. Sic igitur expoſitâ, & ab ipſomet Auctore à malignis interpretamentis vindicatâ ſententiâ, fit luce meridianâ clarius, quòd ſub hoc nomine potentiæ relativæ intelligit æquilibrium illud potentiæ, quod exigit, ut vires voluntatis ſint æqualiter inſtructæ ad agendum contra concupiſcentiam, ac concupiſcentia contra motionem gratiæ, illam nempe effectu ſuo privando. Ulteriùs aſſerit præfatus Auctor, quòd gratia, quantumvis exigua, & minima ſit, attamen voluntati tribuit vires, tam perfectè æquales, & pares vincendæ concupiſcentiæ, ut ſolius voluntatis conſenſus alterutram ſtateræ partem determinet; unde, inquit ille, *voluntas cum minima gratia contra concupiſcentiam magnam ſe habet tanquam ſtrenuus dux, qui cum paucis militibus, numero longè ſuperiorem exercitum vincit.* Hanc æquilibrii ſpeciem nedum propugnat, ſed & ad ſubſtantiam dogmatis Eccleſiæ pertinere docet. Quod & repetit ſequentibus verbis: *Iſtam æquilibrii ſpeciem, quæ ad fidem ſpectat, directè impugnant Janſeniani.* Inſuper affirmat, neceſſe non eſſe, ut pares ſint, & æquales ex utraque parte, gratiæ nimirum, & concupiſcentiæ gradus. Sed hoc unum exigit Eccleſia, ut vires gratiæ, tametſi gradibus inferiores viribus concupiſcentiæ, ipſas nihilominus ſuperare poſſint, ſeu pares ſint illis vincendis, ac ſuperandis.

17. Tandem Auctor iſte non requirit potentiam immediatam reſiſtendi, ſed dicit, ſufficere potentiam mediatam, ſcilicet impetrandi, ut ex ſequentibus verbis liquet: *Tertiò certum quoque eſt, ad eamdem actionis libertatem neceſſe non eſſe; ut res immediatè fiat v. g. obſervetur mandatum; ſed ſatis eſt, ſi fiat ſaltem mediatè, impetrando ſcilicet gratiam uberiorem, per quam obſervetur. Utrumque iſtum modum apertè diſtinguit Concilium Tridentinum ſeſs.* 6. *de juſtificatione cap.* 11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Ergo ſupponit Concilium, aliquid eſſe, quod interdum homo immediatè non poſſit, ſed tantùm mediatè, per gratiam orationis: *petere, quod non poſſis.* Quod infra repetit dicens; *etſi gratia ſufficiens induratis*

ratis conceſſa vires non conferat pares ad operandam immediatè converſionem, & præceptum implendum, ſaltem pares habet ad deſiderium converſionis concipiendum, & ad converſionem ipſam ſaltem mediatè, per orationem ſcilicet impetrando uberius auxilium Dei, cujus beneficio & convertatur, & præceptum adimpleat.

18. Hæc tota hujus Auctoris mens. Fateor, quòd perfectiſſimam hìc nobis libertatis ideam proponit, in hoc conſtituto æquilibrio potentiæ; dum minimâ gratiâ voluntatem proximè, immediatè, & relativè potentem, vincere omnes concupiſcentiæ oppoſitæ gradus affirmat, quatenus ſaltem impetrare, quôvis gratiæ gradu inſtructa, poteſt uberiores vires, quibus opus habeat: rejiciens æquilibrium illud virium, quô pares debent eſſe vires gratiæ viribus concupiſcentiæ, & quod à nobis ſuperiùs graviſſimis momentis rejectum eſt; ſuadetque ſequens diſcurſus. Etenim, ut ſalvetur libertatis eſſentia, ſeù indifferentia activa, & poteſtas libera ad oppoſita, non requiritur æqualitas virium. Activa indifferentia in ſua eſſentia non tollitur, aut minuitur per augmentum virium, aut earum decrementum. Hoc augmentum, & decrementum virium ſupponit liberæ poteſtatis indifferentiam in ſigno conſtitutionis libertatis; & non ad indifferentiam, ſed ad determinationem in alteram ex extremis ſe habet, ut ſuprà diximus. Meritò ergo Auctor iſte diſtinguit æqualitatem virium à ſufficientia poteſtatis antecedentis. Hinc ſacrum Concilium Tridentinum abſolutè pronuntiat: *Liberum arbitrium non eſſe extinctum, ſed attenuatum*; quia libertas ſubſiſtit, etſi attenuata, & demiſſa: ergo cùm id, quod pertinet ad eſſentiam libertatis, non ſit per peccatum extinctum, nec deficere poſſit, hæc æqualitas virium gratiæ, & concupiſcentiæ, quæ deficere poteſt reſpectu voluntatis, & actionis, non eſt de eſſentia libertatis.

19. Alio ergo titulo diſplicet *Thomiſtis* hujus Auctoris ſententia; quia nempe ultra gratiam conſtitutivam æquilibrii, aliam neceſſariam ad victoriam tentationis phyſicè prædeterminativam non admittit; ſed ſolùm uberiorem indifferentem gratiam, quæ voluntatem relinquat ſupremam ſalutis dominam, & quæ ſortem ſuam, & effectum electioni voluntatis permittat: cum ſemper pendula, & in ſuſpenſo maneat voluntas; hujuſque determinatio pendeat ex conſenſu voluntatis, ut oſtendunt ſequentia verba: *Sed hoc unum contendimus contra Janſenium, vires gratiæ ſufficientis; tametſi inæquales, & gradibus inferiores viribus oppoſitæ concupiſcentiæ, pares tamen eſſe, ac ſufficientes iſti debellandæ, ac ſuperandæ, & implendo præcepto, ſi homo juſtus, eâ, quâ par eſt, ſedulitate, ac diligentiâ tali auxilio gratiæ uti voluerit.*

20. Diſplicet ulteriùs, quia in ejus principiis, gratia illa ſufficiens non eſt verè talis juxta communem Eccleſiæ ſenſum, ſi non maneat ſub imperio voluntatis, ſive ſi addat motionem divinam non ſubjectam voluntatis arbitrio; cùm intelligere minimè valeat cum AA. Societatis, ſalvari æqualitatem potentiæ, ſive indifferentiam activam poteſtatis,

ubi potentia eſt infallibiliter ad unum conſequenter determinata mediô auxiliô, quod ex ſe, & ex propria virtute, certiſſimè conſenſum afferat voluntatis: quare eâdem certitudine excludit neceſſitatem gratiæ efficacis, quâ aſſerit, Eccleſiam per gratiam ſufficientem eam intelligere, quæ expeditam, & relativè proportionatam confert voluntati potentiam. Pro vindicanda ergo Thomiſtarum ſententia, hujus Doctoris doctrinam penitus eſſe rejiciendam probare aggredimur.

21. Et quidem primò, ſalvâ reverentiâ ipſi debitâ, nec ſuſpicari fas eſt, rem iſtam ad fidei ſubſtantiam pertinere, aut inter neceſſaria, vel certiſſimè definita dogmata referri debere. Legant, relegant Concilia, ſummorumque Pontificum decreta, nihil hujuſmodi invenient, quòd Eccleſia gratiæ ſufficientis nomine intelligat illam, quæ proportionatam, & relativam voluntati conferat potentiam, ut ſalutariter operetur; ſic, quòd nullô aliô indigeat auxiliô efficaci ad poſitionem actus; immo quod ut Dux ſtrenuus minoribus gratiæ viribus, propriâ arte, & induſtriâ, majores concupiſcentiæ ſuperet. Quònam enim Fidei decretô hoc fideles hucuſque docuit Eccleſia? Quinimmo nos id apertè falſum & putamus, & dicimus, atque oppoſitum docuiſſe Apoſtolum *Paulum*, tenemus. Nam pro victoria obtinenda, non ad induſtriam (ecquæ induſtria hæc?) voluntatis recurrit; ſed ad gratiam Dei: *Deo autem gratias*, inquit, *qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Apud omnes Catholicos gratia ſufficiens potentiam tribuit vincendi concupiſcentiam, & implendi præcepta. Apud varias ſcholas modis variis explicatur potentia illa expedita. Apud *Thomiſtas* potentia hæc expedita dicitur, & concupiſcentiæ ligamentis ſoluta, quia gratia ſufficiens, ut ex voluntate Dei antecedente deſcendens, tribuit virtutem abſolutam, nedum vincendi aliquos, ſed omnes cupiditatis gradus, ſivè mediatè, ſive immediatè, in ſubjecto occurrentes. Juxta AA. *Societatis*, & Doctorem iſtum, potentia illa dicitur expedita, quia, ut reducatur ad actum, non alia requiritur gratia â ſufficiente diſtincta, ſive phyſicè, ſive moraliter prædeterminans, ita ut eadem gratiæ entitas, quæ eſt inefficax in uno, fiat conſenſu voluntatis efficax in alio. De gratia ſufficiente docet Fides Catholica, quod tribuat potentiam eô ſenſu proportionatam, ut nedum aliquos, ſed omnes, ut modò diximus, concupiſcentiæ gradus poſſit vincere, ſeu victoriam à Deo adjutore impetrare. Sed huic Catholicæ notioni Auctor iſte ſuæ ſcholæ adjicit proportionis modum, & quidem non præcisè, tanquam Eccleſiæ indulgentiâ ab aliquibus propugnatum; ſed tanquam ex Eccleſiæ definitionibus à cunctis fidelibus tenendum, quòd gratiæ ſufficientis notio dicatur omnia includere ad pietatis actum exercendum requiſita, ita ut nullo ulteriori egeat dono Dei ad ejuſmodi exercitium.

22. Relevativam ſuperaddidit ille potentiam ad præſentem actualem concupiſcentiam oppoſitam. Hic totius ſyſtematis Societatis cardo vertitur, ideo enim potentiam relativam jactantiùs celebrat tanquam ab omnibus propugnandam, & Eccleſiæ judicio ſancitam; quia

cùm

cùm ſciat, non potuiſſe ſanciri potentiam illam relativam in ſenſu *Janſeniano*, infert, & inferre vult, ſancitam fuiſſe in ſenſu ſuæ ſcholæ, ſub hoc nomine intelligentis æquilibrium illud potentiæ, quod exigit, ut gratia, quantumvis exigua ſit, attamen voluntati tribuat vires tam perfectè æquales, & pares vincendæ concupiſcentiæ, ut ſolus voluntatis conſenſus, nullò aliò ſuperadditò auxiliò efficaci, alterutram ſtateræ partem determinet. Quid tandem, quòd tanquam Eccleſiæ doctrinam inſinuet, non aliam eſſe interiorem gratiam, niſi cui voluntas humana poſſit reſiſtere? Perpendere debuiſſet, an ipſum *velle*, ipſum *non reſiſtere*, ſit donum ex gratia Dei. Quod ſi eſt, ut negari non poteſt: rogo per quodnam *nolle*, aut per quodnam *reſiſtere* poſſit reſiſtere, & nolle, habens *velle* tunc, & *non reſiſtere*? Scio, hæc ex ignorantia principiorum noſtrorum proceſſiſſe, de quibus Dubiis ſequentibus plura dicturi ſumus.

23. Quòd ille cum Schola Societatis hæc ſua placita defendat, hoc nos parùm ſollicitos tenet; cùm ſemper inſurget contra ipſos Schola Thomiſtica. Sed quòd hanc doctrinam extollat, tanquam ipſiuſmet doctrinam Eccleſiæ, hoc intolerandum dicimus, & ut tale rejicimus. Enim verò ſi hoc Eccleſia inducitur definiens, & loquens: ergo Eccleſia definit, voluntatem inter utramque æquilibrii partem pendulam, nedum poſſe mediâ illâ gratiâ conſtitutivâ æquilibrii vehementiſſimam concupiſcentiam vincere; ſed & ipſam nullò aliò Dei auxiliò juvante, ſolùm pro nutu ſuo, poſſe ſe in alterutram determinare partem: & cùm conſenſus iſte ad propriam induſtriam pertineat; ſicut, inquit ille, *ad induſtriam Ducis revocatur, quòd cum paucis militibus numeroſos vincat hoſtes*; hinc tota gratiæ victoria induſtriæ tribuenda erit voluntatis. Ergo & anathema erit aſſerentibus, gratiam non eſſe ex voluntatis nutu pendulam, liberum arbitrium eſſe nunc moraliter debilitatum; dari gratiam voluntatis determinatricem, auxilium efficax non expectare voluntatis conſenſum, ut efficax fiat. Ergo anathema erit, & omni execratione deteſtandum dogma, quòd gratia ex ſe ipſa efficax det nobis victoriam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: & quòd lancem utrimque parem in unam potius partem inclinet, quàm in aliam. Quæ omnia, quidquid ipſi dicant, immiſcentes ſuas privatas opiniones orthodoxis veritatibus, nemo credet transformata eſſe in Canones dogmaticos, dicente *Auguſtino* libro *de grat. & liber. arbitr.* cap. 16. *Certum eſt, nos mandata ſervare, ſi volumus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Et lib. 4. ad *Bonifacium* cap. 9. *Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, à quo, niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt: præparatur voluntas à Domino?* Quibus paria docet D. *Thomas* q. 6. de *malo* artic. unic. ad 3. *Deus quidèm movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas*. Numquid gratia, quæ per vires efficaciſſimas facit ex nolentibus volentes, quæ movet infallibiliter,

ter, propter efficaciam virtutis moventis, expectat efficaciam à voluntate in utramque contradictionis partem perinde ſuſpenſa? Ergo alia eſt in Eccleſia libertatis idea, quæ ad iſtam æquilibrii doctrinam non reducitur, prout ab his Auctoribus explicatur.

24. Secundò rejicitur hic modus dicendi. Nam etſi gratia Dei, vel minima, quantùm ex ſe eſt, expeditam, proportionatam, & relativam conſtituat, aut conſtituere poſſit potentiam vincendi omnes gradus concupiſcentiæ, attamen cùm, ut infallibiliter ſuperetur, ac vincatur tentatio, ſufficiat, juxta adverſarios, additus ſolùm conſenſus voluntatis, nec aliâ opus eſt gratiâ, in hoc *æquilibrium potentiæ* tela ipſa recidunt, quibus impugnatum manet æquilibrium virium, quæ iterum ob oculos ſubjicio. Attenuatum, & infirmum eſt liberum arbitrium; at ubi eſt hæc ex primorum prævaricatione Parentum orta infirmitas, ſi juxta hunc dicendi modum, liberum arbitrium gratiâ ſufficiente, ab ipſo inſeparabili, lapſum erigitur, reſtauratur, pares, & æquales vires habet ex gratia illa ſuperandæ concupiſcentiæ? Nulla ergo datur attenuatio, & infirmitas, quin potiùs videtur conſequens, quòd reparatrix gratia Chriſti ſufficiens reſtituat nobis integritatem, quam *Adam* habuit, ut fatetur P. *Aſſermet*, vide pag. 119. num. 41. Datum illi poſſe proximum, & robuſtum auxiliò *ſine quo non*: non autem ipſum agere, niſi *auxilio quô*. At gratia ſufficiens, quâ donamur nunc, juxta ipſum, integritatem reſtituit, & ſufficit ad non concupiſcendum.

25. Secundò: ſi Dæmon diro tentationum certamine hominem conatur appetere, in promptu eſt minima gratia dans æquilibrium potentiæ, quô, ipſâ volente, abſque novo determinante auxilio perferet, ac vincet hoſtis inſidias. Si iterum implacabili rabie tabeſcens nova tentationum immittit jacula, ſi deceptionum novas parat inſidias, Deo ulteriori non adjuvante auxilio, ex ſolo voluntatis nutu confundetur ille in ſui reatûs opprobrium. Non *Idololatrarum*, *Atheorum*, & *Paganorum* lugenda jam calamitas, adhuc temporibus illis, quibus Deus *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*, ut dicitur *Act.* 14. v. 15. Non & lugendi ſunt illi, de quibus pronuntiavit *Apoſtolus Paulus*: *Ad omne opus bonum reprobi*, & ad *Epheſ.* 4. *Sine Deo, tenebris obſcuratum habentes intellectum*, cùm juxta Scriptorem, contra quem agimus, data ſit omnibus cœleſtis motio, impulſio, excitatio, & æqualis virtus ad bonum, & ad complementum converſionis, ut hanc pro nutu voluntatis obtineat; cùm & Deus ſaluberrima tribuerit ipſis auxilia, quibus interioris hominis ſanatur infirmitas, propulſatur Dæmonis malignitas; parque eſt poteſtas ſuperandæ tentationi, & obſervando mandato, abſque novo Dei auxilio.

26. Tertiò; Infirmitatis, & neceſſitatis maximum eſt argumentum orandi neceſſitas, teſte D. *Auguſtino* Epiſt. 218. aliàs 208. dicente: *Ipſa quoque oratio admonet te, quòd indigeas adjutorio Dei tui, ne ſpem benè vivendi in te ponas*. Sed ad quid oratio? Cùm, ut homo vincat, & in accepta juſtitia perſeveret, non ſpem ſuam in Dei gratia reponere debeat, ſed in libero voluntatis arbitrio, gratiæ conſtituentis

æqui-

æquilibrium indifferentiam determinaturo; etenim non à Deo movente, & ſalutari donô miſericorditer juvante inclinabitur lanx liberi arbitrii, ſed à propria determinatione voluntatis pendet victoria: ergo inutilis eſt oratio; nec prudenter precabimur: *Inclina cor meum in teſtimonia tua*, ut clamabat Pſaltes, & clamat Eccleſia, cujus ſpiritu imbutus illam protulit S. *Auguſtinus* ſententiam ibi: *Quod utique, ſi homo ſibi præſtare poſſet volendo, non poſceret orando.*

27. Quòd ſi nobis reponant, neceſſariam eſſe orationem ad majus, & uberius auxilium obtinendum; in promptu eſt impugnatio, quòd majori illâ gratiâ acceptâ non creſcit virtus potentiæ, ut ſe determinet: cùm major illa, & uberior gratia ſit ſolùm in linea ſufficientis, conſtitutivæ æquilibrii, cum qua voluntas adhuc remaneat inter utramque partem pendula, & ſuſpenſa: in quo ergo conſenſus ille ſalutaris erit donum, pro quo orare debeat; & cur de illo non poterit in ſe gloriari voluntas, & non in gratia bilancem determinante? Rurſus: in ejus principiis, minimâ gratiâ ſanata videtur, & reſtituta ad priſtinum ſtatum libertas; nec aliquid deſuper expectandum, quod non ſit in noſtro poteſtate: vel ergo neganda eſt oratio, vel aſſerendum, quòd non aliâ ſufficiente gratiâ, ſed fortiori vincitur concupiſcentia; ut dixit *Auguſtinus* lib. 1. *oper imperf.* cap. 107. *Ab hac ergo neceſſitate ſervitutis ille liberet, qui non ſolùm dat præcepta per legem; verùm etiam donat per ſpiritum caritatem; cujus delectatione vincatur delectatio peccati; alioquin perſeverat in victo, & ſervum ſuum tenet. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.*

28. Quartò: conſcii hujus gratiæ homines omnibus conceſſæ, & conſtitutivæ æquilibrii, nihil eſt, quòd trepident, & quòd ardua confidenter non arripiant. Jam illi velut propugnatores egregii, adverſus inviſibiles hoſtes, in ſtadium certaminis ſecuri deſcendere debent. Si fortitudine opus eſt, jam data eſt illis gratia, ut fortes ſint, & fortes ſe faciant. Si datur labor in arduis aggrediendis, voluntate vincitur ille, ut reſpondet *Auguſtinus Epiſt.* 121. dicens: *Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt.* Idem S. Doctor lib. de *gratia Martyrum*, magnam charitatem, magnamque voluntatem ad ipſas terribiles, ſævaſque paſſiones tolerandas extollit. Contraponit magnam, & robuſtam illorum charitatem, de qua dixit: *Martyres magna fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc eſt magnâ charitate fecerunt*, hanc, inquam, contraponit parvæ, & invalidæ, quæ erat in *Petro*, dicente Domino, *non potes modò*, quando ajebat ille, *animam meam pro te ponam*. Cæterùm quid intereſt, quòd tam *Petrus*, quàm Martyres magnam illam non haberent charitatem, cùm eſſet in omnibus expedita, proportionata, & relativa poteſtas mediâ gratiâ ſufficiente, quæ quantumvis minima, vincendæ tentationi, accedente ſolùm voluntatis conſenſu, & ſufficiens, & par, ut tam antecedenter, quàm conſequenter poſſit fortiori inclinationi reſiſtere.

29. Quintò: diſtinguit Auctor iſte æquilibrium potentiæ, & æquilibrium inclinationis: Hoc ſecundum negat, utpote pugnans contra

fidem,

fidem, non minus quàm contra rationem, & experientiam. Nemo quippe non experitur inteſtinam illam, ac domeſticam luctam, quæ in nobis eſt carnem inter, & ſpiritum. Nemo non ſentit, longè magis ad malum, quàm ad bonum ſe eſſe propenſum. Hâc non obſtante inclinatione, par eſſet voluntas ſuperandæ tentationi, ſemper remanet domina ſui actus, ac ſufficienter & expeditè potens fortiori inclinationi reſiſtere, quando ipſa voluerit, quin novò efficaciori Dei auxiliò præparetur, ut ſalutariter operetur. Hoc ſanè difficillimè intelligitur. Inclinari non poteſt voluntas, quin pondus concupiſcentiæ vim habeat, ut ipſam in unam magis, quâm in aliam partem inclinet. Si ergo datur hæc major propenſio, & inclinatio concupiſcentiæ cum eo, quòd ſufficienti auxiliò inſtructa, & roborata voluntas in æqualitate ſiſtat, & æqualiter hinc inde afficiatur, non auxilio illo, quô voluntas æqualiter ſuſpenſa manet, vincitur inclinatio concupiſcentiæ, cùm ſit compoſſibile cum illa: ergo novum fortius deſideratur auxilium firmans, & roborans voluntatem, quô erigatur ipſa, ut erecta vincat inclinationem oppoſitam, ſitque major delectatio juſtitiæ, quàm concupiſcentiæ inclinatio.

30. Hòc invictè probat argumentum *Auguſtini* contra *Pelagium*. Concedebat iſtè varia adjutoria gratiæ, quibus excitabatur homo ad benè operandum, teſte eodem *Auguſtino* lib. 3. *oper. imperf.* cap. 114. *Adſunt adjutoria gratiæ, quæ in parte virtutis nunquam deſtituunt voluntatem, cujus licèt innumeræ ſpecies, tali ſemper moderatione adhibentur, ut nunquam liberum arbitrium loco pellant, ſed præbent adminicula, quando eis voluerit inniti.* Fatebatur ulteriùs, quòd gratiâ interiori adjuta voluntas, facilis erat ad benè operandum; & cùm aliàs æquilibrium poteſtatis defenderet, ſtultitiam ſingularem ipſi ineſſe improperat *Auguſtinus* dicens: *Libra tua vergendo in unam partem, delirantem te monſtrat*; quia nempe, ſi major erat facilitas ex gratia, hæc non erat ex gratia, quæ eſſet conſtitutiva æquilibrii, compoſſibili cum inclinatione concupiſcentiæ; non enim cum æquali utrinque pondere poſita lanx in unam potiùs, quàm in aliam partem inclinat: ergo adhuc fortius auxilium diſtinctum ab illa gratia æquilibrii tenebatur agnoſcere, quod eſſet hujuſce majoris facilitatis cauſa. Ad hunc modum nos in præſenti dicimus: ſi exæſtuans vis concupiſcentiæ major eſt, magiſque ad malum inclinat; ut vincatur iſta, non ſufficit gratia illa compoſſibilis cum iſta, quâ æquali lance ſuſpenſa ſit voluntas; ſed alia fortior, & efficaciſſima requiritur, quâ inclinatio illa aliâ delectatione cœleſti, atque victrice ſuperetur: de qua dixit *Auguſtinus* lib. 1. ad *Bonifacium* cap. 20. *Veniet gratia Dei, ut delectet te juſtitia.* Et lib. de *Spirit. & litt.* cap. 3. *Nos autem dicimus, humanam voluntatem ſic divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut accipiat Spiritum Sanctum, quô fiat in animo ejus delectatio, dilectioque ſummi illius, & incommutabilis boni, quod Deus eſt.* Et cap. 16. *Hic autem Spiritus Dei, cujus dono juſtificamur, quô fit in nobis, ut non peccare delectet.* Et tandem lib. 1. de *Nuptiis, & concupiſc.* cap. 3. *Condelectatio legi Dei ſecundùm interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei.*

31. En

31. En anguſtiæ utrique æquilibrio, ſive virium, ſive potentiæ, prout ab Auctore iſto defenditur, communes: quia Auctores mutatis terminis, non mutatô ſenſu loquuntur. Sed hæc ſufficiant: quæ ſi in nobis arguentibus, & diſputantibus diſplicent, crederem, quòd in interiori corde peccati originalis effectus meditantibus, non diſplicebunt; maximè cùm doctrinam iſtam ſæpè ab *Auguſtino* poſitam viderint. Sic lib. 1. *Retract.* cap. 9. num. 4. loquitur S. Doctor: *In his atque hujuſmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare poſſunt, ſuam nos tenuiſſe ſententiam. Sed fruſtra hoc putant: voluntas quippe eſt, quâ & peccatur, & rectè vivitur, quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipſa, niſi Dei gratiâ liberetur à ſervitute, quâ facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet, adjuvetur, rectè, pièque vivi à mortalibus non poteſt. Et hoc divinum beneficium, quô liberatur, niſi eam præveniret, jam meritis ejus daretur, & non eſſet gratia, quæ utique gratis datur.* Mox manifeſtiſſimè cap. 10. num. 2. *Quod verò dixi: illud autem lumen non irrationabilium avium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines poſſunt, ſi velint; non exiſtiment novi hæretici Pelagiani, ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere caritatis, ut poſſint: quod hîc ideo dictum non eſt, quoniàm præſenti neceſſarium non erat quæſtioni.*

32. Demum cap. 22. num. 4. *Alio loco, niſi quiſque, inquam, voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem. Sic intelligendum eſt & quod dixi poſtea: in noſtra poteſtate eſſe, ut vel inſeri bonitate Dei, vel excidi ejus ſeveritate mereamur; quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem, quæ cùm fortis, & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impoſſibile fuit.* En qualiter bonum velle, & operari eſt pro nutu voluntatis, at non ſecluſo Dei auxilio, dante ut ipſa velit, ſed mediâ gratiâ, quâ fortis, & potens præparatur voluntas; quâ perfectè liberatur à ſervitute quâ ſerva facta eſt peccati; quâ tantùm augetur, ut conſequenter poſſit, & ſub cujus infallibili determinatione conſervatur libertas. Audeo autem dicere; immo ſecuriſſimè dico, ipſum Scriptorem, ſeu etiam Scriptores, quibuſcum diſputamus, ſi ſtudio quô vacant Deo orantes, comparent iſtam opinandi licentiam, invenient ſe eidem practicè non acquieſcere;

nam in negotio ſalutis, ſibi nihil fidentes, uberiorem ſemper gratiam à Deo petunt, & humiliter, abs dubio, cum *Auguſtino* dicunt: *Domine, da quod jubes, & jube quod vis*.

33. Carpit hìc *Caducifer*, quod profectò non intelligit, aut non intelligere ſe ſimulavit. Pag.557. num.144. inquit: *Cur quæſo paulò antè ita laudatus eſt D. Honoratus Turnelli ab ipſo* (nempè à me) *quod nonniſi perfectam ideam libertatis ſtatuit in præfato æquilibrio potentiæ firmando, & æquilibrium virium rejiciendo, ſi eadem argumenta, & abſurda militant contra utrumlibet?* O rara in argumentando *Caduceatoris* peritia, ac ſapientia! Quaſi verò non poſſit Auctor plura dicens, aliquo uſque benè dicere, ac mereri approbationem, licèt poſteà rursùs deflectat, & in id, à quo recedere tentabat, reincidat. Id accidiſſe D. *Tournelli* viſum mihi fuit, nec immeritò. Cùm enim mentem ſuam ampliùs explicaturus, poſteà addit, ut diximus num.17. *Tertiò certum eſt, ad eandem actionis libertatem neceſſe non eſſe, ut res immediatè fiat, ut obſervetur mandatum: ſed ſatis eſt, ſi fiat ſaltem mediatè*: (quod ait, ut addit *Caducifer*, propter auxilia remotè ſufficientia) *impetrando ſcilicèt gratiam uberiorem, per quam obſervetur*: gratia verò illa uberior, quam ipſe requirit, non ſit talis, quæ efficiat velle, & operari; qualis eſt gratia Thomiſticè efficax; ſed ſolùm proximiùs poſſe; atque emendicans à voluntate creata ſuam efficaciam, planè convincitur reincidere in æquilibrium virium gratiæ, & concupiſcentiæ, à quo dixerat ſe abhorrere. Si enim ab eo quæratur, cur, ſi *vires gratiæ, tametſi gradibus inferiores viribus concupiſcentiæ, iſtas nihilominùs ſuperare poſſint, ſeu pares ſint illis vincendis, & ſuperandis*, Cur, inquam, ulteriùs requirat novam, & ulteriorem gratiam ſufficientem? Reſpondere debebit; quia gratia, gradibus inferior viribus concupiſcentiæ, dat quidèm poſſe remotum, non proximum; ad quod poſſe proximum requiritur æqualitas in gradibus gratiæ, & concupiſcentiæ. Ex quo juxta prædictam opinandi ſemitam in plura incidit ex illis inconvenientibus, quæ ſupra retulimus, & quæ diſtinctè à nobis omnium oculis expoſita fuerunt à num.19. Et Primò, ut diximus, ſequitur hominem in ſtatu naturæ corruptæ, debilitatæ, attenuatæ per peccatum originale plus efficere, quàm *Adam* in ſtatu innocentiæ fecit, licèt uterque idem haberet auxilium *ſine quo non*. Ille enim exiguâ tentatione victus ſuccubuit: nunc autem plurimi, gravioribus tentationibus pulſati licèt, minore tamen gratiâ donati perſeverant. Nec hoc abnuit *Tournelli* dicens: *Voluntas cum minima gratia contra concupiſcentiam magnam ſe habet tamquàm ſtrenuus Dux, qui cum paucis militibus numero longe ſuperiorem exercitum vincit*. Quarè incidit in magnum illud inconveniens, quod ut evitaret P. *Aſſermet*, alter æquilibrii novi defenſor, dixit tract. de gratia pag. 88. *Gratia ſufficiens hominem in locum, unde exciderat reſtituit*.

34. Rursùs ſequeretur, quòd homo non deberet orare, ne incidat in peccatum. Nam ſi tentatur, habet in manu ſua gratiam quâ poteſt quamcumquè ſuperare tentationem, abſque ulteriori auxilio. Etenim

juxta

juxta *Tournellium* voluntas minimâ gratiâ inſtructa *poteſt reſiſtere concupiſcentiæ magnæ*; & gratia illa uberior, & ſpecialior ſolùm eſt, ut ait *Caducifer* pag. 558. num. 145. ad aggredienda ardua, & glorioſa. Orabit ergo ille, qui aggreditur opera ardua, & glorioſa: minimè verò illi, qui ordinariis volunt eſſe contenti. Imò etiam illi, qui voluerint aggredi ardua, & glorioſa, non indigent oratione; ſiquidem juxta adverſarios, decretum applicativum omnipotentiæ taliter debet intelligi, quòd Deus velit concurrere ad omne opus, ad quod ſe creatura determinaverit; idque tali concurſu, qui ſit futurus efficax, ſi homo ſolùm velit. Aggrediatur ergo homo quidquid voluerit;aderit Dei concurſus, qui per voluntatem fit efficax. Hinc & tentationis victoria ſibi tribuenda erit, non Deo. Nec valet, quòd loco citato reponit *Caducifer*, argumentum in nos retorquens hoc modo: *Similiter ex dictis complanatur etiam & quintum. Quoniàm minima gratia inſtar auri majorem, & uberiorem in ſe delectationem importat, quàm ingens pondus concupiſcentiæ, cujus inſtar auricalchi fallacem ſplendorem ſanus percipit intellectus: aliud enim eſt plùs titillari, aliud eſt plùs æſtimare: propterèaque* ipſe R.Benitez *diſp.* 3 §. 5. *probat minimam gratiam ſufficientem ſufficere, ut voluntas ſit potens ad victoriam tentationis*. Non ſatisfacit, inquam, quia victoriam ſperant Thomiſtæ à Deo mediante gratiâ efficaci, quam, ſe humiliando, pulſando, petendo, quærendo obtinent, ac dicunt cum Apoſtolo: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Apud adverſarios autem victoria habetur à libero arbitrio utente gratiâ congruâ. Hoc ergo eſt, quod diſplicet in præfato auctore. Si gratiam admitteret ſe ipſa efficacem, ſyſtema ejus eſſet omnino gratum; eſſetque non minùs felix, ac facile. Nos enim qui *Auguſtini*, ac *Thomæ* diſcipulatu gloriamur, non qualicumque adjutorio gratiæ admiſſo, contenti ſumus, ſed gratiam, quæ ipſa det ipſum agere. Parum quippè intereſt, quòd gradus gratiæ, & concupiſcentiæ æquales non ſint, ubi tentationis victoria ſolùm eſt à Deo immediatè effectivè per minimam gratiam, & à voluntate immediatè determinativè: ubi gratia minima non determinat conſenſum, ſed potiùs conſenſus, in adverſariorum ſententia determinat gratiam: ubi ante ipſum conſentire, non datur aliquod ex Deo determinans conſentire: unde quòd habeat conſentire, potiùs quàm non conſentire, unicè ſuæ determinationi, ideſt ſibi tribuere poſſet voluntas; & in eodem gloriari contra Apoſtolum dicentem; *Quid habes, quòd non accepiſti? Fratres, qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*: ſed præſtat his omiſſis punctum hoc abſolvere: quarè aliorum inconvenientium accuratiorem diſcuſſionem ſtudioſo, & ingenioſo lectori remitto; cui fortè placebit, ſi *Caduceatori* non placet, argumentatio.

§. III.

Ut voluntas ſit potens ad victoriam tentationis, ſufficit minima Dei gratia.

35 FIrmatur primò, & quidem ineluctabiliter aſſertio noſtra decreto *Innocentii X.* damnantis primam *Janſenii* propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque gratia, qua poſſibilia fiant*; ſed in hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſæpiùs nonniſi minima reperitur gratia, etiam ingraveſcente concupiſcentiâ: ergo gratia minima eſt ſufficiens, ut poſſibilia fiant præcepta. Igitur non eſt viribus impar concupiſcentiæ; nec homini non dicam juſto, ſed nec quidem peccatori maligno impoſſibilis eſt tentationis victoria; aliàs non in peccatorem, ſed in gratiæ inſufficientiam refundenda foret culpa: quod quantùm adverſetur pietati,& fidei Chriſtianæ, jam ſuprà diximus.

36. Novâ aliâ luce clareſcit, & roboratur aſſertum auctoritate Magni Parentis *Auguſtini* lib. de correct. & grat. cap. 7. dicentis: *In eo, quod audierat, & tenuerat; perſeveraret, ſi vellet.* Quibus verbis oſtendit, quòd tentatus, quantumvis exardeſcat concupiſcentia, poteſt in bono perſeverare. Rurſus lib. 3. de liber. arbit. cap. 16. *Ex eo, quod non accepit, nullus reus eſt, debet autem, ſi accepit, & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem.* Agit *Auguſtinus* de homine, qui ceſſit tentationi; eumque dicit reum, quia habebat ſufficientiſſimam facultatem; ſed in homine illo non erat gratia illa uberior: ergo ſufficit gratia ſufficiens, etſi minima, ut in concurſu æqualis, vel majoris delectationis terrenæ poſſit homo reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ. De hoc audiendus inſuper *Auguſtinus* lib. 8. Confeſſion. cap. 12. num. 28. qui gratiæ ſufficientis operationem, concupiſcentiam debellantem, expertus, ſic loquitur: *Jactabam voces miſerabiles. Quandiù? Quandiù? Cras, & cras? Quarè non modò? Quarè non hâc horâ finis turpitudinis meæ!* Hìc *Auguſtinus* alternatas gratiæ viciſſitudines explicat. Non erat ei hærenti inter bonum, & malum uberior gratia ſufficiens; & tamen à gratia relativè ad ſui præſentem diſpoſitionem ſufficiens poſſe converſionis agnoſcit; *Quarè non modò? Quarè non hâc horâ finis turpitudinis meæ*: ergo gratia quantumvis minima hìc, & nunc, vel exæſtuante paſſione, dat poſſe omni tentationi, quamvis gravi, & urgenti reſiſtere.

37. Præcipuum etiam hujus Concluſionis fundamentum deſumitur ex doctrina Angelici Præceptoris 3. p. q. 62. art. 6. dicentis: *Quod effectus gratiæ eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum; quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam.* Quam repetit q. 70. art. 4. dicens: *Sufficere ad reprimendam concupiſcentiam fomitis, & ad implendum mandata legis, quia mini-*

minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri, & argenti. Non S. Doctor recurrit ad æqualitatem virium, ita quòd gradus unus cupiditatis æquetur cum uno gradu gratiæ, ſed minimam gratiam docet ſufficere voluntati, etiam flagrante in ea vehementi tentatione, ut poſſit illi reſiſtere, vitare omne peccatum mortale, & adimplere præcepta. Hæc namque gratia actualis, quantumvis minima, prægustare facit delicias cœleſtes, quæ in immenſum ſuperant terrenam mundi delectationem. Delectatio terrena ſolùm habet pro objecto bonum apparens, & finitum, quod nec capacitatem replet, nec omnem ſatiat appetitum. Cur ergo non erit gratia actualis ſufficiens, ut det poteſtatem ad victoriam tentationis?

38. Hoc veriſſimè dixit S. *Thomas*, firmiterque tenendum, ſi modus conſideretur, quô peccatum fit in anima. Cauſa peccati duplex eſt; amor nempe bonorum temporalium præſentium malè inflammans, & timor præſentium pœnarum malè humilians: ut dixit D. *Thomas* 1. 2. q. 77. art. 4. Et ad *Hebræos* 2. lect. 4. Etenim amor ille per decoras rerum terrenarum ſpecies concupiſcentiam accendit, eiſdemque decipitur, impellitur, & vulneratur homo. At gratia hominem infirmum illuminat, allicit, & terret. Deum oſtendit, viriliter certantibus adversùs delectationem terrenam, victoriæ palmam, æternamque felicitatis gloriam proponentem. Cur ergo minima iſta gratia plùs non poterit, quàm delectatio ſtulta, temporalis, vana, & noxia? Rurſus gratiâ quantumvis minimâ, commutatione admirabili, quæ clauſa erant, fiunt aperta; quæ oneroſa videbantur, fiunt levia; quæ amara, dulcia; quæ obſcura, redduntur lucida; hæc omnia operante uno, atque eodem Dei ſpiritu: cur ergo Deo per illuminationis gratiam oculis mentis ſe objiciente, non erit voluntas potens concupiſcentiæ, quantumvis exardeſcat, reſiſtere? Abſit, quòd tam parùm dignè de gratiâ Dei ſentiamus. *Non patitur æquitatis ratio*, inquit S. *Bernardus* Epiſt. 90. ad *Innocentium* Papam, *ut ex æquo contendant; ſed vincat neceſſe eſt ſpiritus carnem, & ſit efficacior cauſa, cujus potior eſt natura.* Delectationes carnales cœleſtibus nullâ ex parte conferendas eſſe docuit S. *Auguſtinus* ſerm. 5. de *verbis Apoſtoli*: Sicut enim Deus fortior eſt Satanâ, cujus libidinem, & poteſtatem frænat; ita medicinalis ejus gratia ex parte ſua validior eſt impetu concupiſcentiæ titillantis, ſuggerentis, ſollicitantis, æſtuantis, tentantis, ut poſſit illi reſiſtere. Minima gratia habitualis ſufficit ad meritum vitæ æternæ; lumen gloriæ adeò exiguum, ut minus perfectum eſſe non poſſit, intellectum creatum elevat ad Deum clarè videndum: minima Fides aſſenſum rebus præſtat ob teſtimonium primæ veritatis revelantis; lux, etſi minima, eſt oſtenſiva objecti motivi viſus corporei; cur ergo & minima actualis gratia ſufficiens non erit, ut voluntas ſit potens ad oppoſitam ſuperandam cupiditatem?

39. Nec reponat quis primò, loqui D. *Thomam* de gratiâ habituali,

li, cùm loquatur de gratia vitæ æternæ meritoria. Loquitur ſanè de gratia habituali; at de gratia habituali connotante gratiam actualem, cujus eſt reſiſtere concupiſcentiæ: tum quia hæc eſt per ſe proximè activa, non gratia habitualis, quæ influit mediis potentiis, virtutibus, & auxiliis. Tum quia S. Doctor loquitur de effectu circumciſionis, quæ erat Sacramentum ex opere operantis producens gratiam Sacramenti, habitualem ſcilicet, connotantem gratias actuales. Tum quia licèt gratia ſanctificans det jus ad auxilia neceſſaria, tum ad vitandum malum, tum ad operandum bonum, ultra gratiam habitualem requiritur actualis ad victoriam tentationis, & rectè operandum, ut docet D. *Thomas* 1. 2. q. 109. art. 9. dicens: *Ergo etiam homo jam habens gratiam indiget aliò auxiliò gratiæ ad hoc, quòd rectè vivat .... nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire: niſi virtute motionis divinæ .... Operatio Spiritûs Sancti, quæ nos movet, & protegit, non circumſcribitur per effectum habitualis doni, quod in nobis cauſat, ſed præter hunc effectum nos movet, & protegit ſimul cum Patre, & Filio*. Idem docet *Auguſtinus* lib. de *nat. & grat.* cap. 26. *Mala noſtra*, ait, *non ad hoc ſolùm ſupernus Medicus ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cætero rectè ambulare poſſimus, quod quidem etiam ſani, nonniſi illo adjuvante, poterimus ...., Sanat ergo Deus non ſolùm, ut deleat, quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus*. Quare PP. *Concilii Arauſicani* can. 25. neceſſariam eſſe juſtificatis gratiam actualem, ut non peccent, definierunt ſequentibus verbis. *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ poſt Baptiſmum gratiâ omnes baptizatì, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*. Et tandem quia ſolutio minimè favet *Janſenio*, qui paradoxum dixit, nedum minimam gratiam actualem; ſed & minimam charitatem ſufficere, ut quis ſit potens ad quamcumque tentationem ſuperandam. Ita de *gratia Chriſti* lib. 3. cap. 15. *Eſt enim*, ait, *in Auguſtini principiis paradoxum id, quod ex nonnullis quandoque audiviſſe memini, quòd charitas quamvis minima ſufficiat ad quamcumque tentationem ſuperandam, vel quæcumque præcepta ſine tranſgreſſione ſervanda*. Ergo paradoxum dixit, quod ita apertè docuit D. *Thomas*. En quantum diſtat Angelicus Magiſter ab ejus ſyſtemate in libertate conſtituenda.

40. Nec reponat quis ſecundò, minimam gratiam ſufficere, ſi gradibus oppoſitæ concupiſcentiæ fuerit commenſurata, minimè tamen ſi oppoſita terrena ſuperior ſit; ut pluribus in locis docere *Auguſtinus* videtur; & maximè in expoſit. Epiſt. ad *Galatas* cap. 65. ubi dicit: *Regnant autem iſta bona, ſi tantùm delectent, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati contentionem ruat. Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt: ut verbi gratiâ; occurrit forma ſpecioſæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plùs delectat pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis per gratiam, quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato*

cato ad obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitiâ per charitatem, cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoſcimus: Ergo non tantùm valet minima gratia, ut illâ poſſit homo omnes concupiſcentiæ vires ſuperare; ſed cœleſti huic lumini tot ſuperaddi debent gradus, quot ſunt gradus cupiditatis oppoſitæ, ut ſit potens debellare oppoſitam concupiſcentiam.

41. Verùm hujus obviæ objectionis, obvia cunctis erit ſolutio, ſi conſideretur, quòd etſi minimâ gratiâ actuali conſtituatur homo abſolutè potens ad victoriam tentationis, non tamen proximè, & expeditè. Eſt abſolutè potens, cùm & ad illum dirigantur verba illa *Apoſtoli* ad *Epheſios* 2. *In omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Et 1. *Petri* 5. *Cui reſiſtite fortes in Fide.* Et *Jacobi* 5. *Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* Quam abſolutam poteſtatem ſupponit Concilium *Tridentinum* ſeſs. 6. cap. 11. dum dicit: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: quibus ſupponit poteſtatem ad orandum; aliàs ſine fructu moneremur, ſi non eſſemus ſufficientes ad orandum. *In hoc namque agone*, inquit S. *Auguſtinus* lib. 6. contra *Julianum* cap. 12. *magis nos Deus voluit orationibus certare, quàm viribus; quia & ipſas vires, quantas hìc nos habere competit, ipſe ſubminiſtrat certantibus, quem rogamus.*

42. Hæc eſt mirabilis illa orationis utilitas, quam toties commendat *Auguſtinus* libro de *Perfect. Juſtitiæ* cap. 1. dicens: *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.* Et cap. 3. *Ut cùm ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat.* Præclarè rurſus ſuper *Pſal.* 106. *Conatur, & non poteſt, ligatum ſe ſentit, exclamat ad Dominum.* De *natura* & *gratia* cap. 15. *Itaque præcepto facere commonemur, quòd conantes, & noſtris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.* Et cap. 69. *Eô quippè ipsô, quô firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficillimis quid petamus.* Etiam docet id ipſum lib. 3. de *libero arbitrio*, dicens: *Quod ergo ignorat, quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt quod nondum accepit; ſed hoc quoque accipiet, ſi eô, quod accepit, benè uſa fuerit. Accepit autem, ut piè, & diligenter quærat, ſi volet.* Et lib. 1. *Retractationum* cap. 15. *Ipſis ergo jacentibus, in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, & quærendi, & conandi non abſtulit* (Deus) *daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus.* En quàm apertè *Auguſtinus* docet, ex largitate immenſa Dei ipſum ſaltem orationis affectum nobis divinitus attribui, ut voluntas ſub dominantis cupiditatis jugo preſſa oret: paratumque eſſe ex parte Dei lumen majus, paratum quoque ad difficiliora uberius auxilium, quod orando, accipiet. Admonitum eſt ergo præcepto liberum arbitrium, ut quæratur Dei donum, quô erit proximè & expeditè potens ad victoriam tentationis. Hæc namque poteſtas proxima, & immediata ad orationem, eſt mediata ad victoriam tentationis; cùm

per

per orationem impetremus auxilium, quô victoria reddatur proximè, & expeditè poſſibilis. Quarè ad argumentum diſt. ant. minima gratia non ſufficit, ut ſit potens abſolutè, & mediatè, nego antecedens, proximè & immediatè, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

43. Ita ſanè eſt, quòd homo minimâ gratiâ poſſibilitatis præventus non eſt proximè, & expeditè potens ad ſuſcipiendum bellum, & acriter ſe gerendum, ne tentatio ad damnabile peccatum ipſum perducat. Potens eſt tamen abſolutè ad victoriam tentationis; licèt adhuc cum gratia iſta minima preſſum ſe ſentiat difficultate vitiorum. Conatur exclamans ad Dominum: utrumque expoſcit à Deo, & novum poſſibilitatis, & efficax adjutorium actionis. Illud, quô ſit proximè, & expeditè potens; hoc, ut poſſibilitas ſit cum actu conjuncta. Gratia quippe Chriſti diverſas arbitrio vires tribuit, parvas, majores, & maximas. Hujus doctrinæ fundamentum poſuit D. *Auguſtinus* lib. de *Sancta Virginitate*. Proponit ſibi verba *Apoſtoli* 1. ad *Corint.* 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non vos permittit tentari ſupra id, quod poteſtis.* Et cap. 47. ſequentia ſtatuit. *Fortaſſis ergo illi, vel illæ conjugalis vitæ retinentes in ſuo genere laudabilem modum, jam poſſint contra inimicum ad iniquitatem cogentem, etiam laniatu viſcerum, & effuſione ſanguinis dimicare; illi autem, vel illæ à pueritiâ continentes, ſeque caſtrantes propter Regnum cœlorum, nondum tamen valeant talia, vel pro juſtitia, vel pro ipsa pudicitia ſuſtinere: aliud eſt enim pro veritate, ac propoſito ſancto non conſentire ſuadenti, atque blandienti, aliud etiam non cedere torquenti, atque ferienti.* En ubi agit S. Doctor, non de actu, ſed de poteſtate ſubeundi martyrium; duplexque diſtinguit poſſe, quod ex gratia eſt in illo, qui nondum agit, quorum unum majus eſt altero: ut clariſſimè exprimunt ſequentia verba: *Ut ergo quiſque non infletur, ex eo quòd ſe pervidet poſſe, humiliter cogitet, quòd ignorat aliquid præſtantius ſe fortaſſe non poſſe; aliquos autem, qui illud, quô ſibi glorioſè notus eſt, nec habent, nec profitentur, hoc quod ipſe non poteſt, poſſe.*

44 Id præclarè rurſus diſtinguit S. *Auguſtinus* in antitheſi, quam facit inter parvas vires, ſeu parvum poſſe D. *Petri*, & magnum S. *Joannis Baptiſtæ*, qui ſi tentatus fuiſſet, non negaſſet. Sic namque ſcribit in Pſal. 140. in fine: *Si fieret impetus propter Chriſtum in Joannem, non negaret. Erant quippe in illo vires magnæ, quibus appellatus eſt amicus Sponſi: magna in illo gratia, magna excellentia, inter natos Mulierum nemo ſurrexit major Joanne Baptiſta. Ergo in illum impetus factus eſt, qui non habebat tales vires. Fit impetus in Petrum; non fit in Joannem. Etenim vires ipſas Petrus poſt accepit, tunc autem infirmus erat.* Hic juxta vires diſtinguit poſſe. Parvæ vires dant poſſe remotum. Vires fortiores largiuntur poſſe proximum. Proximè, & expeditè potens ad habendam victoriam tentationis erat *Joannes* fortioribus viribus inſtructus; non tamen *Petrus*, qui parvas vires, ſed tamen vires habens, exponendus tentationi maximæ, non rogavit majores, ex quo in Paſſione ſuccubuit; poſteà verò *Petrus* habuit

buit vires efficaciſſimas, illas nempe, de quibus dixit *Auguſtinus* de *gratia & libero arbitrio* cap. 16. *Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis*. Conſtat ergo, quòd per gratiam poſſibilitatis adjuvatur, & docetur homo orationem fundere, ut accipiat efficacem: dum verò ſentit, ſe non plenè poſſe, diſcit, cujus auxilium fortius debeat implorare; illius ſcilicet, qui impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.

45. Verùm hìc ſurgit difficultas extricanda nunc, quam nobis objicit Caducifer part. 2. punct. 6. num. 106. dicens: *Infertur 2. per modum abſurdi, quòd attentâ quidditate, & ipsâ naturâ gratiæ Thomiſticè ſufficientis, & attentâ naturâ illius gratiæ parvæ, quam tradit Janſenius, quodammodò datur locus Janſeniſtis, ut dicant, quòd cum majori proprietate poſſet dici ſufficiens ad actum talis gratia parva, quàm gratia Thomiſticè ſufficiens. Ratio eſt, quia Thomiſticè ſufficiens ex ſuis intrinſecis prædicatis habet, quòd ſe ſolâ nullatenùs poſſit ponere effectum; illa verò in ſe ipſa gradatim creſcens uſque ad exceſſum concupiſcentiæ, illum poneret: unde videtur debere dici de gratia parva, quòd eſt inſufficiens ſolùm per accidens, & Thomiſticè ſufficiens, eſt inſufficiens per ſe, eo quòd ex natura ſua ferat ſe ſolâ actum non poni. Quod licèt ſolvi poſſit, ſatiùs præciditur*. Verùm argumentum hoc minimè urget eos, qui ſyſtema Thomiſticum, & *Janſenii* paulò profundiùs, quàm multi ſoleant, inſpiciunt. Etenim in ſyſtemate Janſeniano Deus non communicat gratias illas parvas reprobis, ex ſincera intentione perficiendi in ipſis boni, quodammodò iſtis parvis gratiis inchoati; nàm illa ſincera intentio oriri deberet ex ſincera voluntate antecedenti ſalvandi omnes homines, quàm *Janſenius* ignorat, imò poſitivè rejicit. Dantur ergo à Deo, ſi *Janſenio* credimus, ut illis reprobi mereantur quædam bona temporalia. Apud Thomiſtas verò admittentes, & propugnantes poſt Angelicum ſuum Præceptorem voluntatem ſinceram antecedentem ſalvandi omnes homines, procedunt gratiæ ſufficientes, etiam reprobis communicatæ, ex ſincera intentione perficiendi in nobis boni, per gratias ſufficientes inchoati: undè cùm homo per gratiam ſufficientem conſtituatur plenè, & perfectè potens ad actum ponendum, quatenùs ſupponitur Deus velle eum ulteriùs adjuvare, & conferre omnia illa, quæ ad actum operandum, & agendum ſunt neceſſariò requiſita, ſi homo non deſit gratiæ, neque ei reſiſtat; hinc ſequitur manifeſtè gratias illas parvas *Janſenii* nullatenùs conſtituere hominem verè potentem ad actum perfectum ponendum; quod tamen faciunt gratiæ ſufficientes Thomiſticæ. Quod ut meliùs intelligatur, notandum, quòd gratia parva, & magna, in principiis *Janſenii*, ſolùm differant, ſicut parvus, & magnus calor, ideſt, non ſpecie, ſed ſolâ graduum intenſione. Hinc ſicut parvus calor, parvum item producit calorem, poteſt tamen producere majorem calorem, ſi au-

augeatur: ita, juxta *Janſenium*, ejuſque defenſores, parva gratia actu producit parvas quaſdam, & imperfectas operationes; poſſet tamen majores, aut perfectiores operationes producere, ſi gratia illa parva, unô, aut alterô gradu creſceret, & augeretur. Sed numquàm creſcet, aut creſcere poteſt, quia ſupponunt Janſeniſtæ Deum, à quo illud augmentum provenire deberet, certum modum, aut gradum præfixiſſe gratiæ, quam reprobis largitur, ultra quem non vult eam augere; etſi homo gratiæ illi parvæ non reſiſtat. At nè hæc gratis affingere *Janſenio* videamur, ſufficiet producere unam illius ſententiam, quam ſœpiùs tamen repetit. Sic loquìtur lib. 3. de grat. ſalvat. cap. 2. *Hinc ulteriùs docet Auguſtinus* (ſic perperam exiſtimabat *Janſenius*) *nullam Chriſti gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur*, (utique à Deo) *ullâ voluntatis pervicaciâ fruſtrari*. Ergo parva gratia, ut ut poſſit ex natura ſua augeri, ſicquè habere nobiliorem effectum; habitô tamen reſpectu ad Deum dantem gratiam, numquam augebitur, nec ulteriorem effectum habebit, immò nec habere poterit, nec eſt ad illum ſufficiens: nàm *omnis ſufficientia noſtra*, & gratiæ, *ex Deo eſt*, ut inquit *Apoſtolus* 1. ad Corinth. 3. v. 1. Vult enim *Janſenius*, quòd gratia quæcumque omnem ſemper effectum habeat, quem Deus eam vult habere: ergo non vult Deus eam habere ulteriorem effectum, quàm de facto habeat; adeòque ad illum non eſt verè ſufficiens. Et, quod duriſſimum eſt, licèt homo non deſit gratiæ, ſed ei obediat; cùm nulla *Chriſti* gratia *Janſenio*, effectu, ad quem à Deo datur, fruſtretur; tamen Deus non vult ei ulteriorem gratiam dare, ſive parvam augere; ſicque, agat homo, quod voluerit, nihil ultra id, quod actu facit, habito reſpectu ad Deum, facere verè poteſt.

46. Hinc eſt, quòd, tametſi aliqui *Janſenii* defenſores admittant gratiam non omnem ſemper effectum habere, quem habere poteſt; ſcilicèt ex *natura ſua*; nullus tamen reperibilis ſit, qui dicat, quòd gratia non ſemper habeat omnem illum effectum, ad quem à *Deo* datur. Atque in hoc conſiſtit palmaris differentia Thomiſtas inter, & Janſeniſtas. Nàm Thomiſtæ, ut taceam non ſolâ graduali intentione gratiam parvam, ſeu ſufficientem ab efficaci diſtingui; gratias ſufficientes à Deo dari ſtatuunt; eâ ſincerâ voluntate, ut ſi homo gratiæ non deſit, etiam efficacem, immò ſalutem ſit ei largiturus. Undè gratiæ Thomiſticæ ſufficientes, nedùm ex natura ſua, ut omne imperfectum ad ſuam perfectionem, ſed ex voluntate Dei ad efficacem ordinantur; ſicque ſunt undequaquè verè, non fictè, & verbotenus ſufficientes. Hæ autem, ut ex illa parte diſtinguuntur à gratiis parvis Janſenii; ita ex alia parte, quatenùs requirunt ulteriùs auxilium efficax ad prorumpendum in operationem, differunt à gratia ſufficienti Moliniſticè; quæ ſic conſtituit voluntatem potentem, ut non plus requiratur de facto ad operandum ex parte Dei in ſtatu naturæ corruptæ, quàm in ſtatu innocentiæ, ſed voluntas poſſit pro ſolo ſuo nutu, & libito, non ſolùm ab actu abſtinere (quod etiam Thomiſtæ fatentur) ſed etiam actum ponere, Deo ſolùm concurrente, dùm voluntas dignata fuerit ſe applicare ad actum: & ope-

& operationem. Et mirum profectò, quòd cùm Adam in ſtatu innocentiæ, ſanus, vegetus, robuſtus cum auxilio gratiæ illius ſufficientis non perſeveraverit; tamen filii ejus, in ſtatu naturæ corruptæ, infirmi ſcilicet, debiles, ſaucii cum eadem poſſibilitatis gratia nedùm poſſint perſeverare, ſed etiam actù perſeverent; nullo eis potentioris gratiæ dono ſuperaddito! Hoc ſanè quam longiſſimè diſtat ab errore *Janſenii*: ut proinde poſſit Caducifer, per me, gloriari, ut facit loco citato, quòd *ſufficientia illa, quam Jeſuitæ explicant*, quam gratis tribuit Illuſtriſ. Maldero, de quo alibi, ſit *ex ore Adverſariorum hæreticorum germanitùs Anti-Janſeniana*. Sed parva eſt hæc conſolatio; nàm iidem, de quorum ſuffragio ibi gloriàtur Caducifer, apertè clamant, ſufficientiam illam eſſe germanitùs Pelagianam; imò in eo probando totus fuìt *Janſenius*, ut quid ergo eum in Schenam adducit? Amplior eſſet gloriandi cauſa, ſi verum foret, ut dictitat Caducifer ibidem, quòd ſufficientia illa Moliniſtica ſit *ex ore Conciliorum planè dogmatica*; voluit dicere, quòd ſit hucuſquè permiſſa doceri, prohibitumque etiam noviſſimè à fœl. reg. *Clemente XII.* anno 1733. ne quis eam cenſuret; *Donec* de eiſdem controverſiis Sancta Sedes aliquid definiendum, ac pronuntiandum cenſuerit. Ecce qualiter *illa ſit ex ore Scholaſticorum*, inquit ille, *perſpicua intellectu, neque per gyros, & anfractus, inſolitoſque tramites, quaſi retibus, & rudentibus trahenda, poſtremòque de ſe communiori fratrum ſuorum multùm amica*. Proficiat Caducifero de tali confraternitate; quæ nobis invidia digna non eſt.

47. Aliundè quoque diſtat minima iſta gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico à gratia parva in ſenſu *Janſenii*; ſive ſermo ſit de gratia minima ſufficiente, ſive de gratia minima ſe ipsâ efficaci. Minima quidem gratia ſe ipsâ efficax, ſecundùm Thomiſtas, non commenſuratur delectationi terrenæ, & ſemper ſenſibili, cui opponitur. Cujuslibet concupiſcentiæ; quantùmvis intenſæ domina eſt. Dat etiam gratia parva ſufficiens Thomiſtarum conſtitutiva libertatis, ſufficientiſſimam poteſtatem ad non peccandum, etiam dùm ſtimulat exuberans concupiſcentia carnis; quamvis delectatio terrena ſuperior ſit gradu. At e contrà, ſecundùm *Janſenium*, ſi delectatio Cœleſtis par eſt in gradu cum delectatione terrena, anceps inter bonum, & malum manet homo, inter utrumque hæret tunc animus, & ſi alterutra ad gradum ſuperiorem aſcendit, vincitur altera: in quo exitioſam in actus humanos inducit neceſſitatem: *vigente enim delectatione carnali*, inquit ille lib. 4. de grat. Chriſti, *impoſſibile eſt, ut virtutis, ac honeſtatis conſideratio prævaleat*.

48. Deſinat ergo quis jam ultrò provocare Thomiſtas, cum *P. Daniele* Epiſt. 8. ſequentia ſcribente. *Sed*, inquit, *cùm aſſertiones veſtras* (id eſt Thomiſtarum) *probavit Eccleſia, iſtas conſequutiones* (id eſt Janſenii) *è veſtris non fluere principiis: nequaquàm pronuntiavit. Hæc diſtinctio ſummi ad rem noſtram eſt momenti, & ab omnibus annotanda diligenter eſt. Immò id à vobis* (Thomiſtis) *expectat Eccleſia, & depoſcit, ut ejuſmodi conſequutiones è veſtris non effluere principiis oſtendatis. Hoc vobis onus hodiè præſertim incumbit, ut ex animis ho-*

minum offenſionem , & ſcrupulum , qui crebreſcit indies , eximatis . Ibique multa alia his ſimilia thraſonico tono detonat. Videor mihi videre virum hunc , dùm hæc ſcriberet , ſupercilio erecto , oculis terrorem , & minas circumferentibus , arenam calcantem , ac provocantem quemvis è caſtris Thomiſticis. Sed mittamus ei in occurſum juvenem quemdam Dialecticum , electo lapillo , ac fundâ inſtructum , qui Giganteam ſuæ argumentationis molem comminuat , ei ſic reponens. Ex vero nonniſi verum ; ſed ſi , ut concedis , aſſertiones , ſeu poſitiones Thomiſtarum probavit Eccleſia : ergo ex illis non conſequens hæreticum , ſed verum deduci valet : nam *ex vero per legitimam conſequentiam* , juxta dialecticos , *non ſequitur niſi verum* . Sic unico lapillo è torrente Dialectico electo proſternitur Gigantea argumentatio ; ut etiam hìc applicari poſſit illud Virgilii lib. 4. Georg.

Hi motus animi , atque hæc certamina tanta ,
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt .

Parcat ille, quieturi fuiſſemus, niſi eſſemus laceſſiti . Quarè ad argumenta alia pergamus.

§. I V .

Solvuntur argumenta .

49. INſigne ac præcipuum argumentum , quo memorati æquilibrii inventores innituntur , deſumitur ex *Apoſtolo* 1. ad Cor. cap. 10. v. 13. dicente ; *Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Fidelis autem Deus , qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis , ſed faciet cum tentatione proventum , ut poſſitis ſuſtinere .* Quod explicans Divus Thomas ad illa verba *fidelis Deus* ſic habet : *Quaſi diceret : ad hoc hortor , & moneo , quod poteſtis. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis , qui non patietur vos tentari ſupra id , quod poteſtis ; quod utique poſſet Diabolus , ſi permitteretur , quia non eſt poteſtas ſuper terram , quæ ei comparetur :* quaſi diceret Apoſtolus , quòd nulla eſt tentatio , ad quam vincendam non ſit actu æqualis poteſtas in homine: ſi namque deficeret hujuſmodi poteſtas , Deus non eſſet fidelis in omnibus verbis ſuis , cùm tentaretur homo ſupra id , quod poteſt: Sed ſi non datur æqualitas virium , deficit actualis æqualis poteſtas : ergo ad libertatem requiritur æquilibrium virium . Secundò , quia D. Thomas contraponit modum , quô Deus permittit hominem tentari cum modo illo , quô poteſt Diabolus , ſi permitteretur ; ſed ſi permitteretur , Diabolus tentaret ſupra id , quod poſſumus , *quia non eſt poteſtas ſuper terram , quæ ei comparetur* : ergo nulla eſt tentatio ad quam vincendam non ſit actualis æqualis virium poteſtas in homine .

50. Hìc ſanè quàm mendaces ſint filii hominum in ſtateris ſuis , vel ex hujuſmodi intelligentia cognoſci poteſt : dum enim æquilibrium propugnant , minùs æquabilem libram tenent adverſarii ; cùm teſtimonium hoc , ſi in veritate , prout expedit , intelligatur , ut ipſum intelligunt Theo-

Theologi cum SS. PP., non in altera lancis parte ponat vires, quæ actu ſint proportionatæ violentiæ tentationis; ſed vires, quæ aderunt nobis ad Deum confugientibus, per Gratiam à Deo paratam, & oblatam. Ex quo aſſerit Apoſtolus: *Deus non patietur, nos tentari ſupra id, quod poſſumus*, quia omnia in Domino poſſumus per gratiam, ſi humiliter oremus: quare licèt aliquando tentatio ſuperet poteſtatem actualem, ſemper tamen eſt paratum auxilium Dei, & ejus gratia. In quo ſenſu intelligendum eſt, quod additur, ſcilicèt, *faciet cum tentatione proventum*; hoc eſt, niſi per nos ſteterit, & voluntariè, & liberè tentationi ſuccumbamus, non poſtulando ab ipſo, ut oportet, gratiam, ut vincamus. Sic Apoſtoli verba exponit Emin. Card. *Cajetanus*: *Dixit Apoſtolus, ut poſſitis ſufferre, & non dixit, ut ſufferatis; ſat enim eſt fidelitati Divinæ, ut tribuat poſſe ſufferre, & ipſum ſufferre alterius eſt gratiæ, quæ electis confertur, & non eſt omnibus communis*: qui ſanè eſt genuinus Apoſtoli ſenſus, dicente *D. Thoma* ibi; Lect. 1. *Non videretur fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii ſui, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad Deum poſſemus. Unde Joſue 1. dicit: non te deſeram, neque derelinquam.* Neminem quippe ſpernit, nulli ſe ſubtrahit. Si ultra humanas vires Dei ſapientia tentari permittit; ſi & internis exagitari tentationum impulſibus miſericorditer annuit; nemo expers eſt gratiæ ejus, ut ex tentationibus profectum virtutum reportet bravium, & ex acerrima pugnâ glorioſior evadat.

51. Sic & textum iſtum explicat D. *Chryſoſtomus* tom. 4. homil. 24. ſequentibus verbis: *Sunt ergo tentationes, quæ ferri non poſſunt. Et quæ ſunt hæ? Omnes, ut ſemel dicam. Poſſe enim ferri ſitum eſt in Dei nutu, ſi per noſtram mentem eum attraxerimus. Quamobrèm, ut dicas, & videas, quòd non ſolùm illas, quæ noſtram ſuperant poteſtatem, ſed neque humanas licet facilè ferre abſque Divino auxilio, ſubjunxit; ſed etiam faciet cum tentatione proventum.* En ubi *Chryſoſtomus* ad omnem tentationem eſſe neceſſarium adjutorium, & auxilium Dei affirmat. Ad omnem dicit: omnis namque, quantumcumque levis, tentatio comprehenditur in eo, quod dicimus: *Et nè nos inducas in tentationem*: ſicut enim peccata levia verè, & propriè ſunt peccata, ita omnis motus ad peccandum etiam leviſſimus, vera tentatio eſt; contradiſtinguit tamen tentationes graves, quæ noſtram ſuperant poteſtatem ab aliis levibus, ſcilicèt humanis, quæ licèt non ſuperent noſtram poteſtatem; ſicut aliæ, non poſſunt facilè ſuſtineri: vel quia loquitur de pluribus tentationibus continuatè vincendis, vel quia ſi loquitur de ſingulis, & ſi in nobis ſit expedita potentia ad victoriam, dependet tamen victoria ex nutu Dei. Poteſt namque dari expedita potentia, & ſufficientia ad actum, & adhùc eſſe difficilis; non quia difficultas ſit in actu primo, in ſufficientia, aut potentia, ſed quia ejus reductio ad actum ſecundum ab alio dependet, nempè ab adjutorio Dei. Nobis ergo adjutorium neceſſarium eſt ad cujuslibet tentationis victoriam ex nutu Dei dependentem. Ad tentationem humanam, id eſt levem, medio-

diocrem ordinarium gratiæ auxilium : ſpeciale tamen auxilium requiritur ad illas, quæ noſtram ſuperant poteſtatem, ut in nobis ſit vera poteſtas, cui debita ſit victoria tentationis. *Chryſoſtomum* ſequuti ſunt *Theophilactus*, & *Oecumenius* in ejuſdem loci Comment. *Fidelis Deus, qui non ſinet, vos tentari. Non ſinet*, inquit *Theophilactus*, *vos tentari ultra vires veſtras, ſed tentationem viribus veſtris tolerabilem adoriri vos faciet. Immo quævis tentatio vires noſtras exuperat, niſi ille auxilietur nobis, & felicem eventum præbeat*. Et *Oecumenius* : *Quævis tentatio vos everteret, niſi Chriſtus auxiliaretur* : in qua ſententia ſint ſatis oſtendunt ; quòd ſi nobis graviores tentationes immineant, nè fracto & demiſſo animo ſimus, infirmitatis noſtræ conſcii. Fidelis Deus qui ſe promiſit in tribulationibus adjutorium ; *faciet cum tentatione proventum* : id eſt : tribuet è tentatione *evadendi facultatem*, ut explicat D. *Cyprianus* lib. 3. teſtim. cap. 91. Ultrà enim auxilium ſufficiens quô Deus infirmitatem noſtram munit, & quô nobis evadendi & vincendi data eſt perfecta & completa poteſtas ; *neque enim*, ut inquit *S. Auguſt.* in Pſalm. 56. *imperaret Deus ut hoc faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut hoc ab homine fieret* ; ultra adeſt ille miſericordiſſimus Salvator, de cujus miſericordia & poteſtate ſecuri eſſe debemus, qui ad victoriam præbebit auxilium, cujus fides in promiſſis fundamentum eſſe debet Spei noſtræ.

52. Hujus Catholicæ doctrinæ, quam Apoſtolica nos docet authoritas, explicationi fundamentum præcipuum poſuernnt SS. PP. aſſerentes ad victoriam gravis tentationis Deum ajutorem, & protectorem orandum, ut humanos poſſimus vincere errores. Sic *Auguſtinus* lib. de *Sancta Virginitate* cap. 52., ait : *De viribus noſtris expertis cavetè, nè quia ferre aliquid potuiſtis, inflemini : de inexpertis autem orate, nè ſupra, quam poteſtis ferre, tentemini*. Et Tract. *de Urbis excidio* cap. ultimo : *Planè oremus & gemiſcamus ad Dominum, ut ſervetur erga nos quod Apoſtolus dicit : Fidelis Deus qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Et lib. de *Grat. & lib. arbitrio* : *Oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata ; ſic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur*. Quare intonat idem S. Doctor in Pſalm. 89. *Sine Dei ajutorio per liberum arbitrium tentationes hujus vitæ ſuperare non poſſumus*. Et in Pſalm. 106. *Deo deſiſtente ab adjutorio, laborare potes ; vincere non potes*. Serm. 9. de diverſ. *Sine dubio vinceris, ſi illum adjutorem non habueris, ſi te deſeruit, ideò petis in oratione : Ne nos inferas in tentationem*. Et lib. de Grat. Chriſti cap. 27. agens contra Pelagium : *Quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat ? Volentes utique credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritus Sancti, & ſi minùs facilè, tamen aliquo modo, nequam ſpiritui reſiſtatur*, *D. Proſper* lib. contra Collatorem cap. 35. *Quiſquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo ſe non dubitet adjuvari, ad quem quotidiè corda univerſorum fidelium clamant : Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo*. *D. Gregorius* in Expoſit. Pſalm. 3. ad verſ. *Ne derelinquas*

me

me Domine Deus meus. *Illos*, inquit, *proculdubio Dominus relinquit, quibus conſtantiam in tribulatione non tribuit*. *Neceſſariò enim ſequitur, ut omni tentationi ſit ſubditus quicumque à Deo fuerit derelictus*. Si ergo juxta SS. PP. tentationi eſt ſubditus quicumque à Deo eſt derelictus: ſi reduci in pulverem dicitur juxta eumdem *Gregorium* lib. 9. Moral. cap. 7. qui dimiſſus ſibi cujuslibet tentationis aura raptatur; ſi adjutorium debet ſperare anima, quæ verè, & ſalubritèr de inſidiis, & tentationibus malignorum ſpirituum eripi deſiderat; ſi, nè ſuperetur in tentatione, eſt ſpeciale donum Dei, pro quo orare tenemur, ubi eſt illa actualis æquilibrii ſtabilitas ad conſtitutivum libertatis requiſita, quæ in nobis deficere non poteſt? Ubi ſunt vires proportionatæ violentiæ tentationis, quas actu nos habere aſſerunt adverſarii? *Nonne Fidelis erit Deus*, & non patietur, nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſi aut vires voluntati dederit, aut petenti conceſſerit? Fidelem agnovit Deum Propheta, dum Pſalm. 17. dixit: *Quoniam in te eripiar à tentatione*. Et 26. *Adjutor meus eſto ne derelinquas me*. Et 30. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum: avertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus*. Et 117. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam*. Et ibi: *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me*. Fidelem agnovit Deum *Apoſtolus*, dum dixit: ad Rom. ultimo: *Deus conterat Satanam ſub pedibus veſtris*. Et. 1. Cor. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Et 2. ad Cor. 2. *Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu*. Et 2. ad Timoth. 4. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo*. Non enim tentatur homo ſupra id, quod poteſt, cum omnia debeat poſſe in eo, qui illum confortat. Undè verè poteſt, ſi potentiam habeat faciendi, quæ poteſt, & petendi, quæ non poteſt.

53. *Fidelis Deus*, iterùm dico, omnibus petentibus, quia nullus de infirmitate, ignorantia, & natura excuſationem accipiet; nec conqueri poteſt, quia tentatur, cum nulli niſi ignavo, & reſiſtere nolenti tentatio noceat, ut inquit *Hieronym.* lib. 2. contra Pelagianos citatis Domini verbis: *Surgite, vigilate, & orate, nè intretis in tentationem*; ſubjungit: *Debuiſſet dicere juxta vos, ſurgite, & reſiſtite, liberum enim habetis arbitrium, & ſemel vobis conceſſa à Domino poteſtate, nullius alterius indigetis auxilio*. Idem & nos AA. æquilibrii dicere poſſemus, vel potiùs contra ipſos cum *Auguſtino* de prædeſt. Sanctor. cap. 11. num. 21. *Cum Apoſtolus dicat, ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio; miror homines infirmitati ſuæ ſe male committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquit, de meipſo voluntas Dei. Quid ergo, tuane tibi voluntas de te ipſo certa eſt, nec times? Qui videtur ſtare, videat ne cadat? Cum igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori, quàm infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit?* Et in Pſalm. 91. *Spes noſtra incommutabilis ſit, & figatur in illo, & non mutet, & fluctuet; non agitetur, ſicut ipſe Deus, in quo figitur, non poteſt agitari.... Spes no-*

noſtra tam certa eſt, quàm ſi jam perfecta ſit, neque enim timemus promittente veritate. Et tandem quia ut inquit *Auguſtinus* ex Pſalm. 61. *Quoniam qui dat poteſtatem tentatori, ipſe tentato præbet miſericordiam; hoc eſt gratiam.* Fidelis Deus, quia neminem ſpernit, nulli ſe ſubtrahit, nemo eſt expers beneficiorum ejus, omnes diligit, omnium ſalutem paterno vult affectu, & ſi quoſdam ultra humanas vires, & ſupra communem modum Dei ſapientia tentari permittit, ex Divinæ miſerationis æterno fonte, ſemper humilibus præſto eſt gratia, ut faciat cum tentatione proventum. Eſt namque vincendi ſingularis fiducia, cum quis, in tribulationum, vel tentationum certamine poſitus, novit ad quem tutum poſſit habere confugium. Quid ergo felicius hominibus, aut quid magis Dei commendat fidelitatem? Major eſt miſericordia ejus, magiſque nobis prodeſt, ſi petentibus, tentationique imparibus aſſiſtat, quâm ſi cum ſemel vires dederit, uſûm omninò noſtræ imbecillitati relinquat. Nos enim à viribus, quas ſecundùm gratiam habemus, deficere poſſumus; ſed Deus poteſt ulteriùs aſſiſtere, & exoratus abs dubio aſſiſtet, nè deficiamus. Satiùs eſt à Deo petere, quàm de noſtro bono uſu virium confidere. Et ideò Dominus talem fiduciam non docuit; orare docuit: *Et nè nos inducas in tentationem.* Et Matth. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Et ad Rom 8. *Sed in his omnibus ſuperamus per eum, qui dilexit nos.* Non enim pertinet ad fidelitatem Divinam ſpecialiter aſſiſtere, vireſque augere nolentibus, ne cadant. Poteſt quidem facere, non ex fidelitate, ſed ex miſericordia ſua, quæ eſt ſuper omnia opera ejus. Hæc enim eſt lex ſapientiæ: qui cadit, cum eo juſtè, & qui ſtat, cum illo agitur miſericorditèr. Ideò *Apoſtolus* verba illa *Fidelis Deus* dicens, admonet ſimul: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, nè cadat.* Unde dicit *Bernardus* in Pſalm. *Qui habitat* ſerm. 9. num. 13. *Quidquid igitur agendum ſit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum: tu es Domine ſpes mea. Hæc mihi omnium promiſſionum cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis, prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe jactet pondus diei, & æſtus, jejunare bis in Sabbato dicat .... Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino meo ſpem meam.* Et ibidem num. 6. *Quare, quibus meritis? Quia ſperaverunt in eo. Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis ... Speravit, ait Deus, in me, liberabo eum.* Et in eumdem Pſalm. ſerm. 16. num. 1. *Non dicit, dignus fuit, juſtus, & rectus fuit, innocens manibus, & recto corde propterea liberabo, protegam, & exaudiam eum.* Et ſerm. 15. num. 5. *Quoniàm in me ſperavit, liberabo eum. Dulciſſima liberalitas, in ſe ſperantibus non deeſſe. Hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum fecit.* Et ſerm. 3. in feſto Annnnciationis num. 3. *Hæc vera fiducia, cui miſericordia non denegatur: hæc vera hominis fiducia à ſe deficientis, & innitentis Deo ſuo.*

54. Simus ergo in tentatione fideles orando, & fidelis erit Deus auxilium dando. Nos non deſeret, niſi prius deſeratur à nobis. Auxilium

lium nobis nec ſubtrahet, nec negabit, ut piè ſemper, juſteque vivamus, ſi non fracto & remiſſo animo eum in tentatione invocamus; quia nempè fidelis eſt, verax & conſtans in promiſſis ſuis. Totum hoc diſertiſſimè conſtitutum legimus in Concilio Tridentino, dum ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 18. dixit: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Et ib. cap. 11. *ut innoteſcat quod latebat & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Deus enim ita juſtus & miſericors eſt, ut jugum ejus ſit ſuave, & mandatum ejus non ſit ſupra voluntatis vires; quod ſi uberiori indiget gratiâ, monet, ut orando petat; ut intonat S. Doctor de natura & gratia cap. 43. n. 50. Reſponſione iſtâ omnem diluens difficultatem: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Jam nunc videamus unde poſſit, unde non poſſit. Iſte dicit, voluntate non eſt, quod natura poteſt. Ego dico, voluntate quidem non eſt homo juſtus, ſi naturâ poteſt: ſed medicinâ poterit, quod vitio non poteſt*: nimirum gratiâ præveniente, & adjuvante. Gratia ſufficiens quâ proximè poſſumus bonum ſalutis deſignatur illi verbis, *facere quod poſſis*; efficax quæ actum cum potentia conjungit, in iſtis, *Petere, quod non poſſis*: cum non oremus, ut orare poſſimus.

55. Nihilò feliciùs interpretatio *D. Thomæ* pro ſtatuendo æquilibrio ad trutinam vocari poteſt. Loquitur namque *D. Thomas* de potentia morali, quæ adeſt nobis in omni tentatione gravi, non ex nobis, ſed per gratiam à Deo paratam, & oblatam. Unde Deus non permittit, nos tentari ſupra id, quod poſſumus potentiâ morali: Diabolus autem, ſi permitteretur, poſſet tentare ſupra id, quod poſſumus moralitèr, ſi Deus non haberet paratam, & oblatam gratiam, quâ poſſimus reſiſtere: ut egregiè dixit *S. Gregor.* lib. 9. moral. cap. 46. *Pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna tranſeat, & per aſtutiam fortium humana infirmitas excidat. Unde & benè per Paulum dicitur: Fidelis autem Deus. Niſi enim omnipotens Deus cum viribus tentamenta modificaret, nullus profectò eſt, qui malignorum Spirituum inſidias non corruens portet: quia ſi menſuram judex tentationibus non præbet, eo ipſo protinus ſtantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.* Cum enim malitia ipſius, & invidia in hominem tam ſæva ſit, & aliundè ex parte hominis tanta ſit pronitas ad malum, tam effrænis in bona ſenſibilia concupiſcentia, tanta mentis cæcitas, & infirmitas, meritò aſſerit D. *Thomas*, quòd omnes aut vi, aut artibus, & fallaciis ſuæ ſervituti ſubjiceret, niſi Deus potentiſſimâ ſuâ gratiâ ſuccurrerit, nemo Diaboli laqueos evaderet, nemo ſemel ab his irretitus ſe ſe poſſet expedire. Quare adjuvat miſericordia, ut exæſtuantes compeſcat tentationum impetus. Et quamvis fortiſſimum ſit prælium, ſemper adeſt gratia, ut poſſit reſiſtere & non conſentire Diabolo ſuadenti, ut *Auguſtinus* docet Pſalm. 91. *Aſtutiam ſuadendi habet; ſed ſi Satanas loqueretur & taceret Deus, haberes unde te excuſares: modò aures tuæ po-*

ſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem Diabolum. Quarè huc flectuntur, hinc avertuntur? Non ceſſat Satanas ſuadere malum; ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua poteſtate eſt conſentire & non conſentire: ergo ſi tentatus, exardeſcente ſupra modum concupiſcentiâ, poteſt non conſentire, & reſiſtere tentanti Diabolo, datur in illo gratia dans poſſe proximum relativè bonum. Quod iterum firmat S. Doctor in Pſalm. 61. *Qui dat tentatori licentiam, dat tentato miſericordiam*; ut nempe faciat.

56. Conſonat *D. Juſtinianus* explicans illud Apoſtoli teſtimonium Opuſc. de contempt. Mundi cap. 18. *Adverſarii etenim noſtri aſſueti in prælio ſpirituales ſpiritualibus, & carnales carnalibus oppugnant inſidiis. Nullum eximunt, nemini parcunt, nulliuſque pertimeſcunt virtutem. Verùm, ſi minimè veriti ſunt ipſum mundi Salvatorem oppetere, in quo nihil ſuum, eſſe ſciebant, cujuſquam nè ſanctitatem formidare valebunt? Tantæ ſiquidem verſutiæ ſunt, tantâque perſpicacitate naturalis pollent ingenii, ut cunctorum mortalium facillimè ſenſum everterent, ſi non repercuſſi Divinâ labefactarentur virtute. Eos quippè, nè ad libitum noceant, providentia ſuperna refellit, ſicut Apoſtolo perhibente didicimus. Fidelis, inquit, eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Hinc eſt, quod ſævitiam illorum ſentimus, bacchantem furorem novimus, tentationumque perambulamus laqueos, & tamen, cœleſti nos protegente gratiâ, minimè ſuperamur: quoniam ſic juſtè diſpoſuit Deus, ut nonniſi conſentientibus nobis, laqueos pedibus noſtris injicere queant.* Nullo ſanè luculentiori, explicatioreque teſtimonio colligi poteſt mens Apoſtoli, & quòd ad vincendam gravem tentationem, non habet homo in ſtatu corruptionis ſufficientiam omninò expeditam, & moralem, ſed indiget adjutorio, & munere Dei ſanante, & roborante debilitatem, & infirmitatem naturæ.

57. Objicies ſecundò in gratiam Janſenii D. *Auguſtinum* lib. de grat. & liber. arb. cap. 17. num. 33. ſic dicentem: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhùc parvam, & invalidam poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam.* Quibus verbis S. *Doctor* expreſsè affirmat hominem non poſſe quandoquè ſervare mandata; eo nempè quia tunc eſt in illo parva, & invalida voluntas bona: & tamen datur in eo gratia: ergo gratia, quantumvis minima, non dat poſſe ſuperare quamlibet terrenam delectationem.

58. Confirmatur primò ex eodem S. Doctore lib. 8. confeſſ. cap. 8. dicente: *Voluntas nova: quæ mihi eſſe cœperat ut gratis colerem, fruique te vellem Deus, ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandum priorem vetuſtate roboratam, ita duæ voluntates meæ una vetus, alia nova, illa carnalis, illa ſpiritalis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam . . . . cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine demerguntur.* En quomodò in concurſu

ſu magnæ, & graviſſimæ tentationis erat in Auguſtino voluntas nova, ut Deum coleret fruique eo vellet: & tamen hæc gratiæ jucunditas nondum erat idonea ad ſuperandum priorem voluntatem vetuſtate roboratam; ergo minima gratia non ſufficit, nec eſt idonea ad ſuperandam veteris hominis malitiam.

59. Confirmatur ſecundò ex eodem S. Doctore lib. de ſpirit. & lit. cap.25. num.63. his verbis: *Ecce quemadmodùm ſine exemplo eſt in hominibus perfecta juſtitia: & tamen impoſſibilis non eſt; fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei; eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad juſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluntatis, doloriſve impedit, delectatio illa ſuperaret, quod ut ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad judicium Dei pertinet: quis enim neſciat non eſſe in hominis poteſtate, quid ſciat, nec eſſe conſequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantùm delectet, quantùm diligendum eſt.* En quàm apertè aſſerit S. Doctor, quòd in hominibus poſſibilis non eſt perfecta juſtitia, quæ tamen eſſet, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit rei tantæ, & bona Dei tantùm delectarent, quantùm diligenda ſunt; ergo juxta eumdem S. Doctorem exardeſcente ſupra modum concupiſcentiâ carnis, non ſufficit gratia minima, ut poſſit operari bonum: niſi delectatio cœleſtis terrenam ſuperet.

60. Reſpondeo diſtinguendo majorem: cum voluntate parva non poteſt homo quandoquè ſervare mandata potentiâ antecedenti, neg. maj. potentiâ conſequenti, ſive potentiâ conjunctâ cum actu, conc. maj. ſub eadem minoris diſt. neg. conſeq. Duplex diſtinguit ibi S. Doctor poſſe: alterum ſe tenens ex parte actûs primi, quô voluntas eſt proximè potens ad poſitionem actus; aliud conſequens, ſive conjunctum cum actu. Primùm provenit à gratia ſufficiente, & verè datur, quantumvis minima ſit gratia, & propter reſiſtentiam ſuo careat effectu. Alterum eſt poſſe conjunctum cum actu, quod robuſtum nominat S. Doctor, quia nempè primum gratia efficaci ſuum ſemper obtinet effectum. De hoc ſecundo loquitur S. Doctor, dùm ait: *Qui ergo vult facere mandatum & non poteſt . . . . poterit autem, cùm magnam habuerit* (voluntatem bonam) *& robuſtam.* Quibus verbis ſolùm excludit à voluntate, illa adhuc parva, & invalida, poſſe conjunctum cum actu. Hic eſt veriſſimus S. Doctoris ſenſus, ut conſtat ex verbis immediatè ſequentibus: *Quandò enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utiquè voluntate, hoc eſt, magnâ charitate fecerunt: de qua charitate ipſe Dominus ait Joan.*15. *Majorem hâc charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Vnde & Apoſtolus dicit ad Rom.* 13. *Qui enim diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, diliges proximum tuum tanquàm te ipſum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis, dilectio. Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum tèr negavit. Timor*

mor enim non eſt in charitate, ſicut ait Joannes Evangeliſta in Epiſtola ſua; ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino Joan. 13. Animam meam pro te ponam: putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem & cooperando perficit, quod operando incipit? En quàm apertè pronuntiat S. Doctor, quod habens ex Deo voluntatem parvam, ex eodem habet charitatem parvam; quam habuit *Petrus*, quando dicebat Domino, *Animam meam pro te ponam*. Poterat ille, etſi defuerit charitas magna, quæ omnem timorem excludit, quam tamen poſteà habuit quando paſſus eſt pro *Chriſto*: & quam voluntatem robuſtam, ſive gratiam conjunctam cum actu agnoſcit ibi S. Doctor in Martyribus, qui tot tormenta gaudentes pro Chriſto paſſi ſunt. Per effectus ergo diverſos utramque gratiam diſtinguit S. Doctor: & cùm alii ſint debiles, & parvi, ut pia deſideria, ipſumque poſſe, quod provenit à gratia ſufficienti; aliique robuſtiores, ut ſunt actus converſionis, & dilectionis, per eoſdem utramque gratiam ſufficientem & efficacem exponit; nuſquàm tamen negavit verum poſſe proximum ad actus, quos pro fine reſpicit.

61. Eadem ſit ad primam confirmationem reſponſio, diſtinguendo maj. voluntas nova, quæ mihi eſſe cæperat nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam, idoneitate ſe tenente ex parte actûs ſecundi, conc. maj. ex parte actûs primi, neg. maj. ſub eadem diſt. min. nego conſeq. Quis non videat agnoviſſe ibi S. Doctorem gratiam ſufficientem conſtitutivam poteſtatis, dùm dixit: *Voluntas nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut gratis colerem, fruique te vellem Deus?* Si namque converſionem procraſtinabat, dicens, *Craſ.*, *Craſ. Cur non modò?* Ergo potens erat proximè ad illam. Dùm ergo à voluntate illa parva idoneitatem excludit ad ſuperandam priorem voluntatem vetuſtate roboratam, loquitur de actuali converſione; quia nondum erat in illo gratiæ ſe ipsâ efficacis jucunditas, quâ veterem hominem triumphando ſuperaret. Sed hæc ſemper eſt *Janſenii*, & ſuorum in argumentis verſutia, utramque poteſtatem pro libito confundentium, ut fallant ambiguâ ſignificatione vocis *potentiæ*.

62. Non difficiliùs reſpondetur ad 2. confirmationem. Senſus *Auguſtini* apertiſſimus eſt. Redit enim S. Doctor. num. antec. 62. ad quæſtionem *Marcellini*, ut explicet, quod priùs dixerat, fieri poſſe, ut ſit homo ſine peccato, ſi voluntas ejus non deſit, ope adjuvante Divinâ; quàmvis nemo tàm perfectæ juſtitiæ in hac vita, vel ſit, vel futurus ſit. Abſurdum quippè viſum fuit *Marcellino*, ſine exemplo rem eſſe, quæ fieri poteſt. Quarè primò oſtendit *S. Auguſtinus* fieri poſſe aliquid quàmvis deſit exemplum, his verbis: *Hinc exorta eſt hujus libri quæſtio, ac per hoc ad nos pertinebat oſtendere, fieri poſſe aliquid, quamvis deſit exemplum. Hinc ex Evangelio, & ex lege quædam poſuimus in ſermonis hujus exordio, ſicut de Cameli tranſitu per foramen acûs, & de duodecim millibus legionum Angelorum, qui potue-*

potuerunt, ſi vellet, pugnare pro Chriſto, & de illis gentibus, quas Deus dicit potuiſſe ſe à facie populi ſui ſemel exterminare: quæ omnia facta non ſunt. His addi poſſunt etiam illa, quæ leguntur in libro ſapientiæ, quam multa poſſet nova tormenta Deus exercere in impios ad nutum ſibi ſerviente creaturâ, quæ tamèn non exercuit. Poteſt & de monte illo, quem fides in mare transferret: quod tamen nuſquàm factum, vel legimus, vel audivimus. Quiſquis enim horum aliquid Deo dixerit eſſe impoſſibile, vides quàm deſipiat, quàmque adverſus fidem ſcriptura ejus loquatur. Hoc ergo conſtituto, S. Doctor exclamat: *Eccè quemadmodùm ſine exemplo eſt hominibus perfecta juſtitia, & tamen impoſſibilis non eſt.* Pergit poſteà, ut explicet, qualiter perfecta juſtitia, etſi hìc non inveniatur, non tamen impoſſibilis eſt. *Fieret enim*, inquit, *ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad juſtitiàm, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis, dolorisvè impedit, delectatio illa ſuperaret.... Quis enim neſciat, non eſſe in hominis poteſtate, quid ſciat, nec eſſe conſequens, ut quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantum delectet, quantum diligendum eſt?* Quibus oſtendit, quòd homo in hoc ſtatu corruptionis non poteſt habere per totam vitam perfectam illam juſtitiam; cùm non poſſit mediis his ordinariis gratiæ auxiliis omnes, qui inſurgunt, concupiſcentiæ motus ſtatim comprimere, & collectivè omnia ſcire, quæcumque ipſi agenda ſunt, ut expreſsè docet *D. Thomas* 1. 2. q. 109. art. 8. dicens: *Non autem poteſt homo abſtinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus ſenſualitatis; cujus motus ſingulos quidem ratio reprimere poteſt, & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii; non autem omnes: quia dùm uni reſiſtere nititur, fortaſſis alius inſurgit: & etiam quia ratio non ſemper poteſt eſſe pervigil ad hujuſmodi motus vitandos.* Quod iterùm firmat quæſt. 24. de verit. art. 12., ubi ponit pro cauſa impotentiæ, *varias mentis humanæ occupationes, & quietem neceſſariam.* Datur ergo cum ſolis auxiliis ordinariis impotentia nedum conſequens, verùm etiam antecedens ad habendam illam perfectiſſimam juſtitiam; & impotentia non ſolùm moralis, ſed etiam phyſica; eo nempè, qnòd non adeſt poſſe phyſicum phyſicè completum, ubi non adeſt principium phyſicum phyſicè complens vires phyſicas ad habendam perfectam juſtitiam, nempè perpetua vigilia, & advertentia rationis; quæ minimè haberi poſſunt cum ſolis auxiliis ordinariis.

63. Enim verò hìc defectus advertentiæ eſt defectus cognitionis perfectæ circa malitiam, aut bonitatem objecti; & defectus talis cognitionis eſt defectus dominii, & libertatis; cùm dominium voluntatis originem trahat ex cognitione; ſicut defectus dominii eſt defectus poteſtatis. Quarè recurrit S. Doctor ad illam ſpecialiſſimam gratiam, quæ det appetere, *quod appetendum cognitum fuerit, & tantùm delectet, quantùm diligendum eſt*; quæ ſanè eſt ſpecialiſſima gratia. Quòd enim natura infirma, & debilis, numquàm leviter deficiat, opus eſt pro-

proprium hominis perfectè integri, & ſani, ut exprimit S. Doctor, dicens: *Hoc autem ſanitatis eſt animæ*: quod excedit terminos providentiæ generalis intra ordinem gratiæ, quam exercet Deus circa omnes homines; & etiam ſpecialis, quam exercet circa prædeſtinatos. Specialiſſimè ergo providentiæ donum eſt, quod ſi non tribuitur Sanctis in hujus vitæ tentationibus laborantibus, non ad impoſſibilitatem, ſed ad Dei judicium pertinet, ut num. 66. firmat S. Doctor, dicens: *Quandoquidem ſi nunc velit in quoquam etiam hoc corruptibile induere incorruptionem, atque hic inter homines morituros eum jubere vivere minimè moriturum, ut totâ penitus vetuſtate conſumptâ nulla lex in membris ejus repugnet legi mentis, Deumque ubique præſentem ita cognoſcat, ſicut Sancti poſteà cognituri ſunt, quis demens audiat affirmare non poſſe? Sed quare non faciat, quærunt homines: nec qui quærunt, ſe attendunt eſſe homines.*

64. Sed quorsum hæc omnia? Quid ex his argumentum concludit? Nùm ex quo homini pro hoc corruptionis ſtatu impoſſibilis eſt perfectiſſima juſtitia, niſi voluntas ſic adjuvetur humana, quòd delectatio ſuperet, quidquid aliud voluptatis, & doloris impedit, conſequens eſt, quòd quælibet delectatio cœleſtis, eoquòd gradu ſuperior ſit, neceſſitet voluntatem ad poſitionem actùs, ità ut ejus oppoſitum extra ejus ſit poteſtatem? An delectatio iſta in hoc corruptibili corpore, ſicut illa ſupereminentiſſima perfectio charitatis Dei, omnes terrenæ libidinis motus abſorbet, atque conſumit, quin ullam relinquat indifferentiam poteſtatis ad actum oppoſitum? Ergo ubi exuberat terrena delectatio, & ſuperior eſt gradu, peccatum non erit huic delectationi illicitæ conſentire: quod quàm falſum ſit, & impium aſſerere, quis neſciat? Quarè fallit objectio, dum ex neceſſitate, quæ oritur ex juſtitia ad illam vitam immortalem pertinente, arguit eamdem neneſſitatem induci hac minore juſtitia, etſi gradu ſit ſuperior delectatione terrena. Sed de his jam ſatis.

DUBIUM III.

An requiratur ad libertatem, poteſtas rejiciendi victricem gratiam, vel gratiæ ab intrinſeco efficaci reſiſtendi, reſiſtentiâ formaliter & ſtrictè tali?

§. I.

1. GRatia poteſt conſiderari, vel ſecundùm potentiam, vel ſecundùm actum. Secundùm potentiam eſt gratia conſtituens ſufficientiam poteſtatis ad victoriam tentationis, benèque operandum, excitans voluntatem, ut vincat. Hæc gratia in victoria tentationis verè vincit, & verè victrix eſt, vincitque homo ſecundùm virtutem hujus gratiæ: nam illius eſt victoria, cujus eſt pugnandi, & vin-

vincendi potentia. Fateor tamen, victricis gratiæ nomine non hanc vulgò ſignificari, ſed illam dumtaxat, quâ Deus dat victoriam, ſine qua nonniſi vincens eſt, id eſt efficax. Expedit autem nunc, gratiam dantem poſſe nomine ſibi conveniente non privare. Si de hac gratia, ſeu de gratia ſecundùm hanc conſiderationem loquantur æquilibrii Auctores, nulla nobis eſt difficultas. Nam licèt homo nunquam à ſe ipſam amoveat ſecundùm eſſe, eam tamen rejicit ſecundùm operandi virtutem, avertens ſe ab hoc adjutorio ſemper ſibi præſenti, quo verè poteſt, aut vincere, aut Deum orare. Hæc ſanè eſt reſiſtibilis à voluntate, ut teſtantur Sapientiæ verba Prover. 1. quæ contemptoribus ſuis loquens: *Vocavi*, inquit, *& renuiſtis. Extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Job. 9. v. 4. dicitur: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit*. Pſalm. 16. v. 8. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me*. Iſaiæ 46. v. 12. *Audite me duro corde, qui longè eſtis à juſtitia: prope feci juſtitiam meam, non elongabitur*. Exodi 10. habetur; *Dimitte Populum meum, ut ſacrificet mihi. Sin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cràs locuſtam in fines tuos*. En reſiſtens; & ecce punitio propter reſiſtentiam. Hoc ſimiliter probant alia Scripturæ teſtimonia Matth. 23. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Et Paulus ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te ad ducit*. Et Apocalypſ. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum*. En Deus blanditiis alliciens, auxiliis animans, & corroborans, exhortationibus vocans, revocans indulgentiâ, gratiâ trahens, præbens omnibus poſſe proximum operandi bonum conducens ad vitam æternam, virtute gratiæ ſufficientis; cui tamen voluntas reſiſtit, & quam in vacuum recipit, quod non eſt aliud, quàm Deo excitanti non conſentire.

2. Hanc etiam veritatem ſubjicit oculis noſtris Tridentinum ſeſs. 6. cap. 5. dicens: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere poteſt*. Et ibi can. 2. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quô ad juſtificationis gratiam ſe diſponat, anathema ſit*. Quibus verbis expreſsè definit poſſe voluntatem inſpirationi interiori, quam recipit, reſiſtere; & oppoſitum aſſerentes etiam anathemate percellit. Seſs. 24. can. 9. de reform. Matrim. *Siquis*, inquit, *dixerit. . . . poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari*. Quarè meritò à Summis Pontificibus *Innocentio X.*, & *Alexandro VII.* damnata

eſt

eſt ſecunda *Janſenii* propoſitio, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquàm reſiſtitur*: cujus contradictoria eſt, eaque Catholica, *Gratiæ interiori quandoquè reſiſtitur*. Cui gratiæ? Niſi ſufficienti.

3. Hanc eandem prædicant SS.Patres. *Juſtinus Martyr* Dial. cum *Tryphone* ſub fin.: *Itaquè ſi omnes, qui miſericordiam à Deo conſequi volunt, ſuperioris vitæ pœniteat, id præſtarè poſſunt. Quia nempe in eis datur faciendi, & non faciendi poteſtas. S. Irenæus* lib.2. adversùs Hæreſ. cap.76. *Nec enim lumen deficit propter eos, qui ſemetipſos excæcaverunt: ſed illo perſeverante, quale eſt, excæcati per ſuam culpam in caligine conſtituuntur, neque lumen cum magna neceſſitate ſubjiciet ſibi quemquam, neque Deus cogit eum, qui nolit continere ejus artem* (Gratiam). *Qui igitur abſtiterunt à Paterno lumine, & tranſgreſſi ſunt legem libertatis, per ſuam abſtiterunt culpam, liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis facti*. En clariſſimis verbis expreſſa gratiæ reſiſtentia. *S. Cyrillus Alex.* lib. 1. in *Joan.* cap.11. eamdem profert ſententiam, dicens: *Non Verbum Dei, & æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet. Illuminat enim Filius, repellit autem gratiam creatura*. Eleganter *S. Ambroſius* in Pſalm.118. exponens verba iſta. Prope es tu Domine, his verbis: *Numquid ſi quis oſtia domus ſuæ claudat, ſolis eſt culpa, quod non illuminat domum ejus? Ergo, ſiquis peccatorum ſuorum repagulis obſerandam mentem propriam judicaverit, & Verbi à ſe ſplendorem ſtultus avertat, ac ſibi inferat inſipientiæ cæcitatem; cauſari poterit, quòd ſol Juſtitiæ voluerit intrare? Aut infirmitatem luminis Cœleſtis arguere? Pulſat januam tuam Dei Verbum*: Siquis mihi aperuerit, *inquit*, intrabo. *Siquis ergo non aperuerit, numquid non ingredientis, & non magis non aperientis eſt culpa?* Ergo culpandus ideò eſt, quià poterat aperire & non aperuit, ſed gratiæ Dei excitanti, & pulſanti reſtitit. Infinitus eſſem, ſi vellem producere ex Patribus omnia, quæ reſiſtentiam hanc formalem graiæ ſufficienti comprobant.

4. Sed inter omnes audiendus *Sanctus Auguſtinus*, qui reſiſtentiam hanc ubique, & paſſim prædicat maximè in *Confeſſionum libris*. Etenim lib. 6. cap. 4. num. 5. ſic habet S. Doctor: *Cùm ergo neſcirem quomodò hæc ſubſiſteret imago tua, pulſans proponerem quomodò credendum eſſet, non inſultans opponerem quaſi ita creditum eſſet: tantò igitur acrior cura rodebat intima mea quid certi retinerem, quantò me magis pudebat tamdiù illuſum, & deceptum promiſſione certorum puerili errore & animoſitate, tàm multa incerta, quaſi certa garriſſe*. Et cap.6. num.9. *Inhiabam honoribus, lucris, Conjugio; & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tantò magis, quantò minus ſinebas mihi dulceſcere quod non eras tu. Vide cor meum, Domine, qui voluiſti, ut hoc recordarer, & confiterer tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de viſco tam tenaci mortis exuiſti: Quàm miſera erat, & ſenſum vulneris tu pungebas, ut relictis omnibus converteretur ad te, qui es ſuper omnia, & ſine quo nulla eſſent omnia, converteretur, & ſanaretur. Quàm er-*

ergo miſer eram, & quomodò egiſti, ut ſentirem miſeriam meam. Et cap. 10. num. 18. *Et ego maximè mirabar ſatagens, & recolens quàm longum tempus eſſet ab undevigeſimo anno ætatis meæ, quo fervere cœperam ſtudio ſapientiæ, diſponens, eâ inventâ, relinquere omnes vanarum cupiditatum ſpes inanes, & inſanias mendaces: & eccè jam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæſitans aviditate fruendi præſentibus, fugientibus, & diſſipantibus me, dum dico, cras inveniam: Ecce manifeſtum apparebit, & tenebo.* En *Auguſtinus* anceps inter bonum, & malum, & bonis cogitationibus; & deſideriis, quibus, ut hoſtem adſpiceret, & adſpiciendo cognoſceret, & cognoſcendo vitaret, movebatur reſiſtens. En qualitèr præparabatur ejus voluntas gratiâ ſtimulante ad bonum, deterrente ab erroribus, quæ non ſitiebat ipſi dulceſcere, quod non erat Deus; quæ ſane gratia efficax non erat; cùm præſentium inſipientium illectus amore, corruptibilis, ac fœtidæ carnis calice inebriatus, cras ſe convertendum ſperat. Hujus procraſtinationis rationem reddit lib. 8. cap. 5. num. 10. *Cui rei ego ſuſpirabam ligatus, non ferrô alienô, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippè ex voluntate perverſa, facta eſt libido. Et dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo. Et dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi annulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondùm erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; illa carnalis, illa ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam.* Hìc obſervanda duarum voluntatum inter ſe lucta, itaut nova, quæ erat per gratiam, nondum Victrix ſuperaret vetuſtam, & carnalem. Enim verò bona cœperant eſſe in *Auguſtino* deſideria, ſtimulareque gratia excitans, à malo perpetrando deterrens, ut expreſsè fatetur S. Doctor num. 12. his verbis: *Ità certum habebam eſſe melius tuæ caritati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat. Non enim erat, quod tibi reſponderem dicenti mihi.* Epheſ. 5. v. 14. SURGE QUI DORMIS, ET EXURGE A MORTUIS, ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS. *Et undique oſtendenti vera te dicere, non erat omnino quod reſponderem, veritate convictus, niſi tantùm verba lenta, & ſomnolenta: modo; ecce modo: ſine paululum. Sed, modò & modò, non habebant modum: & ſine paululum, in longum ibat.* Attamen refragante mundo, reclamante carne, obmurmurante, & recalcitrante paſſione, tandem victus gratiæ reſiſtebat; quippè ex voluntate perverſa facta eſt libido; cùm gratia illa, quâ bona voluntas cœperat in illo eſſe, ut converteretur ad Deum, etſi daret poſſe proximum converſionis, erat gratia excitans, & ſufficiens, non conjuncta cum actu converſionis, & cui reſiſtebat *Auguſtinus*.

5. Hoc gratiæ excitantis rigidum bellum, & conflictum cum natu-

ra vitioſa multis deſcribit *Auguſtinus* dicto lib. 8. cap.7. num. 16. *Narrabat hæc Pontitianus. Tu autem Domine inter verba ejus retorquebas me ad me ipſum, auferens me à dorſo meo, ubi me poſueram, dùm nollem me adtendere, & conſtituebas me ante faciem meam, ut viderem, quàm turpis eſſem, quàm diſtortus, & ſordidus, maculoſus, & ulceroſus. Et videbam & horrebam, & quò à me fugerem non erat. Etſi conabar à me avertere adſpectum, narrabat ille quod narrabat, & tunc rurſus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam. & odiſſem. Noveram eam, ſed diſſimulabam, & connivebam, & obliviſcebar.* Et cap. 11. num. 25. *Sic ægrotabam, & excruciabar accuſans me metipſum ſolito acerbius nimis, ac volvens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quò jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen. Et inſtabas tu in occultis meis Domine ſeverâ miſericordiâ, flagella ingeminans timoris, & pudoris; nè rurſus ceſſarem, & non abrumperetur id ipſum exiguum, & tenue quod remanſerat; & revaleſceret iterum, & me robuſtius alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum. Tàm penè faciebam, & non faciebam: nec relabebar tamèn in priſtina, ſed de proximo ſtabam, & reſpirabam. Et item conabar, & paulò minùs ibi eram, & paulò minùs jam jamque adtingebam & tenebam; & non ibi eram, nec adtingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ vivere; pluſquè in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum, punctumque ipſum temporis quò aliud futurus eram, quantò propriùs admovebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem: ſed non recutiebat retrò, nec avertebat, ſed ſuſpendebat.* Et cap. 12. num. 28. *Ego ſub quadam fici arbore ſtravi me neſcio quomodò, & dimiſi habenas lacrymis; & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile ſacrificium tuum. Et non quidem his verbis, ſed in hac ſententia multa dixi tibi: & tu Domine uſquequo? Uſquequo Domine iraſceris in finem? Nè memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebam enim eis me teneri: jactabam voces miſerabiles. Quandiu? Quandiu? Cras, & cras? Quare non modo? Quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ!* Sic gratiâ Deus pulſabat ad cor *Auguſtini*, ut illud aperiret & converteretur; quâ fiebat congreſſus, & conflictus adverſùs carnem & ſanguinem; quâ ſpiritus S. Doctoris initium habebat alicujus bonæ voluntatis; cui gratiæ voluntas tametſi excitata & præparata reſiſtebat.

6. Quid hic plura referam, ut *Auguſtinum* oſtendam gratiâ divinâ motum ab pœnitentiam, ipſiuſque voluntatem præparatam internâ inſpiratione, illuminatione, ſuaſione, excitatione; & cujuſdam delectationis infuſione? En Deus internâ allocutione notificans illi quid quærere, quid ſperare, quidve ex corde diligere debeat. En cor *Auguſtini* emollitum, at non ad Deum converſum. Erat in illo impreſſio gratiæ excitantis, & ad converſionem diſponentis; at nondùm gratiæ efficacis, & triumphantis vi mota erat illius voluntas, ut omnibus

bus abjectis erroribus ſe ad Deum converteret. Nondùm erat in illo gratia robuſtior efficaciter movens, quæ hoſtem ſubigeret, & glorioſum de illo reportaret triumphum. Ideo flexibili vociferatione dicebat, *cras, & cras? Quare non modo? Quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Quia nempè adhùc importunè inſolentia carnis contra ſpiritum rebellis erat; & ideò gratiam diſtinctam ab illa prima, quâ, non abſque magna, & longa reſiſtentia, præparata voluntas fuerat, optabat; quam ubi expertus eſt, ad Deum converſus eſt, vocanti reſpondit, aperuit pulſanti, diligentem dilexit, ut confitetur ipſe n.29. *Dicebam hæc & flebam amariſſimâ contritione cordis mei. Et eccè audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebro repetentis, quaſi pueri an puellæ, neſcio:* TOLLE LEGE: TOLLE LEGE..... *Arripui, aperui, & legi in ſilentio capitulum, quo primùm conjecti ſunt oculi mei* ad Rom. 13. v. 13. NON IN COMESSATIONIBUS, ET EBRIETATIBUS, NON IN CUBILIBUS, ET IMPUDICITIIS, NON IN CONTENTIONE, ET ÆMULATIONE: SED INDUITE DOMINUM JESUM CHRISTUM, ET CARNIS PROVIDENTIAM, NE FECERITIS IN CONCUPISCENTIIS. *Nec ultrà volui legere, nec opus erat. Statim quippè cum fine hujuſce ſententiæ quaſi luce ſecuritatis infuſsâ cordi meo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* En gratia efficaciter adjuvans, gratia tenebras diſſipans, quâ tandem *Auguſtinus* in ſtadio adverſus carnis concupiſcentiam dimicans, victor evaſit; quæ fecit, ut caro ſpiritui, & ſpiritus obtemperaret Deo.

7. Quis hìc non videat, quòd ultra gratiam, quâ Deus hominem vocat, & excitat, illuſtrat, movet, & allicit, cui voluntas reſiſtit, alia requiritur diſtincta gratia *Chriſti*; quâ vocatus, infallibiliter credat, convertatur, & bonum faciat; ſeu quæ hominis liberum arbitrium in tantùm efficaciter moveat, & afficiat amore veri & boni, ut omnibus, aliò trahentibus, ſuperatis, juſtitiam exerceat: quia nempe liber conſenſus eſt realiter ſeparabilis ab illa actuali, & exercita excitatione gratiæ excitantis, dantis poſſe ſupernaturaliter operari, cui reſiſtebat *Auguſtinus*, dicens: *Cras, & cras*; cum tamen in eo erat vera poteſtas ad converſionem, ut denotant ſequentia verba: *Quarè non modò? Quarè non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Quibus & ſuam gratiæ ſufficienti reſiſtentiam exponit.

8. Enimverò ex quo in primo pugnæ ingreſſu homo ſeductus peſtiferâ ſuggeſtione occubuit, per peccati conſenſum adeò prævaricatio Divinæ legis invaluit, & corporis tota eſt deordinata compago, ut rationali ſpiritui adverſa caro, pugnet contra ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem, abſquè pacis ulla concordia. Caro ſuo naturali impulſu infatigabiliter trahit ad ima, corporalibus delectatur voluptatibus, viſibilibuſque inhærendo fovetur. Hoc namquè corruptæ carnis ſemper eſt proprium, ut concupiſcentiarum indeſinenter pruritum incendat, per quem laborioſus animæ contra gratiam excitatur conflictus. Econtrà ſpiritus ſpiritualium guſtum diligit, & Deo ut conjunctus ſit, ſemper exquirit. Undè voluntas, quæ gratiâ conceſsâ reformari de-

 beret

beret in melius, huic reſiſtens, Deum admonentem ſpernit, corripientem fugit, exhortantem deſpicit, vocantem ad ſe audire diſſimulat, & mundanis blanditiis aſſenſum tribuens, nedùm degeneris appetitûs effecta eſt ſerva, ſed cœleſtem nequaquàm veretur repudiare gratiam, quâ conſtituitur proximè potens operari bonum.

9. Ex productis itaque in medium teſtimoniis legitimè deducitur voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ ſufficienti. Major longè difficultas eſt, an eadem debeat, aut poſſit eſſe formalis, & ſtricta reſiſtentia gratiæ victrici & efficaci? In quo tamen non videtur magnum poſſe eſſe inter utramque ſcholam diſſidium; cum hoc certo certius conſtitutum ſit & debeat eſſe in utraque ſchola, gratiam formaliter ut efficacem, & Victricem irreſiſtibilem eſſe. Veriſſimum eſt apud Thomiſtas; nam gratia, quam propugnant efficacem, eſt ab intrinſeco connexa cum ſalutari velle; ſed gratia ab intrinſeco connexa cum ſalutari velle, eſt irreſiſtibilis: ergo gratia, ut formaliter efficax, eſt irreſiſtibilis. Minor certiſſima eſt: ſi enim gratia connexa eſt cum velle ſalutari, voluntas efficaciter præmota vult conſentire Deo vocanti; ſed fieri non poteſt, quod dum vult, nolit ſimul, aut reſiſtat; quì enim fieri poteſt, ut repugnare nolens, repugnet; aut quod habens à Deo repugnare nolle, repugnet? ergo gratia connèxa cum velle ſalutari, irreſiſtibilis eſt.

10. Eâdem claritate probatur aſſertio ex principiis Jeſuitarum. Reſiſtere gratiæ efficaci formaliter ſumptæ, ac reduplicatâ efficaciâ, eſt conjungere diſſenſum cum prædicato illo, ſeu ratione formali, quâ gratia conſtituitur efficax formaliter: ſed hoc in ſententia ipſorum eſt impoſſibile: ergo & hujuſmodi reſiſtentia. Min. probatur. Gratia apud Doctores Societatis conſtituitur efficax per ipſum conſenſum, vel futurum, vel exiſtentem, vel per illius infallibilem præviſionem, vel per utrumque: ergo ſi poſſet liberum arbitrium conjungere diſſenſum cum gratia formaliter ut efficaci conſenſus, reduplicatâ ejus efficaciâ, poſſet conjungere diſſenſum cum conſenſu, quod non eſt minus chimæricum, & impoſſibile, quàm ſedentem non ſedere.

11. Firmatur ſecundò ex ſuppoſitione, quòd Deus præviderit, Petrum ſub hoc auxilio fore conſenſurum. Si illi detur in tali occaſione, jam eſt infallibilitèr verum, quòd tali conditione purificatâ conſentiet Petrus; eſt enim objectum ſcientiæ Divinæ neceſſitate metaphyſicâ veræ, & per omnem potentiam infalſificabilis; vel ergo cum hac præviſione conſensûs poteſt liberum arbitrium conjungere diſſenſum, aut, quod idem eſt, poteſt diſſentire in ſenſu compoſito illius præviſionis, vel non poteſt? Si primum: poterit liberum arbitrium ſcientiam Dei falſificare, quod non dicent: ſi ſecundum, quidquid ſit de auxilio entitativè, & materialitèr ſumpto, cum illo ut formalitèr efficaci non poterit diſſenſum conjungere, quod in hac aſſertione contendimus.

12. Tertiò: nam licèt in libero arbitrio conſentiente ſit poteſtas ad diſſentiendum, nulla tamen eſt, aut fuit in illo poteſtas ad diſſentiendum diſſenſu compoſito cum conſenſu: ergo nulla eſt, aut fuit in illo po-

poteſtas, ut auxilium efficax, quà formaliter efficax, efficaciâ reduplicatâ, faciat inefficax. Patet conſequentia, quia ut tale auxilium redderet inefficax pro tempore, quo efficax eſt, erat neceſſe, vel quòd diſſenſum conjungeret cum illius efficaciâ, ac ſubindè cum conſenſu, illiuſve prævîſione; vel quòd carentiam conſenſus conjungeret cum conſenſu. Quod evidenter eſt ponere contradictoria eſſe vera.

13. Præterea. Admitti non poteſt, quòd fruſtrari poſſit auxilium ſemel efficax, hoc enim ex terminis eſt impoſſibile; auxilium namque in illorum principiis non eſt efficax à determinatione poſſibili, ſed à determinatione voluntatis præterita, præſenti, vel futura, ita quòd auxilium, ſi fuit efficax, involvit determinationem voluntatis præteritam; ſi de præſenti eſt efficax, involvit determinationem præſentem; quod ſi futurum ſit efficax, determinationem ſanè involvit futuram: ſed licèt voluntas potuerit facere, quòd determinatio non fuerit, ex ſuppoſitione tamen quòd fuerit, facere non poteſt, quòd non ſit præterita; & licèt poſſit facere, quòd determinatio ſua non ſit præſens, facere tamen non poteſt, quòd determinatio præſens non ſit præſens, nec quòd futura non ſit futura; eò quòd præteritum, præſens, & futurum illas ſuppoſitiones includunt: ergo admitti nec debet, nec poteſt, poſſe à voluntate reddi inefficax auxilium illud, quod eſt, fuit, aut erit efficax pro tempore ſuæ efficaciæ. Ex quo luce meridianâ fit clarius, longiſſimè diſtare à mente, & veritate Concilii eos, qui aſſerunt in citato Canone definiri, eſſe poteſtatem in libero arbitrio compoſito cum gratia efficaci, aut ſub illa formaliter ſumpta exiſtente, ad conjungendum cum Dei motione efficaci diſſenſum: definiviſſet enim contradictoria eſſe vera. Quod fatetur P. *Herrera* qu.6. de prædeſt. num.17.

14. Minimè ſatisfacit præſenti argumento *Caducifer*, pag. 299. num.88. me hìc duo falſa ſupponere aſſerens. *Primò, Concilium Tridentinum loqui de arbitrio ſigillatim moto per phyſicam prædeterminationem. Secundò, quod gratia efficax, reduplicativè ut talis, irreſiſtibilis eſt in ſententia Jeſuitarum, quod etiam falſum eſt.* Hæc ille; in quibus duo admiratione digna reperiuntur. Enimverò, dùm primum dicit falſum, eximium ſuum Magiſtrum P. *Suarez* falſitatis arguit; nàm ille 2. par. de auxil. lib. 5. cap. 37. fatetur, Concilium Tridentinum loqui de præmotione phyſica. Quarè arma in hoc primum aſſertum meum ponere debet; ipſe namque P. *Suarez* pro nobis ſatisfaciet. Quantum verò ad ſecundum turpiter hallucinatur ille; non ſuppoſui, ſed aſſertum probavi, argumentaque debebat ſolvere, non frigidè dicere: *Quod etiam eſt falſum*. Sed quid ſolveret argumenta! Adeò in tranſverſum actus fuit, ut paulò inferiùs ipſe Caducifer fateatur, verum eſſe, quod ſecundo loco falſum dixerat; ſic enim proſequitur quibuſdam interjectis: *Licèt verum ſit dicere*, (etiam in ſententia Jeſuitarum) *quòd gratia efficax, reduplicativè ut talis, infallibiliter trahit ſecum conſenſum creaturæ; & verè hic ex tali ſuppoſitione, & reduplicatione non poterit non eſſe, ſed ſolùm impotentiâ conſequenti, quâ id, quod eſt, ex ſuppoſitione quòd ſit, neceſſe eſt eſſe: quæ quidem impotentia conſe-*

quens

quens non tollit veras diſſentiendi potentias antecedentes &c. Si gratia efficax Jeſuitica reduplicativè ut talis infallibiliter trahit ſecum conſenſum, & hic ex tali ſuppoſitione, & reduplicatione non poſſit non eſſe; ergo non datur potentia ad non eſſe conſensûs combinandi cum gratia efficaci, reduplicativè ut tali: ergo ulteriùs gratia efficax, reduplicativè ut talis, eſt irreſiſtibilis. Quid enim aliud eſt gratiam efficacem, reduplicativè ut efficacem, irreſiſtibilem eſſe, niſi non dari in homine potentiam ad hæc duo, gratiam efficacem reduplicativè ſumptam, ideſt cum ſuo effectu conjunctam, & non effectum, vel privationem effectus conjungendam: ergo eſt irreſiſtibilis formaliter, & propriiſſimè loquendo. Igitur, ut paucis multa complectar, admitto potentiam reſiſtendi gratiæ ſufficienti, ut dixi, non gratiæ efficaci: ſub hac tamen ultima, & eâ actù voluntatem afficiente, admitto potentiam, actù etiam exiſtentem in voluntate, ad negationem effectus gratiæ illius, ſed non conjungendam actù cum ipſa gratia efficaci, quâ tali, ſive ad reſiſtendum formaliter eidem: atque hâc declaratione plurima Caduciferi folia evaneſcunt, nullô prorsùs ictu inflictô. Huic eidem gratiæ formaliter ut efficaci conſentit P. *Araujo* n. 466. his verbis: „ Si movere, ut denotat ly „ *phyſicè*, jam devolvat ipſam gratiam actù operantem utique cùm vo- „ luntate, tunc eſt certum voluntatem conſequenter diſſentire non poſ- „ ſe „. Atqui hoc idem omnino eſt, quod ego dico! Nam gratiam phyſicè efficaciter movere, taliter ut ab ea denominetur liberum arbitrium motum, ut loquitur Tridentinum, devolvit ipſam gratiam, ut terminis ejus utar, actù operantem; quippè liberum arbitrium motum eſſe per gratiam, & gratiam actu movere, ſunt relativa, adeòque ſimul naturâ & cognitione: ſi ergo certum ſit, ut fatetur Auctor ille, voluntatem tunc diſſentire non poſſe, conſequens eſt, ut nobiſcum dicat, gratiam formaliter ut efficacem, eſſe irreſiſtibilem.

15. Sed quia æquilibrii inventores ad ſuam probandam ſententiam locum ex Tridentino citatum adducentes, de quacumque gratia, quantumvis efficaci, loquuntur, ut ſupra notavimus, intendentes excludere, tanquam contrariam Fidei gratiam ab intrinſeco efficacem, quæ dat infallibiliter agere, ita ut ei nulla voluntas poſſit reſiſtere: eumdemque ſenſum inducere ſatis fidenter procurat, neſcio quis in quibuſdam manuſcriptis reſponſionibus ad articulos Pariſienſes ad art. 3. dicens: *Cavendum, ne dum dicitur: abſolutæ Dei voluntati nemo reſiſtit, velint Novatores gratiam fraudulenter confundere cum voluntate, & neque reſiſti poſſe gratiæ efficaci, inferant*; ipſis ſanè, dum novam iſtam labefactandæ prædeterminationis viam, pro nutu diſpenſant ut quid Catholicum, ſuo de controverſia iſta judicio præcipiti ſententiâ contraria dogmata damnantibus accommodari poteſt illud Epiſt. D. *Judæ* verſ. 20. *Hi autem, quæcumque ignorant, blaſphemant*: vel quod dicit D. *Auguſtinus* lib. 22. Confeſs. cap. 25. num. 34. *Nec noverunt Moyſis ſententiam, ſed amant ſuam, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt.* Poſtulat ergo juſtæ defenſionis titulus, ut totis viribus huic fallaci ſuggeſtioni reſiſtamus: *Nolo enim*, inquit *Hieronymus*, *in ſuſpicione hæ-*

reſeos

reſeos aliquem eſſe patientem: maximè cùm aſſertum hoc ſit concors omnium Thomiſtarum tàm antiquorum, quàm modernorum doctrina. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, Thomiſtas cum S. Doctore in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. qu. 3. 2. duplicem diſtinguere reſiſtentiam, unam ſtrictè, ac rigoroſè talem, quâ videlicèt virtus alicujus agentis debilitatur, aut vincitur ab alio agente. Alteram in latiori ſenſu acceptam, quæ quidem poteſtatem dicit ſupra effectum, quem cauſa libera producit, at non ſupra virtutem, ac motionem Divinam. Reſiſtentiam priori modo ſumptam aliis terminis Thomiſtæ vocant formalem, alteram verò materialem. Hâc ergo duplicis reſiſtentiæ diſtinctione ſuppoſitâ, fateor, aliquos inveniri Thomiſtas, qui affirmant, hominem poſſe reſiſtere gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo, ſed non in ſenſu compoſito; ſed apertè loquuntur de reſiſtentia latè ſumpta, ſive de reſiſtentia materiali; id eſt ex parte rei, ad quam Deus movet, ità ut ſenſus ſit: homo poteſt motionis Divinæ, ſive gratiæ per ſe efficacis effectui reſiſtere; id eſt, poteſt rem illam, ad quam Deus efficaciter movet, non ponere. Et hoc uſque adeò verum eſſe dicimus & nos; nam ſi poſſe illud non haberet reſpectu oppoſiti, ad quod Deus movet, revera homo ſub illa motione non moveretur liberè, ſed de neceſſitate. Illi verò Thomiſtæ, qui negant hominem gratiæ per ſe efficaci poſſe reſiſtere, de reſiſtentia in rigore ſumpta, ſeu formali loquuntur: cùm enim voluntas creata poteſtatem non habeat ſupra virtutem, aut motionem Divinam, nec eam ullo pacto debilitare, aut infringere poſſit, planè nequit humana voluntas habere aliquod verum poſſe reſpectu hujus reſiſtentiæ formalis, ſeu ſtrictè dictæ.

16. Sic attentè obſervat M. *Maria Cavvino* tom. 2. diſput. ultim. q. 1. §. 5. dicens: *In forma ergo, nè fiat æquivocatio in voce illa reſiſtere, diſting. & explico antecedens: non reſiſtit, nec poteſt reſiſtere, loquendo de reſiſtentia propriè dicta pro eo, quod eſt fruſtrare, conc. ut multis probat Alvarez ibidem diſp. 43. Sumpto reſiſtere pro diſſentire, ſubdiſtinguo; in ſenſu compoſito, iterum conc. in ſenſu diviſo, neg. Nam in hoc ſenſu diſſentire poteſt, quia efficacia decreti non ponit impedimentum capacitati ad oppoſitum, neque hanc tollit, ſed ſolùm dat infallibilitatem ad unum, ſalva eadem ſive potentia ad aliud.* Quod etiam animadvertit Illuſtriſs. *Caſtell.* d. diſp. 2. q. 4. ſect. 9. ut probet, nullam eſſe inter Thomiſtas diſcordiam, aut diviſionem, ſic loquens num. 610. *Diſcordia eſt, quia aliqui abſolutè concedunt, voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ efficaci, & cum gratia hanc poteſtatem reſiſtendi componunt: ſed per ly reſiſtere, minimè intelligunt reſiſtentiam formalem, ſed purè materialiter pro eodem, ac poſſe diſſentire, ſeu poſſe terminum, qui ſi exiſteret, reſiſtentia foret; quod colligitur primò; quia ſemper componunt hæc duo, reſiſtere, ſeu diſſentire. Secundò, quia in eodem ſenſu loquuntur de decreto efficaci, de quo intelligi non poteſt, viros doctiſſimos reſiſtentiam formalem, & ſtrictam, poſſibilem affirmare. Et Philippus à Sancta Trinitate diſp. 4. de Grat. Dei cap. 5. ita exponit omnes Thomiſtas. Hanc expoſitionem fundat in D. Thoma P. Maſ-*

ſouliè

ſoulié ubi ſupra art.9. ut defendat P. Gonet à cenſura R.P. Thyrſo, ità enim ſcripſit Angel. Doctor in 4. diſt.11. qu.1. art. 3. q. 3. 2. Poteſt eſſe reſiſtentia dupliciter: uno modo ex parte agentis, quando ſcilicèt ex contrario agente virtus ipſius debilitatur; alio modo ex parte ipſius effectus, quando ex contraria diſpoſitione impeditur effectus. In omni actione, ubi agens non patitur, prima reſiſtentia non habet locum, ſed ſecunda ſolùm; undè in operationibus Divinis non attenditur difficultas ſecundùm reſiſtentiam ad agentem, ſed ſecundùm impedimentum effectûs. Undè quando Thomiſtæ aſſerunt, voluntatem poſſe reſiſtere decreto efficaci, aut gratiæ efficaci Dei in ſenſu diviſo, non ſumitur propriè reſiſtentia per reſpectum ad agentem, ſed impropriè ſecundùm impedimentum effectus, quod eſt idem, ac aſſerere, voluntatem poſſe diſſentire. Hæc ad longum retulimus pro vera Thomiſtarum intelligentia, cum quibus unius animi, & unius ſententiæ ſumus, negantes veram poteſtatem reſiſtendi gratiæ per ſe efficaci, loquentes de reſiſtentia in rigore ſumpta, ſive de reſiſtentia formali, tùm in præſenti, tùm aliis locis paſſìm, ac ſignantèr, ubi erit mentio de Concilio Tridentino.

17. Hoc ſuppoſito probatur Concluſionis noſtræ veritas ratione inconcuſſa, & penitus inſuperabili. Hæc enim propoſitio: *Voluntas gratiæ ab intrinſeco efficaci poteſt formaliter, & in rigore reſiſtere*, eſt locutio, quæ ſenſum compoſitum implicat; ſed impoſſibilis eſt compoſitio gratiæ ab intrinſeco efficacis cum reſiſtentia formaliter, & in rigore tali: ergo implicat, quòd gratiæ ut formaliter efficaci poſſit liberum arbitrium formaliter, & in rigore reſiſtere. Major eſt Thomiſtarum doctrina, quam & explicuit M. *Lemos* tract. 4. cap. 13. ſic dicens: *Tertia propoſitio poteſt ſic formari: efficaci Dei motioni poteſt reſiſtere hominis arbitrium; & iſta componit reſiſtentiam tanquam compatibilem, ſeu compoſſibilem cum efficaci Dei motione: & quia illa duo incompoſſibilia ſunt, nec enim fieri poteſt, quod ſit efficaciter motum arbitrium, & reſiſtat ob efficaciam motionis; ideò illa affirmativa eſt falſa, & ſua oppoſita negativa vera, ſicut de voluntate Dei efficaci dictum eſt. Quantum enim ad hoc idem eſt poſſe, vel non poſſe reſiſtere efficaci Dei motioni, & efficaci Dei voluntati, in cujus virtute motio efficaciam habet.* Quod & repetit cap. 21. ſequentibus verbis: *Poſſe reſiſtere, ut ſupra oſtenſum eſt, ſenſum importat compoſitum cum eo, cui reſiſtitur; ſed liberum hominis arbitrium non poteſt componere, vel reſiſtentiam ſimul cum Deo efficaciter movente, vel cum efficaci motione, ſecundùm quòd venit ex Deo, & ex ejus efficaci voluntate: ergo non poterit liberum hominis arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum, reſiſtere Deo efficaciter moventi.* Quibus verbis non ſolùm major, ſed totus diſcurſus probatus manet.

18. Audiatur iterum ſapientiſſimus iſte Magiſter lib. 4. p. 2. tract.4. cap. 25. qui negationem reſiſtibilitatis, tàm in ſenſu compoſito, quàm in ſenſu diviſo prædeterminationis, eſſe omnium Thomiſtarum ſententiam affirmat ſequentibus verbis num. 359. *Quod autem ſecundò adhibent, nos, quos Adverſarios paſsìm vocant, concedere, quòd prædetermina-*

minationibus poteſt arbitrium reſiſtere in ſenſu diviſo, id in nullo, ut arbitror, Diſcipulorum S. Thomæ legere potuerunt: nullus enim dixit, aut dicere potuit, prædeterminationibus arbitrium poſſe reſiſtere in ſenſu diviſo, quia iſta propoſitio: prædeterminationibus poteſt arbitrium reſiſtere, eſſentialiter eſt compoſita, & ſenſum facit compoſitum, ut patet ex diſpoſitionibus terminorum, quod & accuratiùs dedimus manifeſtum primo noſtro libro. Vndè illa non poteſt ſumi in ſenſu diviſo. Quod Diſcipuli omnes S. Thomæ aſſerunt, eſt, quòd arbitrium poſitum ſub prædeterminationibus extrinſeca, & intrinſeca, poteſt aliud velle, vel poteſt facere oppoſitum actum in ſenſu diviſo. Si autem ex hoc inferant ii Auctores, quod ſi poteſt aliud velle, & facere in ſenſu diviſo, poteſt illis prædeterminationibus reſiſtere in ſenſu diviſo. Reſpondemus, nullam eſſe iſtam illorum illationem, quia fit in argumento iſto tranſitus à ſenſu diviſo ad ſenſum compoſitum: ſicut non ſequitur in illorum etiam præſcientia, quòd ſi arbitrium poſitum ſub præſcientia poteſt aliud velle in ſenſu diviſo, quàm ſit à Deo præſcitum; hinc ſequatur, quòd poſſit falſificare Divinam præſcientiam, quæ falſificari non poteſt; quia etiam in iſta fit tranſitus à ſenſu compoſito ad diviſum .... Similiter concedunt S. Thomæ Diſcipuli, liberum arbitrium à Deo prædeterminatum poſſe diſſentire Deo vocanti, non autem Deo prædeterminanti. Tandem quod tertiò aſſerit, idem eſſe in his propoſitionibus, poſſe gratiæ reſiſtere, & diſſentire: reſpondemus, quòd ſicut auxilio ſufficienti diſſentimus, ita & illi reſiſtimus, cum illo componendo contrarium diſſenſum, & quod in allatis Scripturæ teſtimoniis, vocavi, & renuiſtis, &, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis (quæ ſolùm de voluntate Dei inefficaci, & vocatione ſufficienti procedunt) id palàm habetur: reſpectu autem efficacis Dei voluntatis, vel efficacis motionis, nunquam vel in Divinis Litteris, vel Sacris Conciliis affirmatur, quòd efficaci Dei voluntati, vel motioni, vel reſiſtamus, vel diſſentiamus.

19. Hanc ergo meritò omnium Thomiſtarum ſententiam dixerim. Enimverò, ſicut diſſentire teſtimonio dicentis eſt conjunctio diſſenſus cum teſtimonio; reſiſtere præcepto ſuperioris eſt conjungere defectum obedientiæ cum ſuperioris præcepto; ita & reſiſtere voluntati Divinæ eſt ponere oppoſitum illius, quod Deus vult in ſenſu compoſito Divinæ voluntatis: unde quia ſimul cum voluntate prædefinitiva Dei non poteſt oppoſitum ejus poni, dixit Scriptura: *Non eſt qui Dei poſſit reſiſtere voluntati*, *Eſther* 13. nec *Chriſtus* potuit diſſentire præcipienti Patri: nec nos poſſumus ſimul cum Fide diſſentire revelationi Divinæ de Fidei Myſteriis: quia hoc eſſet fruſtrare voluntatem Dei efficacem, tranſgredi præceptum Patris, & actu eſſe infideles: itá & reſiſtere prædeterminationi, ſeu gratiæ efficaci, quod includit compoſitionem diſſenſus cum ipſa prædeterminatione, chimæricum eſt. Chimæricum dixi: quomodò namque verè, & propriè dici poteſt, reſiſtere motioni, quæ non eſt? Non *Arrius* pro tempore priori ad *Concilium Nicænum*; non *Neſtorius* pro priori ad cèlebrationem *Concilii Epheſini*; non *Eu-*

tyches pro priori ad *Concilium Conſtantinopolitanum* celebratum à *Flavio*, vel ante *Concilium Calcedonenſe* prius celebratum; non *Pelagius*, nec ipſe *Janſenius* ante judicium Eccleſiæ; nullus, inquam, dici poteſt pro illo tempore Eccleſiæ reſtitiſſe; quia nempe reſiſtentia formalis dicit utriuſque extremi compoſitionem & exiſtentiam. Involvit quaſi pugnam, & oppoſitionem inter duo, in qua, qui reſiſtit efficaciter, ſuperat, & vincit alterum: ubi autem non eſt qui pugnet, nec reſiſtentia, nec victoria eſt: ergo cum impoſſibilis ſit coexiſtentia diſſensûs cum prædeterminatione conſensûs, chimærica eſt hujuſmodi reſiſtentia. Vel alitèr: gratia ab intrinſeco efficax eſt infallibiliter connexa cum conſenſu, datque ipſum conſenſum: ergo ſi cum gratia ab intrinſeco efficaci, efficaciterque movente poſſet liberum arbitrium conjungere diſſenſum, vel poſſet eſſentialiter connexa ſeparare, aut conjungere diſſenſum cum aſſenſu, quod quàm implicatorium ſit, nemo eſt, qui non videat.

20. Secundò, & magis efficacitèr roboratur concluſio: quia non eſt neceſſaria hujuſmodi reſiſtendi potentia gratiæ ab intrinſeco efficaci ad conciliandam libertatem conſenſus cum gratia Dei. Aſſignent enim nobis locum, in quo SS. PP. vel minimum verbum talis reſiſtibilitatis proponant, cùm tamen perfectiſſimè conciliaverint cum libertate conſensûs gratiam ab intrinſeco efficacem. Quinimò tantum abeſt, quòd ad hoc recurrant, quòd potiùs D. *Auguſtinus* expreſsè aſſerat, quòd velle, & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ita ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Sic Sanctus Doctor de Corrept. & Grat. cap. 14. *Quis operatur in cordibus eorum ſalutem niſi Deus, cui volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium? Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et infra: *Non eſt dubitandum, voluntati Dei voluntates humanas reſiſtere non poſſe.* En ubi aſſerit D. *Auguſtinus*, quòd Deus operatur in nobis ſalutem; quòd velle, aut nolle eſt ſub poteſtate noſtræ libertatis, quin voluntas noſtra poſſit reſiſtere ejus voluntati. Et cap. 11. & 12. diſtinguit M. P. adjutorium *ſine quo*, ſeu ſufficiens, & *quò*, ſeu efficax: & de primo, ſeu de adjutorio *ſine quo*, quod habuit *Adamus*, aſſerit, *quòd* (gratiam, ſcilicèt) *per liberum arbitrium deſerere poſſet; tale quippe erat adjutorium, quòd deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret, ut vellet.* De adjutorio verò *quò* aſſerit, illud eſſe, *quò ſit, ut velit, quia illud dat poſſe, quod volumus, hoc verò velle, quod poſſumus.* Ex quibus verbis fit ſequens argumentum: ideò voluntas poteſt deſerere auxilium ſufficiens, quia non eſt tale, quò fit, ut voluntas velit; ſed auxilium efficax tale eſt, quod dat velle, quod poſſumus: ergo voluntas non poteſt deſerere auxilium efficax: ergo nec illi reſiſtere. Quid enim eſt aliud deſerere auxilium, quàm reſiſtere auxilio? Ad hæc. Adjutorium *ſine quo* comparat *Auguſtinus* alimentis, ſine quibus non poſſumus vivere; adjutorium verò *quo* Beatitudini, qua fit quilibet Beatus, & ſine qua non ſit: er-

ergo ſicut Beatitudine non poteſt quis ita facere, ut non ſit Beatus per illam, & adjutorio *quó* non poteſt quis facere, ut non velit cum illo. Hæc enim eſt illa gratia, inquit *Auguſtinus* de præd eſt. Sanctor. cap. 8. *Quæ à nullo duro corde reſpuitur, ideò enim datur, ut cordis duritia auferatur*. Si ab ipſa aufertur durities cordis: ergo non reſiſtere gratiæ efficaci non provenit ab extrinſeco ex cordis nolitione, ſed ab intrinſeco ex ipſius efficacia, quâ aufertur durities. Sic idem *Auguſtinus* ex illis *Apoſtoli* verbis ibi n. 423. *Elegit nos in ipſo, ut eſſemus Sancti*, infert contra Pelagianos: *ergo non quia eramus Sancti*. Ergo nobis efficaciter ex verbis *Auguſtini* inferre licet, quòd gratiæ non reſiſtitur, quia ipſa eſt efficax; ſi detur, ut cordis duritia auferatur, vel aliis terminis, ut non reſiſtatur.

21. Sed arctiſſimè menti S. Doctoris inhærentes audiamus magnum, & acerrimum iſtum gratiæ defenſorem lib. de Corrept. & Grat. cap. 8. ubi ſic elegantiſſimè: *Tu autem quiſquis inimicus ejus gratiæ ſic interrogas, ipſe quid dicis? Benè, quòd te non negas eſſe Chriſtianum, & Catholicum jactas. Si ergo confiteris, donum Dei eſſe perſeverare in bono uſque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quòd mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia judicia Dei penetrare non poſſumus. Aut ſi ad liberum arbitrium hominis, quod non ſecundùm Dei gratiam, ſed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perſeveret in bono quiſque, vel non perſeveret, non Deo donante, ſi perſeveret, ſed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis, rogavi pro te Petre, nè deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Chriſto, nè deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet. hoc eſt, ſi eam uſque in finem perſeverare noluiſſet: quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet, ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, quæ fidelis erat, voluntas ipſa deficeret, & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio. Quando rogavit ergo, nè fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeveratiſſimam voluntatem? Ecce quemadmodum ſecundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam; ſed gratiâ potiùs libertatem, & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Hæc *D. Auguſtinus*, ubi primò obſervandum, non ſpectare ad liberum arbitrium perſeverare, & non perſeverare, voluntate faciente, niſi Deo donante. Secundò, non poſſe deficere effectum orationis, quando rogavit, nè deficeret fides *Petri*, licèt voluntas fidelis *Petri* libera ſit *Petro*: non ex eo, quòd *Petrus* potuit impedire effectum, vel exiſtentiam orationis *Chriſti*; ſed quià præparatur voluntas à Deo, non potuit eſſe inanis oratio: & quià Chriſtus non ſolùm rogavit, ut Petrus haberet voluntatem fidelem, ſed rogavit, ut hanc voluntatem haberet liberrimam, & perſeverantem. Sic componitur libertas vo-

luntatis cum gratia Dei, non quia voluntas ſua libertate conſequatur hanc gratiam præ alia, vel quia ipſa voluntas poſſit reſiſtere gratiæ, ſed quia gratia præſtat libertatem perſeverando, & inſuperabilem fortitudinem. Undè eo modo componit D. *Auguſtinus* efficaciam orationis Chriſti, ſicut D. *Thomas* ab *Auguſtino* edoctus compoſuit efficaciam propoſiti Dei, & Divinæ gratiæ cum noſtra libertate abſque reſiſtibilitate ipſius gratiæ efficacis. Si ergo nullum invenitur gratiæ efficacis reſiſtibilis veſtigium, dùm libertatem cum gratia componit: ſi illius nulla eſt mentio, quis in animum inducat, S. *Auguſtinum* hoc medio ad concordiam libertatis uſum fuiſſe? *Credant*, inquit ille, *Divinis eloquiis, & piè credant, ut etiam ſapientèr intelligant*; & nos cum ipſo veritatem iſtam conſtantiſſimè profitemur tanti Doctoris præſidio ſuffulti; quidquid in contrarium dicant alii, exemplo D. *Proſperi* ſic in Epiſt. ad Auguſtinum hujus S. Doctoris auxilium implorantis ſequentibus verbis: *Quod cùm perverſiſſimum eſſe, revelante Dei miſericordia, & inſtruente nos tua Beatitudine, noverimus poſſumus; quidem ad non credendum eſſe conſtantes; ſed ad auctoritatem talia ſentientium non ſumus pares, quia multum nos, & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepti nuper Sacerdotii honore ſupereminent, nec facilè quiſquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire*. Sic & nos ad hanc ſtare anchoram, navimque firmare tutiùs arbitramur. Sed de his ſatis: cùm difficultatem iſtam proprio loco diligentèr, & accuratè iterum ponderaturi ſimus.

DUBIUM IV.

An ſit de mente Concilii Tridentini, quòd liberum arbitrium conſtituatur per hoc, quod poſſit reſiſtere Gratiæ victrici, ſive ſe ipſa efficaci?

§. I.

Explicantur termini Canonis 4. Seſs. 6.

1. DAmnat Concilium eos, qui dixerint, *liberum arbitrium motum à Deo, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti*. Ac primò quidem illud ponderandum occurrit, quòd Concilium datâ operâ noluit in hoc Canone apponere: *Si quis dixerit, mentem hominis motam*, ut P. *Salmeron*, & nonnulli alii apponendum cenſebant; id conſtat ex Actis Concilii. Dixit: *Liberum arbitrium*; quòd ſi propriè loqui velimus, non ſolam rationem, ſeu mentem, quam illuminationibus, & illuſtrationibus moveri certum eſt; nec ſolam voluntatem importat: cùm & ipſa voluntas aliquando etiam ut natura operetur, ſed utramque facultatem, intellectum,

ctum, ut libertatis radicem, & voluntatem ipſam ſignificat; ſicque duplicem motionem, ſive gratiam ipſi ad agendum neceſſariam Concilium mox expreſſit, dum ſubdit: *Motum à Deo, & excitatum*: motum nempè ad agendum, ſicut etiam excitatum ad aſſentiendum. Loquitur ergo de motione illa, ſecundùm quam cauſæ ſecundæ etiam in ordine ſupernaturali, atque adeò & ipſum liberum arbitrium reali, & univerſali Dei dominio ſubduntur, Et cùm movere, & movèri ſint correlativa, & in inſtantaneis ſimul ſit moveri, ac motum eſſe, planè ſequitur Concilium loqui de libero arbitrio præmoto phyſicè, & efficacitèr. Et dum dicit, liberum arbitrium motum cooperari, loquitur ſanè de libero arbitrio ad agendum moto, cùm liberum arbitrium eſſe motum ad operandum, ipſumque operari eodem ſint momento; & cùm adſit motus, quò liberum arbitrium à Deo movetur, ſimul ſit motus, quô ſe movet, & operatur.

2. Hìc etiam maximè notandum, quòd liberi arbitrii cooperatio, & aſſenſus Deo vocanti, & excitanti, ipſaque ad gratiam juſtificantem prima diſpoſitio, nihil planè aliud ſunt, quàm actus illi, ad quos â Deo movetur, & excitatur. Sic dum liberum arbitrium movetur ad diligendum Deum ſuper omnia, illa ipſa dilectio Dei eſt cooperatio, eſt aſſenſus, eſt diſpoſitio, & præparatio: ita ut unus, & idem actus, ſub diverſo reſpectu has diverſas rationes nominum ſortiatur. Quatenus enim actus dilectionis elicitur à libero arbitrio, ut moto à Deo movente, & operante, dicitur cooperatio: quatenus elicitur à voluntate invitata à Deo oſtendente ipſi bonum per excitationem, & illuminationem, dicitur aſſenſus: quatenus verò idem actus elicitur à libero arbitrio moto à Deo per gratiam tanquam principium elevans ipſam voluntatem ad ordinem ſupernaturalem, eſt diſpoſitio, & præparatio ad gratiam juſtificantem.

3. Tandem aſſerit Concilium, *liberum hominis arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire, illuminationemque abjicere*. Ubi maximè in præſenti notanda ſignificatio propria illius verbi, *diſſentio*. Si *Ambroſium Calepinum* conſulas, ut in eum ſenſum, quem Grammatici præcipui ipſum uſurpant, intelligas, idem eſt, & ſignificat, ac *diversè, ſeu aliter, quam alii, ſentio*. Quod ſi iſtam à mero Grammatico nolis acceptare, nè videamus ipſorum ſignificationibus uti, dum Sacros Canones intelligere volumus, audi Theologorum Principem *D. Thomam* q. 6. de malo art. unic. ubi ſic proponit 14. argumentum: *Aſſentire pertinet ad intellectum, ſicut conſentire ad voluntatem; ſed aſſentire ſignificat motum in rem, cui aſſentitur; ſicut & conſentire in rem, cui conſentitur: ergo non magis eſt motus voluntatis ab anima, quam motus intellectus*. Cui argumento ſic *D. Thomas* reſpondet: ad 14. dicendum, *quod aſſentire non nominat motum intellectus ad rem, ſed magis ad conceptionem rei, quæ habetur in mente, cui intellectus aſſentit, dum judicat, eam eſſe veram*. Cum ergo propria ſignificatio illius verbi *diſſentio* ex oppoſito ad ly *aſſentio* accipienda ſit, idem erit diſſentire, atque contra conceptionem alterius ſentire. Quod ſi ly *diſ-*

ſen-

ſentire accipiatur ut contrarium ad ly *conſentire*, ſicut videtur docere *D. Thomas* 1. 2. q. 15. art. 2. ad 3. etiam eſt ſignificatio propria; nam 1. 2. q. 74. art. 1. ſic dicit: *Conſentire eſt actus appetitivæ virtutis, non abſolutè, ſed conſequens ad actum rationis deliberantis, & judicantis; in hoc enim terminatur conſenſus, quia voluntas tendit in id, quod eſt jam ratione judicatum: unde conſenſus poteſt attribui & voluntati, & rationi*. Ex quibus fit evidens, quòd conſentire nominat actum voluntatis, acceptantis objectum propoſitum ab intellectu: è contra verò diſſentire eſt actus voluntatis reſpuentis objectum ab intellectu propoſitum: & quòd verbum *diſſentio* in propria ſignificatione acceptum ſemper importat repugnantiam ad proprium judicium, at non ſemper ad extrinſecum ſuadentem, conſulentem, invitantem, aut præcipientem, ſed tunc tantùm cum accipitur contrapoſitivè ad verbum *aſſentio*. In hoc ultimo ſenſu accipi à Concilio eſt mihi argumento, & quidem manifeſto; nam poſtquàm in prima parte Canonis damnat eos, qui dicunt, arbitrium nihil cooperari, ſtatim explicat, in quo ſita ſit hæc cooperatio, & ait: in eo eſſe, quòd aſſentit *Deo excitanti, atque vocanti*, Undè cùm in ſecunda parte Canonis definit *poſſe diſſentire*, non dubitandi relinquitur locus, quòd verbum *diſſentio* uſurpat, ut contrapoſitum ad verbum *aſſentio*. Quæ acceptio eſt propriiſſima, & eſt ſenſus; liberum arbitrium aliquid cooperatur, cùm aſſentit Deo excitanti, atque vocanti; poteſtque, ſi velit, diſſentire Deo excitanti, atque vocanti.

4. Tertiò etiam animadverſione dignum arbitramur pro intelligentia textus Concilii, multiplicem gratiam auxliantem fuiſſe hîc à Concilio aſſignatam, quas omnes gratias ad prævenientem pertinere conſtituit. Nam cap. illo 5. in primis mentionem fecit gratiæ vocantis, ſive gratuitæ vocantis, his verbis: *Hoc eſt ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*. Deindè meminit gratiæ excitantis, & gratiæ adjuvantis: nam ait: *Per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam*. Tertiò aſſignat gratiam illuminantem, ibi: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem*. Quartò ponit gratiam inſpirantem, ſeu inſpirationis, dùm ait: *Inſpirationem illam recipiens*. His addit Can.4. gratiam moventem, dicens: *Liberum arbitrium à Deo motum*, motum utique per illius gratiam. Igitur ex Concilio habentur gratia excitans, gratia vocans, gratia illuminans, gratia inſpirans, gratia adjuvans, gratia movens. Duæ priores, nimirùm excitans, ac illuminans, ſine dubio pertinent ad intellectum, nec de hoc ulla poteſt eſſe controverſia. Gratia inſpirans maximè ad voluntatem, idque vox ipſa inſpiratio præſeferre videtur, ut conſtat 1. p. q. 27. art. 4. ubi proceſſio Spiritûs Sancti ſive impulſus à voluntate procedens dicitur ſpiratus, & illius proceſſio vocatur ſpiratio. Aliquando tamen ſignificare videtur motionem receptam: nam dicitur *Job* 39. *Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam*. Gratia efficaciter movens, & adjuvans necnon & gratia vocationis quæ eſt ſecundùm propoſitum efficax potiſſimum ad voluntatem pertinent. Omnia hæc compre-

prehendit D. *Thomas* 1.2. q.109. art.2. in fin. corp. art. 3. & art. 6. ubi de gratia, quâ voluntas hominis præparatur ad juſtificationem, de qua in citatis locis loquitur Concilium, inquit S. Doctor: *Oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animam moventis*. Et in fine ipſius articuli: *Unde patet, quòd homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum, niſi per auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis*. Inſuper neceſſitas ſpecialis motionis voluntatis præter gratias pertinentes ad intellectum patet; quia per peccatum primi hominis majus vulnus illatum fuit voluntati, quàm intellectui: tùm etiam quia, ut optimè *Auguſtinus* dixit contra *Pelagium*, ridiculum eſt, quòd homo indigeat auxilio ad capeſſendam ſcientiam, quæ inflat, & non ad habendam charitatem, quæ flatum comprimit ſcientiæ. Nec minus eſt certum, prærequiri gratiam in intellectu; cùm damnaverit ſacroſancta Synodus Calvinum, hanc gratiam ad intellectum pertinentem putidè negantem, & ſolùm gratiam efficaciter moventem concedentem, atque adeò rapientem, & neceſſitantem voluntatem; ſicut è contra damnavit Pelagii errorem, qui gratiâ intellectus conceſsâ gratiam negavit voluntatis, & effectricem, ut ſtatim dicendum.

5. Illud etiam quartò diligenter obſervandum, qùòd omnes iſtæ gratiæ inter auxilia gratiæ prævenientis à Concilio computantur, quod ex verbis Concilii fit manifeſtum. Etenim in cap. 5. agit de gratia, quâ Deus nos prævenit, ut convertamur. Hoc ex titulo, & ex contextu capitis probatur. Titulus capiti præfixus ità habet: *De neceſſitate præparationis ad juſtificationem in adultis, & undè ſit*. Ly, *unde ſit*, ſatis ſuperque demonſtrat, toto in capite ſermonem eſſe de gratia præveniente: quarè ſtatim nos docet, à Dei, per *Jeſum Chriſtum*, præveniente gratiâ exordium juſtificationis ſumi in adultis. Quam prævenientem gratiam variis poſtmodum nominibus appellat, modò excitantem, modò vocantem, adjuvantem modò; ac in Can. 4. tandem moventem. Deinde in progreſſu capitis ait de peccatoribus: *Ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur*, ac præparentur. Et conſtat apertè, quòd gratia adjuvans, ut præparemur, præparationem ipſam prævenit. Prætereà caput concludit his verbis: *Cùm reſpondemus, converte nos Domine ad te; & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri confitemur*: ergo totius capitis doctrina procedit, & loquitur de gratia præveniente, cum qua gratiam adjuvantem connumerat. Ultimò conſtat ex verbis Can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Quibus verbis gratia adjuvans, ſive adjutorium gratiæ reponitur cum gratia præveniente. Quod & conſtat ex D. *Thoma* 1.2. q.109. per totam. Et ex illa *Auguſt.* ſententia: *Deus præparat voluntatem adjuvandam, & adjuvat præparatam*: & il-

& illam utique adjuvat, ut benè operetur, non quia benè operatur: ut velit, non quia vult. His ergo pro germana textus Concilii intelligentia poſitis, ſequens proponitur aſſertio.

§. II.

Poteſtas, quæ juxta Concilium eſt in libero arbitrio eſt poteſtas reſiſtendi, ac diſſentiendi Deo excitanti, atque vocanti.

6. UT certiùs, & ordinatiùs probetur Concluſio, repetenda eſt doctrina Concilii Tridentini, diſtinguentis in præſenti duplicem gratiam prævenientem: aliam, ut diximus, vocantem, excitantem, ſeu inſpirantem vocat, & aliam adjuvantem, ſeu moventem. Conſtat ex textu ipſius Concilii, tum in Canone 3. *Siquis dixerit, ſine Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio* &c. ubi gratiam inſpirantem, & adjuvantem diſtinguit. Et in Canone 4. *Liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo*. Et in cap. 5. *Per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam*. Et explicando inferiùs modum, quo homines ad juſtificationèm per gratiam hanc diſponuntur, dicit: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem*. (Ecce gratiam illuminantem:) *Neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam poſſit*. (Ecce gratiam moventem.) Et cap. 6. ubi agit de modo præparationis, ſic incipit: *Diſponuntur ad Divinam juſtitiam, dùm excitati Divinâ gratiâ, & adjuti liberè moventur in Deum*. Ubi, ut liberè moveantur in Deum, qui ad juſtificationem ſe diſponunt, exigit & gratiam excitantem, & Divinam gratiam, qua adjuventur: ſed ex Tridentino ſolùm habetur, quòd liberum arbitrium poteſt diſſentire gratiæ excitanti; non tamen habetur, nec niſi magnâ ſermonis improprietate haberi poterat, quòd poſſit diſſentire gratiæ voluntatem adjuvanti, vel moventi: ergo gratia, cui voluntas poteſt per diſſenſum reſiſtere, eſt gratia excitans, non verò gratia efficiendo movens. Minor ex ipſa littera Concilii fit evidens. Primò ex Cap. 5. ibi: *Neque homo nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt*. His ſanè declarat Concilium, quòd cùm Deus cor tangit per Spiritûs Sancti illuminationem, liberum arbitrium poteſt illam abjicere, illam ſcilicèt inſpirationem, illuminationem, ſeu gratiam vocantem, quâ *Spiritus Sanctus* tangit cor, de qua hoc aſſerit; quod nuſquàm de gratia adjuvante, aut efficaciter movente dictum à Concilio invenitur. De gratia namque vocante eſſe reſiſtibilem, conſtat ex illo: *Quia vocavi, & renuiſtis*, & ex parabola Cœnæ, ad quam plures invitati, &c.

7. Conſtat ſecundò ex ipſo Cap. 5. ubi ſic dicitur: *Ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando diſponant*. Ubi ly *aſſentiendo*, ad

ad gratiam retulit excitantem, ly *cooperando*, gratiæ adjuvanti adaptavit. Hoc quippè conſtructio exigit grammaticalis, & propria verborum ſuprà explicata ſignificatio. Propriè enim dicimur aſſentiri exhortanti, vel ſuadenti, illi verò non dicimur coöperari. Sicut è converſo, adjuvanti propriè dicimur cooperari, ac nonniſi impropriè diceremur, cooperanti aſſentiri. Moventi namque, & impellenti aliquando cedimus, quia non poſſumus obniti; aliquando reſiſtimus, quia viribus prævalemus; nunquàm tamen cum proprietate dicimur aſſentire, vel diſſentire, niſi cum motione, & impulſu ſit conjuncta ſuaſio, præceptum, vel adhortatio. Similiter adjuvanti propriè dicimur cooperari, quando in actu ſecundo juvamur: quòd ſi offertur adjutorium, & deſpicitur, propriè dicimur nolle cooperari: nunquam tamen propriè dicimur aſſentire, vel diſſentire, niſi ſuaſioni, & exhortationi: ergo ſi Concilium propriiſſimis verbis doctrinam tradens Catholicam uſum fuit expreſſionibus *aſſentio*, & *diſſentio*, quæ non aptantur congruè ad ſignificandam poteſtatem nitendi contra moventem, & adjuvantem, & quæ ſunt propriiſſima ad ſignificandam poteſtatem aſſentiendi, & diſſentiendi excitanti, atque vocanti; dicendum eſt, poteſtatem diſſentiendi, & abjiciendi aſſignatam à Concilio, adæquatè reſpicere, atque verſari, circa gratiam excitationis, vocationis, & illuminationis, necnon inſpirationis, quam homo poteſt abjicere; non verò circa gratiam efficaciter moventem, atque adjuvantem, ſecundùm quòd gratia hæc à reliquis diſtinguitur; aliquando namque moventis, & adjuvantis nomine ſignificatur.

8. Tertiò ex Can. 4. cujus ſi expendantur verba tot pro probanda concluſione erunt argumenta. Duo namque ex parte arbitrii poſuit Concilium, nimirùm & gratiam moventem, cùm ait, *à Deo motum*; & gratiam excitantem, cùm dicit, *& excitatum*. Deindè cùm accedit ad verbum *aſſentio*, quod contrarium eſt verbo *diſſentio*, gratiæ moventis non meminit, ſed gratiam commemorat vocantem, & excitantem, dicens: *Aliquid cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti*: ergo dùm aſſerit, poſſe diſſentire, proculdubiò ſubintelligendum, poſſe diſſentire excitanti, atque vocanti. Primò, nam illi poſse diſsentire docet, cui cooperatur aſsentiendo; ſed cooperari dicitur aſsentiendo Deo excitanti, atque vocanti: ergo Deo excitanti, atque vocanti dicitur poſſe diſſentire, ſi velit. Secundò, quia cùm aſsenſus, & diſsenſus ſint actus contrarii, eſt conſequens, ut circa idem ſit aſsenſus, circa quod & eſt diſsenſus; ſed aſsenſus juxta verborum proprietatem, & ipſum contextum Concilii eſt Deo excitanti: ergo Deo vocanti liberum arbitrium poteſt diſſentire, minimè tamen gratiæ moventi, & adjuvanti. Tertiò: quia hæc rectè obſervavit P. *Petavius* de Præd. lib. 10. cap. 16. num. 1. dicens: *Nunc illud breviter adſtruimus, contra hanc Calvini, ac cæterorum Hæreſim ſatis proſpexiſſe Catholicæ Fidei, ac Theologiæ Tridentinos Patres Seſs.* 6. *Can.* 4., *dum ita decreverunt, ſuas eſſe libero arbitrio partes agendi in negotio fidei, ac juſtitiæ; ac ſic cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque*

vocanti, ut poſſit diſſentire, ſi velit. *Hâc enim tanquam ſecuri, falſa illa Calvini ſucciditur Hæreſis, quæ nullam eſſe gratiam putat excitantem, ac vocantem, à qua diſſentire, ſi velit, homo poſſit: adeoque, quod Molinæus inde concludit, nullam eſſe ſufficientem ſolùm.* Hanc inſuper eſſe mentem Concilii deducitur ex his, quæ ex Actis ejuſdem Concilii refert ſapientiſſimus M. *Lemos*, qui acta Concilii, Romæ ex particulari commiſſione ſe vidiſſe ait. Hic lib. 4. p. 1. tract. 7. cap. 20. aſſerit, quòd in Congregatione die Lunæ 28. Junii fol. 9. pag. 2. fuit in reſponſione Theologorum communi ſuffragio deciſum: *Ex parte Dei requiritur concurſus, non ſolùm generalis, ſed etiam ſpecialis, qui non deſtruit, ſed perficit liberum arbitrium. Ex parte noſtra requiritur bonus motus voluntatis, & non reſiſtere Deo moventi.* Et in Congregatione Generali die Veneris 9. Julii fol. 43. pag. 2. ſic dicitur: *Homo miſericorditer prævenitur à Deo gratia ſua, quæ primum excitat ad fidem, huic autem vocationi poteſt homo adjutus obedire, & reniti.* En ubi expreſsè diſtinguit adjuvantem gratiam à gratia vocante, & quòd poteſt huic vocationi obedire, & reniti, non tamen adjutorio, quod ad obediendum exigitur.

9. At hìc, candide Lector, te obſervare velim modum loquendi tam in præcitato canone, quàm cap. 5. ubi ſic legitur: *Ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ aſſentiendo, & cooperando, diſponantur.* Hìc cùm primùm appoſuerit Concilium gratiam excitantem, quàm adjuvantem, priùs declaravit liberè aſſentiri, quàm liberè cooperari. At doctrinam illius capitis reducens ad laudatum Canonem, cùm priùs poſuerit gratiam moventem, ſeu adjuvantem, quàm excitantem, dicens *liberum arbitrium motum, & excitatum*, priùs poſuit cooperationem, quæ correſpondet adjuvanti, quàm aſſenſum, qui correſpondet excitanti; nec dixit, liberum arbitrium cooperari gratiæ moventi, & excitanti, itaut aſſenſus ſit ei duplici gratiæ poſitæ ex parte ſubjecti, per ly *motum, & excitatum*, ſed ſolùm cooperari aſſentiendo excitanti, atque vocanti, ut probat communis loquendi modus; nullus quippe dicit, quòd adjuvanti aſſentitur, ſed quòd adjuvanti cooperatur; nullus, quòd ſuadenti cooperatur, ſed quòd ſuadenti aſſentitur: quarè gratiæ efficaci cùm non correſpondeat aſſenſus, nec liberè, nec neceſſariò ei aſſentimur. Enimverò diverſæ ſunt propoſitiones iſtæ: *Voluntas cum gratia efficaci liberè aſſentitur*, quæ de fide eſt: *Voluntas gratiæ efficaci liberè aſſentitur*, quæ propoſitio ex falsa ſuppoſitione procedit: ſicut enim voluntas cum libertate conſentit, & non libertati, cum voluntate aſſentimur, & non voluntati; ita cum gratiâ efficaci aſſentimur, non tamen gratiæ efficaci: ergo dum Concilium duplicem explicat gratiam, adjuvantem, & excitantem, ſimulque cooperationem, & aſſenſum; ut in proprio ſenſu intelligatur Concilium, cooperatio correſpondet adjuvanti, & aſſenſus excitanti.

10. Quid namque intereſt, quòd ex parte ſubjecti ſe teneat gratia tam

tam excitans, quàm adjuvans? Cùm potentia ad objectum componatur cum toto ſubjecto, licèt actus aſſenſus non ſit conjungibilis cum omni actu ſubjecti. Hoc videre eſt in iſtis propoſitionibus, quæ ſunt abſolutè diviſæ, ſicut eſt propoſitio Concilii: *Corpus album, & quantum poteſt eſſe nigrum*: ubi poteſtas ad nigredinem componitur cum toto ſubjecto, licèt nigredo conjungibilis ſit cum aliquo actu ſubjecti, ſcilicet cum corpore quanto, non tamen cum albedine. Etiam verum eſt dicere, quòd *materia quanta ſub hac forma poteſt informari aliâ formâ*; Et tamen licèt potentia ad habendam formam componatur cum toto ſubjecto, actus hujus poteſtatis ſolùm eſt componibilis cum materia quanta, non tamen cum materia ſub hac forma. Sic in præſenti dicimus in iſta: *liberum arbitrium motum, & excitatum poteſt diſſentire*, quòd diſſensûs poteſtas componitur cum toto ſubjecto, nempe cum libero arbitrio moto, & excitato, licèt actus diſſenſus conjungibilis ſit ſolùm cum aliquo ex parte ſubjecti ſe tenente, ſcilicet cum gratia excitante, non tamen cum omni actu ſubiecti, nempe cum gratia efficaciter adjuvante, cui ſolùm correſpondet cooperatio.

11. Sed dices, quòd aſſenſus correſpondet etiam gratiæ moventi; hæc enim habet veram rationem vocantis, ut expreſsè docet D. *Thomas* 1. 2. q. 113. art. 1. ad 3. dicens: *Vocatio eſt auxilium Dei interiùs moventis, & excitantis mentem ad deſerendum peccatum*. Unde & ibi definit vocationem per auxilium Dei moventis, & excitantis. Et in 4. diſt. 27. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. *Vocatio interior nihil aliud eſt, quàm inſtinctus, vel motus ad bonum à Deo immiſſus*. Et ad *Rom.* 8. lect. 6. *Vocatio eſt mentis inſtinctus, quô homo movetur à Deo*: ſed gratia adjuvans ab intrinſeco efficax, quoad ſui eſſentiam eſt inſtinctus, motus voluntatis ad bonum, & auxilium Dei interiùs moventis: ergo eſt propriè interior vocatio, cui correſpondet aſſenſus, ſicut dicit D. *Thomas* loco citato ad *Rom. In his ſignificatur vocatio interior, quia cor noſtrum non ſe converteret in Deum, niſi Deus nos ad ſe traheret, & hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia ei aſſentiunt*. Cui conſonat D. *Auguſtinus* lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 16. diſtinguens duplicem vocationem, unam, quâ vocati fuerunt *Judæi*, qui noluerunt venire ad *Chriſtum*, alteram, quâ vocantur electi. Et rurſus, per hanc vocationem, quæ nempè eſt ſecundùm propoſitum Dei, fuit homo credens, & credidit; quia aſſenſum præbuit: ergo non ſolùm gratiæ excitanti, ſed & adjuvanti aſſentimur. Idem deducitur ex *Concilio Moguntino* cap. 7. de juſtificat. dicente: *Talis autem juſtificationis initium ex Dei gratia provenire, quâ ante omne meritum, dùm adhùc inimici, & peccatores ſunt, excitati, & adjuti, eidem gratiæ ſic excitanti, & adjuvanti conſentientes, & operantes ad juſtificationem diſponuntur*. Et *Concilium Colonienſe*, quod celebratum fuit poſt ſeſs. 6. in tract. de pœnit. ſic dicit: *Duplex eſt gratia, una, quâ Deus prævenit peccatorem, ut reſurgat, altera verò, quâ peccator prævenienti Deo aſſentiens reſurgit*. Quibus verbis aſſenſum gratiæ prævenienti, & adjuvanti utrumque Concilium affirmat.

 12. Re-

12. Reſpondetur cum SS. M. *Lemos* lib. 4. p. 1. tract. 7. num. 376. Vocationem quoad ſui eſſentiam adæquatè conſiſtere in gratia excitante, & ſolùm denominari efficacem vi gratiæ prædeterminantis, quâ præveniente determinatur voluntas ad actum ſalutarem, ad quem vocatur. Unde inquit: *Vocatio autem efficax, ſicut duo ſonat expreſsè & vocationem, & efficaciam, ita vocatio, quæ in excitatione eſſentialiter conſiſtit, habet ſibi adjunctam efficacem gratiam adjuvantem, per quam & ipſa vocatio ſuum ſortitur effectum, & efficax fit, ac efficax redditur, quam eſſe expreſſam ſententiam D. Auguſtini, infra agentes de efficacia gratiæ, ex plurimis teſtimoniis ejuſdem S. Doctoris dabimus manifeſtum*. Hæc M. *Lemos*. Non aliter, ac in hoc complexo *vocatio congrua* duo includuntur, & id à quo provenit, quod ſit vocatio, & aliud, ex quo ſit, quod ſit congrua: ſic *vocatio efficax* utrumque complectitur, & motionem ſufficientem, quæ eſt ipſa vocatio, & gratiam adjuvantem efficacem, quâ redditur efficax. Hoc eſt, quod S. *Thomas* dicit, & de hoc nemo Catholicus dubitat. In præſenti autem controverſia non loquimur de motione ſufficiente, quam nemo dubitat eſſe reſiſtibilem; ſed de efficaci, quâ Deus dat, ut non reſiſtatur.

13. Secundò probatur Concluſio efficaciſſimo argumento ex ipſa doctrina Concilii. Inconjungibile eſt cum diſſenſu auxilium gratiæ voluntatem efficaciter adjuvantis ad conſenſum; ſed hoc auxilium eſt auxilium gratiæ voluntatem prævenientis ad conſenſum: ergo datur auxilium gratiæ voluntatem prævenientis ad conſenſum inconjungibile cum diſsenſu; ſed non eſt inconjungibilis gratia excitans: ergo ſolùm gratia efficacitèr adjuvans eſt inconjungibilis cum diſſenſu; ſed gratia inconjungibilis cum diſſenſu eſt gratia, cui nequit reſiſtere voluntas: ergo gratia irreſiſtibilis (per quam Deus dat conſentire) eſt gratia efficaciter adjuvans. Min. primi diſcursûs eruditiſſimè demonſtat M. *Lemos* loco citato cap. 17. ubi aſſerit, quòd defenſores concursûs indifferentis, qui cauſam Societatis agebant, illam apertè confeſſi fuerint: ſic ille: *In ſumma, hujus doctrinæ defenſores hoc jaciunt fundamentum, quia vident, quòd ſi adjuvantem gratiam etiam prævenientem conſtituant, ac excitantem, penitùs illorum doctrina ruit, & efficacia auxilii prævenientis gratiæ, prout venit à Deo manifeſtè firmatur: adeò enim hoc eſt manifeſtum, ut aliquando qui hanc defendebant doctrinam, ſponte conſenſerint, quòd ſi adjuvans gratia, qua ratione diſtinguitur ab exercitante, convinceretur eſſe præveniens, etiam convinci, & nullo modo poſſe negari efficaciam prævenientis gratiæ, ut venit à Deo independenter à noſtra cooperatione arbitrii, & auxilium phyſicè prædeterminans. Unde quâ ratione negant auxilium gratiæ verè efficienter prædeterminans voluntatem ad actum, negant adjuvantem gratiam eſſe prævenientem, argumenta opponunt contra illam*. Hæc ille: de cujus teſtimonii veritate non dubitabit, qui doctiſſimi hujus viri pietatem cum ſumma Sapientia conjunctam perſpectam habuerit: necnon fundamenta, quibus innititur toto illo citato capite. Major ergo

in-

intellecta de gratia adjuvante, & reipſa dante conſenſum, negari non poteſt. Sicut enim verba iſta *aſſentio*, & *diſſentio* important compoſitionem actus cum gratia vocante, ita verbum *adjuvo* importat actum adjuvantis compoſitum cum alterius cooperatione. Non enim ſtat *Petrum* juvare me reipſa, & quòd ego *Petro* juvanti non cooperer. Aliud quippe eſt adjutorium oblatum, aliud verò reipſa juvare me: illud componitur cum carentia operationis, hoc verò ab operatione nec ſeparatur, nec ſeparari poteſt: ergo nec gratia adjuvans voluntatem ad conſenſum ſalutarem valet à tali conſenſu ſeparari. Unde *Paulus* ad *Rom.* 8. cùm dixiſſet: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, ſtatim intulit effectum hujus adjutorii ſubdens; *ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis*, id eſt poſtulare nos facit, nempè quia gratia adjuvans ad poſtulandum à poſtulatione ſeparari non poteſt.

§. III.

Quædam ab Ortizio, *&* P. Araujo *objecta diluuntur.*

14. URget Caducifer contra modò dicta pag. 300. num. 89. his verbis: *Verùm hæc cogitatio multipliciter diſplicet: tùm quia ſcrupuloſa hæc Grammaticatio, & ſensûs partitio, apud ſuos etiam hactenùs inaudita, clara dant ſigna commenti, potiùs quàm legitimi Commentarii; tùm quia ſtylus Conciliaris fert, ad dogmata declaranda, eandem rem variis vocibus propriis, vel affinibus explicare, v. g. vocando gratiam prævenientem inſpirationem, illuminationem, vel adjutorium &c. Quarè planiſſimum Concilii textum tàm aridâ Grammaticatione interſecare, potiùs eſt tricari juſto plus Grammatiſmis, quàm Concilium pro merita gravitate intelligere &c.* Hìc jam ego Lectores obſecro, ut expendant, & judices eſſe velint, uter noſtrûm *Concilium Tridentinum* pro dignitate exponat. Prætendit *Caducifer* diverſas illas voces, quibus Concilium utitur, omninò eſſe ſynonymas, & non aliam ob cauſam adhibitas, niſi ob elegantiam ſermonis; cùm juxta ipſum, omnes illæ voces unum, & idem ſignificent, adeòque diverſitas illa non aliò tendit, præterquàm ad finem dictum. Ego verò exiſtimo latere aliquid rei ad Theologiam ſpectantis ſub iſta vocum diverſitate, nec ad ſolam elegantiam, ſed vel ad diverſas res, vel ejuſdem rei diverſa munia explicanda, fuiſſe adhibitas. Sanè proprietas ſermonis nedùm in Grammatico, ſed in Theologo etiam plurimùm ſolet commendari. Sic *Innocentius VI.* in ſerm. de laud. *S. Thomæ* dicit: *Hujus Doctoris doctrina præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum &c.* Ipſe quoque *Caducifer* pag. 239. in M. *Maſſoulié* laudat ſermonis proprietatem, his verbis: *Nam eſt in ſuo argumento uber, atque ſubtilis, in conatibus pius, in ſtylo, proprietate, & elegantia benè temperatus, gravitate, & modeſtiâ non vulgaris.* Non eſt autem Conciliis ſpeciali aſſi-

aſſiſtentiâ Spiritûs-Sancti directis negandum, quod in Auctoribus laudamus. Sic ergo ego mecum ſtatuo: *Concilium Tridentinum* non fruſtrà, ſed gravibus de cauſis eas diverſas voces uſurpaſſe, ſcilicèt, ut diverſa gratiæ munera expreſſiùs indicaret; oſtenderetque gratiam non ad ſolum intellectum, ſed ad voluntatem ipſam hominis penetrare, eamque immutare intimè. Cùmque Theologi munus ſit, non nova tradere, ſed à Scriptura, Conciliis, Patribus tradita rimari, & exponere, nullus, puto, æquus rerum æſtimator mihi vitio vertet, quòd hâc ſpeculatione mentem Concilii Tridentini clariùs expoſuerim; licèt etiam nullus ante me hoc eodem modo feciſſet. Quid, an ego ſolus ſapio? Qui ſequor doctiſſimos Thomiſtas idem propugnantes; qui ſic aperio ſenſum Concilii, ut aliorum ejuſdem Scholæ Theologorum mentem non rejiciam, qui quoad rem ipſam mecum in hoc conveniunt? Inſpiciamus, obſecro, intentionem Tridentinorum Patrum, & fortè non adeò diſplicebit expoſitio mea, quâ rem antiquam expoſui novo modo, quod teſte *Vincentio Lirinenſi* Theologi Catholici munus eſt. *Tridentinum* ergo, nedùm hæreſim Lutheri proſternit, ſed *Pelagii* quoque, ac ſequacium ejus, olim condemnatam doctrinam, denuò condemnat. Nihil enim ſub Sole novum: & antiquæ etiam hæreſes dudum ſepultæ aliquandò reſuſcitantur. Id quod tùm maximè uſu venire poſſet, dum nova hæreſis profliganda, antiquæ alicui damnatæ ex adverſo opponitur. Fit enim ſæpè, quòd qui unum extremum cupiunt declinare, in aliud oppoſitum incidant: cujus rei exempla lugubria Hiſtoriæ abundè ſubminiſtrant. Nè ergo impugnantes Theologi Lutheranam hæreſim, è diametro *Pelagii* hæreſi oppoſitam, in hanc, nimio prioris odio, incurrerent; prudentiſſimè judicavit, renovanda eſſe fulmina olim contra *Pelagium* vibrata. Et fortè PP. Tridentini reflexerant, jam aliquos è Theologis *Lutheri* oppugnatoribus plus juſto in aliud extremum declinaſſe. Igitur ut tali periculo tempeſtivè occurreret, eam doctrinam propoſuit, quâ ritè, ut decet, obſervatâ, ſervaretur medium veritatis, æqualiter extremis erroribus oppoſitæ. Si jam ad dogmata *Pelagii* oculos convertimus, inveniemus neceſſe fuiſſe, ut diverſis terminis Concilium mentem ſuam aperiret. *Pelagius* enim vel non admiſit ullam gratiam interiorem, ut aliqui exiſtimant; vel ſi admiſit tandem interiorem gratiam, prout graves quoque Auctores ſuſtinent, eam ſolùm ad intellectum immediatè pertinere contendit.

15. Mentem *Pelagii* aperiunt nobis illa ejus verba, quæ refert S. *Auguſtinus* lib. de grat. Chriſti cap. 10. *Operatur*, inquit *Pelagius* ibi, *in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum ſollicitatione ſuccendit; dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei* STUPENTEM SUSCITAT VOLUNTATEM; *dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt*. Quid elegantius? Quid ſpecioſius? Non minùs eleganter de gratia Jeſuiticæ ſcholæ loquitur *Ortizius*. Nam, ut infrà videbimus, prætendit eam ad fundum uſque volun-

voluntatis penetrare. Sed ulteriùs affirmat, quòd in ſententia Jeſuitarum intellectus & voluntas non ſint duæ potentiæ realiter diſtinctæ, ſed una & eadem. Non eſt ergo duplex gratia, una ad intellectum, altera ad voluntatem ſpectans, neceſſaria; ſed una ſufficiet, cùm ſit una tantum potentia: vel ſi mavis, gratia, quæ immediatè afficit intellectum, mediatè afficiet voluntatem, ſi dicatur intellectus & voluntas virtualiter diſtingui. Hoc an ſufficienter recedat ab errore Pelagii, alii judicent. Atque hæc cauſa fuiſſe videtur, cur ſapientiſſimi, ac prudentiſſimi PP. Tridentini diverſis vocibus *inſpirationis*, *illuminationis*, *vocationis*, *adjutorii*, *aſſenſus*, *conſenſus &c.*, quæ reſpectivè ad intellectum pertinent, vel voluntatem, uti voluerint. Undè non ad ſolas Grammaticæ regulas, juxta quas voces mutari identidem debent, licèt nihil diverſitatis in re ſignificata interveniat; ſed ad diverſa munia gratiæ, vel potiùs ad diverſas gratias, quarum aliæ intellectum illuminant, aliæ affectum inflammant, *vocant*, *excitant*, *operantur*, *cooperantur*, *adjuvant*, *corroborant*, *&c.* reſpexerunt.

16. Judicet nunc æquus Lector, an non omnino veriſimile ſit, ſub his Tridentini vocibus *aſſentire*, *cooperari*, *diſſentire*, *abjicere*, latere aliquod myſterium à Theologo meritò obſervandum? Judicet quoque, quis his Grammatiſmis ludat, an ego, an Caducifer; qui nihil diverſitatis, quoad rem ſignificatam, in his vocibus eſſe contendit, ubi ego proprium unicuique voci ſignificatum tribuo. Immò ipſe *Caducifer* in ſe ipſum jam ſententiam tuliſſe videri poteſt, dum pag. 311. poſtquàm dixiſſet, & graviter quidem, gratiam ſufficientem Thomiſticam ſufficientem eſſe, & non ſufficientem, ſubjungit. *Neque frangitur, dicendo, id eſſe de ſufficientia Grammaticè ſumpta, non verò Theologicè. Nam hìc eſt tota lis de conceptu ſignificato per vocem, non de ipſa voce, quæ attinet ad Grammaticam, & quæ unicâ tantùm pollet ſignificatione* (quod tamen falſum eſt) *cunctis notiſſima*. Igitur ſi Tridentini PP. utendo diverſis illis ſupra memoratis vocibus, ad ſolam vocem attenderunt, non diverſam rem ſignificatam, aut ad diverſa ejuſdem rei ſignificatæ munia, jam omninò ornatûs Grammaticalis, non rei Theologicæ gratiâ, illæ diverſitati ſtuduerunt. Eadem ſit reſponſio P. *Araujo*, qui num. 266. objicit mihi Grammaticiſmum. Verùm ille aſſertionem noſtram uſurpat, & diſcutit, in ſenſu alio, non in ſtricto illo, quo ipſam propugnamus verè Theologico, in quo evidentiſſimum eſt locutionem Concilii non eſſe tantùm de nomine, ſed de re. Magis mirandum videtur, quod aſſerit pag. 332. *Rejicitur cujuſdam recentioris Tridentino innixa cogitatio*: mea nempe, ut apertè ſe explicat in Indice pag. 287. ubi colum. 1. legitur: *Rejicitur cogitatio P. Benitez innixa Tridentino*: quod dictum mihi, fateor, mirabile viſum eſt. Quid, inquiebam, rejicit Auctor iſte ſententiam innixam Tridentino? Annè cogitatio innixa regulæ Fidei rejici valet? Hoc ipſi attentiùs perpendendum relinquo.

17. Falſitatis etiam apertè arguit P. *Araujo* diſput. 5. de grat. act. num. 265. Magiſtrum *Lemos*; à me citatum num. 13.; his verbis: *Nota ta-*

tamen primò, illum aſſerere (de me loquitur) *diſp.* 1. *dub.* 2. *num.*10. *noſtros AA. in diſputationibus de Auxiliis affirmaſſe gratiam adjuvantem, ſi diſtinguitur ab excitante, non poſſe non eſſe efficacem independenter à noſtro arbitrio, & eſſe auxilium prædeterminans. Et hoc probat ex hiſtoria P. Lemos ibi citati, qui id poſteris ſcriptum reliquit. Totum hoc eſt falſum; neque enim PP. ſapientiſſimi idem concederent. Quidquid ſcripſerit Lemos, cujus hiſtoriam de Auxiliis ſimul cum aliis ejuſdem ponderis, nullam omninò habere fidem ſolemni Conſtitutione declaravit Innoc. X., & à quoquam allegari vetat. Verba ejuſdem Conſtitutionis tranſcripſit P. Levinus ſub nomine Theodorus Eleutherius in Præfatione artic.* 10. Verùm minùs ſcitè, ne dicam inconſideratè, hæc ſcripſit præfatus Auctor. Non enim reflectit, quòd verba à me adducta non fuerint deſumpta ex hiſtoria M. *Lemos*, ſed ex ejus Panoplia gratiæ, quam prohibitam, aut fide indignam fuiſſe declaratam non habetur ex Conſtitutione *Innocentii X.*, ut conſtat ex ejus tenore. Nec eſt, quòd P. *Levinum* verba ejuſdem Conſtitutionis tranſcribentem adeamus. Propriùs adeſt *Ortizius*, qui pag. 450. refert Litteras Apoſtolicas *Innocentii X.* datas die 25. April. ann. 1655. tenoris ſequentis: *Cæterùm cùm tàm Romæ, quàm alibi circumferantur quædam aſſerta manuſcripta, & forſan typis excuſſa Congregationum habitarum coram fel. record. Clemente VIII. ac Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis divinæ gratiæ, tàm ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fr. Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum, & Theologorum, qui, ut aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus; necnon quoddam autographum, ſive exemplar cujuſdam aſſertæ Conſtitutionis ejuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de Auxiliis, ac damnatione ſententiæ, ſeu ſententiarum Ludovici Molinæ Soc. Jeſu; eadem Sanctitas ſua præſenti hoc decreto declarat, ac decernit prædictis aſſertis Actis tam pro ſententia Fratrum Ordinis S. Dominici, quàm Ludovici Molinæ, aliorumque Soc. Jeſu Religioſorum, & autographo, ſive exemplari prædictæ aſſertæ Conſtitutionis Pauli V., nullam omninò fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu à quocumque alio allegari poſſe, vel debere; ſed ſuper quæſtione prædicta obſervanda eſſe Decreta Pauli V. & Urbani VIII. ſuorum Prædeceſſorum.* Hæc Summus Pontifex.

18. Quis hìc non videat nullam fieri mentionem de Panoplia gratiæ, ſed ſolùm de *Actis* editis in lucem, ſub nomine *Franciſci Pegnæ*, & Fr. *Thomæ de Lemos* Ordinis Prædicatorum! At cùm ex his verbis prætendant *Ortizius*, & *Araujo* conſequens eſſe, ut aſſerit num. 2., *in prædictis Litteris ejuſmodi Acta nedùm exauctorari, & quaſi paterno ſolo juſſu conſepeliri, nè foverentur rixæ inter Fratres; ſed & falſa, vel apocrypha recenſeri, cùm ibi dicat Pontifex, nullam omninò iis fidem eſſe adhibendam: Quæ quidem verba à Judice ſupremo, & judiciali more prolata manifeſtè exuunt Acta prædicta non minùs fide hiſtoricâ, quàm juridicâ.* Hìc venit obſervandum, an præfata

Acta,

Acta, quæ hujuſmodi Decreto privata eſſe, ac cenſeri fide juridicâ, ita ut nec ab alterutra parte, ſeu à quocumque alio allegari poſſint, ut ait Pontifex, ſcilicèt *in judicio*, etiam carere fide hiſtoricâ declaret Summus Pontifex. Hoc ſecundum nullus, ut opinor, æquus rerum æſtimator dicet. Primùm, quia non ſolùm Acta pro ſententia Fratrum Ord. S. Dominici, verùm etiam quæ pro *Ludovici Molinæ*, aliorumque Soc. Jeſu Religioſorum circumferebantur, hìc notata videmus; ſed implicat utriuſque partis Acta, utpotè contradictoriè in multis oppoſita eſſe ſimul hiſtoricè falſa: igitur hìc non de fide hiſtorica, ſed de fide juridica agitur, quâ utriuſque partis Acta ſpoliantur. Secundò, non eſt veriſimile, quòd *Innocentius X.* virum honoratiſſimum *Franciſcum Pegna* Rotæ Romanæ Decanum, qui controverſiis interfuerat, voluerit definire mentitum. Hoc autem dixiſſet, caſu quo voluiſſet hiſtoriis pro Dominicanis editis omnem fidem, etiam hiſtoricam, adimere.

19. Tertiò, dum Pontifices aliquibus Actis, & hiſtoriis falſis repertis omnem fidem, ideſt tàm juridicam, quàm hiſtoricam, adimere volunt, tunc nedùm declarant nullam fidem eis eſſe adhibendam, ſed ſimul Acta illa, vel hiſtorias condemnant, ſeu prohibent. Conſtat id ex facto *Alexandri VII.* relato ab ipſo Caduceatore pag. 252. num. 2. ſcilicèt *Alexander* folia quædam impreſſa anno 1657. ſub titulo: *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque propoſitiones ab Innocentio X. ſelectorum ſuffragia, ſeu ut appellant, vota, Summo Pontifici ſcripto tradita*, prohibuit; unde in Indice prohibitorum pag. mihi 104. verſ. *Folia quædam .... titulus: Tredecim Theologorum &c.* repoſita ſunt; ac inſuper declaravit, ac decrevit, iis tamquam *apocryphis* nullam fidem eſſe adhibendam, nec à quoquam allegari poſſe, & debere. Siquidem *Alexander VII.*, fatente Caducifero, antequàm illis ſuffragiis fidem penitùs derogaret, fecerat in archivio S. Officii collationem cum autographis anno 1657. die 1. Junii, & invenerat talia ſuffragia fuiſſe corrupta: idem ſanè facturus *Innocentius X.*, ſi Acta *Pegnæ*, *Lemos*, & aliorum voluiſſet penitùs fide vacua declarare, quod cùm factum non ſit, manifeſtè ſequitur ſolùm voluiſſe ea ſcripta privare fide judiciali, & authenticâ: præſertim, cùm à viris honoratiſſimis Acta Congregationum fuerint conſcripta, & qui Congregationibus interfuerant; quos non leviter Pontifex declaraſſet mendaces, ſed factâ diligenti verorum Actorum cum eorum ſcriptis collatione.

20. Quartò: multa, ne dicam omnia, quæ *Pegna*, *Lemos*, & alii de ipſis Congregationibus narrarunt, & ſcriptis commendarunt, inventa ſunt poſtmodùm, ex adverſariorum, vel Scriptorum eis faventium teſtimonio vera. Dici ergo abſque dedecore, ut mitiſſimè dicam, non poteſt, quòd *Innocentius* definierit omnia falſa eſſe, & quâcumque fide, etiam hiſtoricâ, vacua. Et quidem Conſultores, & Judices in illa famoſa diſputatione de Auxiliis inclinatos fuiſſe adjudicandæ liti PP. Dominicanis, ſummariè fatetur *P. Levinus de Meyer* in ſua de illis Congregationibus hiſtoria. Quod probabiliſſimum redditur eò

nempe, quòd PP. Dominicani ſollicitarunt, non ſemel, ſed ſæpiùs, ut ſententia promulgaretur: primò apud *Paulum V.*, oblatò ſupplici libellô ex parte Capituli Generalis *Romæ* congregati 12. Junii anno 1612., in quo electus Generalis fuit Fr. *Seraphinus Siccus*, quem ſubſcripſerunt tàm iſte, quàm omnes Provinciales, ac Definitores Capituli. Iterùm ſupplicarunt in eumdem finem ſub *Urbano VIII.* anno 1627., ac demùm ſub *Innoc. XI.* anno 1681. pro promulganda Auxiliorum definitione: quod hucùſque nec audivi, nec legi uſpiam Jeſuitas ſupplicaſſe.

21. Hoc robuſtiùs, & efficaciùs firmatur ex eo, quod Reverendiſſimus P. *Claudius Acquaviva* Generalis Soc. Jeſu, ſententiam de efficacia gratiæ ex libero arbitrio deſumenda, quàm defendit Molina, ejuſque propugnatores in Congregationibus de Auxiliis anno 1613., teſte *Tannero* Jeſuitâ, è Scholis, & Libris Societatis proſcripſit. Quarè extra controverſiam debet eſſe judicium Congregationis in Dominicanorum potiùs, quàm Jeſuitarum ſententiam propendiſſe. Adſunt hujus rei extranei teſtes nullomodò Dominicanis addicti. *Alexander Ziliolus* Societati valdè affectus lib. 4. rerum mirabilium ſui temporis. *Philippus Breſſius* Jeſuita in Annal. mundi, ſeu Chronico Univerſali tom. 7. ad ann. 1602. Et quòd ampliùs mireris, & magis ad rem noſtram probandam valet, ipſe P. *Levinus de Meyer* ſub titulo *Theodori Eleutherii*, qui, ut ipſe fatetur, Acta authentica illius Congregationis vidit, hiſtoriam ejus publicæ luci dedit: quam ſi conferas cum illa, quàm ſcripſit *M. Serrius* ſub nomine *Le-Blanc*, invenies *Meyerium* non niſi quinque puncta attigiſſe, & valdè debiliter. Primum de Epiſtola Cardinalis *Baronii* contra *Molinam*, quam tamen ſe vidiſſe teſtatur *Petrus Matthæus*. Secundum, an aliqua vox Gallica debuerit per *Le-Blanc* verti *videtur*, vel, *apparet*. Tertium de irreverentia *Molinæ* in *S. Auguſtinum*. Quartum de ſcripto aliquo Cardinal. *Madrucii*. Quintum de Beatificatione *Bellarmini*. Cætera vero tacendo probat. Quarè dicamus Auctoribus iſtis cum Sereniſſimo Principe *de Conty* in 2. reſponſ. ad P. *De-Champs*: *Scriptum Apocryphum dicere*, inquit, *idem profectò non eſt, ac ſuppoſititium declarare; ſed publicâ dumtaxat fide minùs dignum, minùſque authenticum, quòd publicâ auctoritate minimè prodierit. Atque id quidem Romæ prudenter admodùm fieri ſolet. At non id obeſt, quominùs ſcriptum ſuâ interim veritate fruatur*. Quamquàm nec illud etiam invidioſum *apocryphi* nomen uſurparit *Innocentius X.*, ſed aliâ longè mitiore phraſi utatur, quæ Actorum auctoritatem minùs elevet.

22. Notandum hìc etiam velim, quàm acriter pronuntiet Auctor iſte de conceſſione facta à Patribus Societatis in Congregatione de Auxiliis, quòd ſi datur gratia adjuvans præveniens conſenſum ſalutarem, negari non poteſt auxilium phyſicè prædeterminans, hanc apertæ falſitatis arguit his verbis: *Totum hoc eſt falſum, neque enim PP. ſapientiſſimi idem concederent*. Abſit ut ego eruditiſſimos Viros illos minùs ſapientes aut cogitare, aut dicere velim, qui vi ineluctabilis argumenti

ti victi hanc propoſitionem negare non potuerunt. Agebatur de efficacia prævenientis gratiæ, ut venit à Deo, & quâ ratione diſtinguitur ab excitante, quæ, ſi convincitur eſſe præveniens, & auxilium phyſicè prædeterminans debet concedi. Tum quia ſi datur gratia, quâ Deus adjuvet voluntatem, quæ ſit præveniens conſenſum voluntatis, conjungeretur infallibiliter cum tali conſenſu, cùm conſentiret voluntas adjuta à Deo. Sed gratia, quâ Deus adjuvat voluntatem, quæ eſt præveniens conſenſum, & diſtincta à gratia excitante connexa infallibiliter cum conſenſu, eſt gratia phyſicè prædeterminans; cùm ſit gratia efficax, ut venit à Deo, & independenter à cooperatione liberi arbitrii: ergo ſi datur gratia adjuvans præveniens conſenſum ſalutarem, ut diſtincta ab excitante, auxilium phyſicè prædeterminans debet concedi. Tum etiam, quia hoc adjutorium, utpotè diſtinctum à gratia excitante, non efficeret conſenſum purè moraliter, quia omnis ſuaſio, & inſpiratio moralis ad gratiam excitantem pertinet: ergo illum phyſicè efficeret; ſed gratia adjuvans, diſtincta ab excitante, præveniens conſenſum ſalutarem, & hunc phyſicè operans, eſt gratia phyſicè prædeterminans: ergo ſi gratia adjuvans, diſtincta ab efficaci prævenit conſenſum, eſt phyſicè prædeterminans ad conſenſum. Hæc igitur duo ita ſunt connexa, atque conjuncta, ut divelli, ac diſſociari non poſſint. Quarè mirandum profectò, quàm facilè, & acriter Scriptor iſte de conceſſione facta judicet.

§. IV.

Solvuntur argumenta ex oppoſito.

23 ARguitur primò: *Concilium Tridentinum* ſeſs.6. cap. 5. aſſerit, peccatorem per adjuvantem gratiam, illi liberè aſſentiendo, & cooperando, ſe ad juſtificationem diſponere liberè, quippe qui illam abjicere poteſt. Et Can.4.hæc habet: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet; neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Ex quibus verbis hoc conficitur argumentum. Peccator, quia liber eſt, poteſt vocationi, & motioni Divinæ reſiſtere (quod etiam ſignificatur per ly *abjicere*; etenim abjicere vocationem eſt diſſentiendo, quaſi eam deſpicere, parvipendere, & abjectè tractare:) ergo motio, cui reſiſtere non poteſt voluntas deſtruit libertatem arbitrii; ergo de ratione indifferentiæ arbitrii eſt excludere omnem determinationem alterius, cui voluntas diſſentire non valeat; atqui determinatio efficax abſoluta, & omnino antecedens, eſt voluntatis motio, cui voluntas diſſentire non valet: ergo pugnat cum libertatis indifferentia, voluntatem ad ſuam operationem abſolutè efficaciter, & omninò antecedenter determinari. Primum antecedens eſt concluſio Tridentini. Prima autem, & ſecunda conſequentia legitimè ex antecedenti deducuntur. Hæc ad verbum P. *Auguſt. Herrera* de Prædeſt. q.6. ſect.2. n.6.

24. Pro reſponſione ad hoc argumentum, plura deſidero maximè neceſſaria ad veritatem, mentemque Concilii ſincerè inveſtigandam, quæ tamen in eo Auctore deficiunt. Dicit quippe, quaſi ex doctrina Concilii, peccatorem per adjuvantem gratiam, illi liberè aſſentiendo, & cooperando ſe ad juſtificationem diſponere liberè. Et huic propoſitioni conjungitur illa Concilii cap. 5. *Quippe qui illam abjicere poteſt*. Ubi de gratia adjuvante hæc duo vult prædictus Auctor dixiſſe Tridentinum, nimirùm, & quòd illi poſſet diſſentire liberum arbitrium; & quòd illam abjicere poteſt. Deindè aſſerit ex mente Concilii, peccatorem, quia liber eſt, poſſe reſiſtere motioni Divinæ, quod proponit, ac ſi eſſet in Can. 4. definitum. Et id aſſerit à *Concilio* ſignificari per ly *abjicere*, quo utuntur PP. dicto cap. 5. Ac tandem pro eodem accipit *diſſentire*, *abjicere*, & *reſiſtere*. Ex his imaginationibus procedit argumentum toto aberrans cœlo à mente Concilii. Verbum *reſiſto* ad vires liberi arbitrii explicandas non legitur in Tridentino; cùm tamen diligentiſſimè ad regulas Fidei Orthodoxæ tradendas voces proprias exquiſierit. Huic Oecumenico Concilio affingitur uſus verbi *reſiſto*. Sanè dicimur propriè reſiſtere moventi, ſicut propriè dicimur diſſentire excitanti, ſuadenti, vocanti. Unde *Tridentinum* cùm cap. 5. meminiſſet gratiæ excitantis, atque adjuvantis, actus noſtros, quibus his gratiis obſequimur, per ly *aſſentiendo*, & *cooperando* expreſſit. Deindè cùm aſſerit ex *Concilio*, poſſe hominem abjicere gratiam adjuvantem, neſcio unde id probare valeat, niſi aliud nobis offerat *Tridentinum*. Enim verò hæc Sacroſancta Synodus, ut ſuprà diximus, diſertis verbis ſtatuit, & docuit, poſſe hominem abjicere inſpirantem gratiam, cùm ait: *Neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abjicere poteſt*, illam quippe illuminationem, de qua in verbis immediatè præmiſſis loquitur Concilium: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipſe* &c. Ergo ly *abjicere* ad illuminationem, & inſpirationem refert, non tamen ad gratiam adjuvantem. Et tandem quod aſſerit num. 7. Illud antecedens ab ipſo aſſumptum eſſe ipſam Tridentini Concluſionem, quàm falſum ſit, nemo eſt, qui rem attentè conſiderans, non cognoſcat. Nihil enim à mente Concilii magis diſtans excogitari potuit. Eamdem æquivocationem, quam hic *P. Herrera* patitur, affectat *P. Michael Avendaño* tom. 3. diſp. 22. cap. 1. §. 2. ubi quibuſdam verbis relatis ex cap. 5. *Concilii*, & ex Can. 4. ſupponit, dixiſſe *Concilium*, poſſe hominem diſſentire gratiæ, ſeu motioni excitanti, per quam convertitur, & ad juſtificationem diſponitur: ubi confundit excitantem gratiam, & diſponentem cùm efficaci, per quam homo convertitur: & eamdem confuſionem imponit *Concilio*. Cum ergo conſtet, *Concilium* minimè poteſtatem diſſentiendi ad gratiam moventem, vel adjuvantem aſtruere, ſed ſolùm ad vocantem, & excitantem, quò nihil apertius eſt in ejus littera, nollem hoc ab ipſo dictum, ut nebulas offunderet lucidiſſimæ veritati.

25. Secundò arguitur ex *P. Avendaño* loco citato num. 5. Hominem ita recipere gratiam, per quam convertitur, & diſponitur ad ſui juſtifica-

ca-

cationem, ut poſſit illam abjicere. Quod argumentum ſic ex *Tridentino* format: Juxta *Concilium* homo ita recipit gratiam, ſeu motionem efficacem, per quam Deus infallibiliter facit, ut faciamus, ut illam poſſit abjicere; at ſi gratia, ſeu motio iſta, eſſet talis, ut per eam prædeterminando faceret Deus, ut faciamus, eo ipſo ita reciperemus illam, ut non poſſemus eam abjicere: ergo gratia, ſeu motio efficax eſt talis, ut non prædeterminando, ſed prædefiniendo dependenter à Scientia media, faciat Deus infallibiliter, ut faciamus. Majo. conſtat ex ipſo *Tridentino*, quia loquitur de gratia, ſeu motione, & ait: *Ita recipi in nobis, ut poſſimus eam abjicere.* Min. probatur: quamlibet gratiam prævenientem, ſive efficacem, ſive merè ſufficientem, aut recipere, aut abjicere quoad entitatem non eſt in noſtra poteſtate; nam cùm Deus eam nobis cauſet ſine nobis libertatem exercentibus, ſeu pro priori ad exercitium noſtræ libertatis, ut eam exerceamus; & eam Deum in nobis cauſare ſit perindè, ac illam nos quoad entitatem recipere, conſequenter ſicut nulla eſt in nobis libertas in eo, quòd Deus eam in nobis cauſet, ſic & nulla in eo, quòd nos illam quoad entitatem recipiamus. Cæterùm neque in receptione illius quoad efficaciam, eſſet ulla nobis libertas, ſi illa eſſet prædeterminans; ſiquidem, ſi eſſet prædeterminans, eo ipſo efficacia ejus eſſet omninò indiſtincta ab ipſius entitate: & conſequenter, ſicut quoad entitatem, ſic & quoad efficaciam, ejus receptio, & abjectio, non eſſet nobis libera, nec pendens à noſtro exercitio libero. Hæc *P. Avendaño*, quod in tribus ſequentibus numeris latè explicat.

26. Unum in hoc argumento verè dicitur, quod & patentiſſimum eſt apud *S. Auguſtinum*, ſcilicet, gratiam excitantem, vocantem, illuminantem, atque inſpirantem eſſe in nobis ſine nobis, id eſt, independênter ab exercitio libero noſtræ libertatis. Unde perſpectum debet eſſe, poteſtatem benè agendi eſſe in nobis à Deo, atque eſſe in nobis etiamſi nec velimus, nec agamus: eſt tamen in poteſtate noſtra uſus iſtius quadruplicis gratiæ; cujus ratio eſt manifeſta: quia per illas conſtituitur poteſtas proxima benè agendi, ac proindè ſe tenent ex parte actûs primi conjungibilis cum quolibet extremo libertatis. Tota ergo difficultas reducitur ad gratiam efficaciter moventem, & ad gratiam adjuvantem, quas *P. Avendaño* unà cum ſuis vult arbitrio libero eſſe ſubjectas quoad efficaciam, & uſum, quod tamen eſſe falſiſſimum inferiùs demonſtrabimus, & proprio loco magis enucleabitur. Nam ſi adjuvans gratia eſſet arbitrio noſtro quoad uſum ſubjecta, ſequitur inevitabiliter, nos ideo juvari, quia volumus; non verò ideò nos velle, quia adjuvamur; quod tamen eſſe falſiſſimum conſtat ex Epiſt. *D. Proſperi* ad *S. Auguſtinum*, ubi referens *Maſſilienſium* errores, ſic dicit: *Unde quia in iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur; ſi Divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, ut ideo, quis adjuvetur, quia voluit, non ideo, quia adjuvatur, velit.* Et *D. Fulgentius* lib. de Incarnat. pag. 751. *Non dicat* (ſcilicet voluntas humana) *meum*

eſt

eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adjuvare. Sed dicat: gratiæ Dei eſt adjuvare, ut ſit meum velle credere. Tunc enim verè, rectèque erit hoc velle, cùm eum gratia præveniens cœperit adjuvare. Quarè non ideò voluntas adjuvatur, quia vult, ſed ideo vult, quia adjuvatur. Exiſtit ergo gratia adjuvans pro dominio Dei, non pro determinatione noſtræ voluntatis. Si ergo motivum, ſeu fundamentum, cui innititur diſcurſus argumenti, eſt penitùs falſum, parum negotii nobis illius ſolutio faceſſit. Nego itaque aſſerere Concilium, *hominem ita recipere omnem gratiam, per quam convertitur, & diſponitur ad ſui juſtificationem, ut poſſit illam abjicere.* Hoc enim, ut toties diximus, correſpondet gratiæ excitanti, minimè tamen gratiæ efficaciter moventi, & adjuvanti. Aliud namque eſt juxta Concilium, quòd nullum ſit auxilium gratiæ, cum quo voluntas non poſſit diſſentire, aliud verò, quòd nullum ſit auxilium gratiæ, quod voluntas non poſſit abjicere. Primum eſt verum, & de mente Sacri Concilii hæreſim *Calvini* damnantis, dum definit, cum omni gratia componi poteſtatem diſſensûs, & libertatem conſensûs. Secundum eſt falſum, & à mente Concilii longiſſimè diſtans; non enim expoſcit poteſtatem abjiciendi omnem gratiam, ſed ſolam inſpirationem; nec poteſtatem reſiſtendi omni gratiæ; ſed Deo excitanti, atque vocanti. Quod duplici exemplo declarat Illuſtriſſimus *Caſtell* Primarius Complutenſis de libero arbitrio diſp. 2. q. 4. ſect. 7. hanc noſtram ſententiam propugnans. Primùm: cum gratia efficaci adhuc reduplicativè, ut efficaci, componitur poteſtas ad diſſenſum, & tamen in principiis contrariis non eſt poteſtas ad diſſentiendum gratiæ efficaci, ut efficaci, quia cùm diſſenſus conjungatur cum eo, cujus eſt diſſenſus, eſſet componibilis cum gratia efficaci, quâ ratione includit conſenſum: cur ergo de gratia efficaci ſpecificativè ſumpta non poſſumus eodem modo diſtinguere, quòd ſcilicet, cum gratia efficaci ſpecificativè eſt poteſtas ad diſſentiendum, & reſiſtendum, ſed non gratiæ efficaci? Secundò: loquamur de gratia Dei, non ſolùm interiori, & intrinſeca; ſed prout comprehendit etiam gratiam externam, & interiorem; hæc propoſitio eſt vera, & indubitabilis: *Omnis gratia, quæ de facto datur eſt talis, ut cum ea poſſit voluntas diſſentire, & reſiſtere*; aliàs de facto aliqua gratia tolleret libertatem conſenſus, ſi non componeret poteſtatem diſſenſus: hæc verò propoſitio: *Omnis gratia, quæ de facto datur eſt talis, ut ei poſſit voluntas noſtra diſſentire, & reſiſtere*, eſt omninò falſa, quia inter gratias, quæ de facto dantur, una eſt prædefinitio efficax bonæ operationis, gratia enim fit conſentienti, dum Deus decernit conferre auxilium, quod ſcit efficax; & tamen huic gratiæ non eſt voluntas potens reſiſtere, ut nullus dubitat: ſi ergo ſtat, quòd cum omni gratia externa voluntas diſſentire, & reſiſtere poſſit, licèt non omni gratiæ externæ; cur non ſtabit, quòd cum omni gratia interna poſſit reſiſtere, licet non omni gratiæ internæ?

27. Minùs ergo juſtè carpit doctrinam hanc *P. Araujo* diſp. 5. de grat. actual. num. 467. his verbis: *Minùs etiam intelligere poſſum hæc duo. Suo num.* 23. *ait* (de me loquitur) *hæreſim Calvini ſitam eſſe in*

hac

hac propoſitione particulari. Aliquod eſt gratiæ auxilium, cum quo voluntas non habet poteſtatem diſſentiendi. Deinde num. 7. dixerat: Poteſtatem diſſentiendi non reſpicere, nec verſari circa gratiam efficaciter moventem. Si gratia movens eſt aliquod gratiæ auxilium, etiam poteſtas diſſentiendi illud reſpicit. Probo. Cum illo datur poteſtas diſſentiendi; nam, ut juxta primam propoſitionem tenetur concedere, nullum eſt gratiæ auxilium, cum quo voluntas non habeat poteſtatem diſſentiendi. Hæc autem poteſtas diſſentiendi cum auxilio movente ad quid ibi eſt? Eſt, ut faciat id, ad quod gratia movet? Minimè, quia hoc eſt gratiæ annuere. Eſt ergo poteſtas ut faciat oppoſitum, v. g. odium, quando gratia movet ad amorem. Hoc autem, niſi verbis pueriliter ludimus, eſt gratiæ diſſentire, ſive non acquieſcere gratiæ in actu primo moventi. Cùm tamen hæc omnia jam abundè explicata ſint, non eſt opus in eiſdem immorari. Immorari profectò attentiùs debuiſset Auctor iſte, & doctrinam adeò perſpicuam, & indubitatam non ita facile carperet, ut inintelligibilem. Quis non videat, quòd hoc argumentum, ex non intelligentia terminorum procedens, ſubjacet inſtantiæ ab eodem Auctore ſolvendæ? Sic enim arguo contra ipſum: Fatetur num. præcedenti, quòd ſi gratia movet actu voluntatem, *ita ut movere jam devolvat ipſam gratiam actu operantem, tunc eſt certum voluntatem conſequenter diſſentire non poſſe*. Peto nunc, an voluntas in illo ſtatu non habeat potentiam ad oppoſitum ejus, quod hìc & nunc facit? Affirmabit ſine dubio: peto ergo ulteriùs; *hæc autem poteſtas ad quid eſt? An ut faciat id, ad quod gratia movet? Minimè, quia hoc eſt gratiæ annuere. Eſt ergo poteſtas, ut faciat oppoſitum, v. g. odium, quando gratia movet ad amorem*. Et tamen fatetur voluntatem *motam diſſentire non poſſe*. Combinet ergo ſua dicta, & videbit eodem modo poſſe combinari mea. Quod poteſtas diſſentiendi dicitur per reſpectum ad gratiam excitantem, vocantem, illuminantem, atque inſpirantem, non verò per reſpectum ad gratiam phyſicè, & efficaciter moventem, & aliud eſt diſsentire gratiæ, aliud cum gratia poſse diſsentire.

28. Hoc ſanè intelligere deberent AA. oppoſiti, quòd poteſtas diſſentiendi dicitur per reſpectum ad excitantem, vocantem, illuminantem, atque inſpirantem, non verò per reſpectum ad moventem phyſicè: quia diſſenſus neque in Grammaticorum loquutionibus, neque in Philoſophorum veſtigationibus, neque in Theologorum ſenſibus, correſpondet unquam motioni. Reſpectu ejus negant Thomiſtæ talem reſiſtendi poteſtatem, quia didicerunt ex fide, voluntati efficaci Dei arbitrium nullum poſſe reſiſtere, reſiſtentiâ ſcilicèt formali, ac rigorosè ſumptâ. Ut quid ergo tanto argumentorum apparatu probant veritatem, quam Thomiſtæ non ſolùm concedunt, ſed pro viribus tuentur? Ut quid iterum rogo, inſiſtunt ſemper in probatione illius non reluctantiæ gratiæ efficaci, quam omnes unanimiter aſſerunt, cùm ſolùm in libero arbitrio ſit poteſtas diſſentiendi gratiæ excitanti, atque vocanti; non reſiſtendi gratiæ, per quam habet non diſſentire.

29. Tertiò arguitur ex *P. Avendaño* ibi num. 9. Gratia, ſeu motio

effi-

efficax, quâ juxta *Concilium* Deus facit infallibiliter, ut faciamus, eſt gratia, cui verè competit, eſſe illuminationem, inſpirationem, vocationem, atque excitationem; ſed gratia, cui verè competunt hujuſmodi proprietates, non eſt phyſicè prædeterminans, ſed moraliter movens: ergo gratia, juxta *Concilium*, per quam Deus infallibiliter facit, ut faciamus, non eſt phyſicè prædeterminans. Probatur min. Gratia phyſicè prædeterminans eſt qualitas non vitalis, ut Dominicani ſtatuunt; ſed illæ proprietates verificari nequeunt niſi de qualitate, aut actione vitali, quæ ſit cogitatio intellectus, aut pia affectio voluntatis, & hoc præſertim cernitur in proprietate illuminandi, quæ planè competere nequit, niſi cogitationi; ſiquidem per ſolam iſtam illuſtratur, ſeu illuminatur anima noſtra: ergo.

30. De hoc argumento ſic fatur *P. Avendaño*: *Hoc mihi ingenuè conſideratum ſine diffuſo diſcurſu adeò ſolidè perſuadet, ut vel ob hoc, unum eſſet mihi firmum, mentem Concilii eam eſſe, ut cenſeat gratiam, ſeu motionem efficacem, per quam Deus facit infallibiliter, ut faciamus, non eſſe qualitatem mortuam phyſicè prædeterminantem, ſed qualitatem, ſeu actionem vitalem moraliter moventem. Nam cùm proprium illius ſit illuminare animam, & anima nequeat illuminari, niſi ab aliquo, quod verè ſit lux ſpiritualis, profectò gratia, ſeu motio efficax debet juxta Concilium conſiſtere in aliquo, quod ſit lux ſpiritualis; at eſſe lucem ſpiritualem nequit verè competere ulli qualitati mortuæ, ſed tantùm qualitati, ſeu actioni vitali moraliter moventi, qualis eſt cognitio, quâ intellectus illuſtratur: & hac ratione potiùs potentia volitiva, quàm intellectiva dicitur potentia cæca, quia nimirum anima ad volendum cæca eſſet, niſi priùs per intellectum illuminaretur*. Et ad marginem ait: *Solùm eget ingenuâ conſideratione*.

31. At videtur non eſſe plenè informatus de doctrina Thomiſtarum, cujus certè ignorantia plurimum ipſum fefellit. Aſſumit namque, ut per ſe notum, id, in quo ſolùm eſt difficultas. Negatur ergo major, quam non probat, ſed ſupponit argumentum. Gratia enim, quâ Deus infallibiliter facit, ut faciamus, eſt diſtincta à gratia excitante, aut vocante. Multi enim excitati fuêre, & vocati, atque illuminati, qui ad conſenſum ſalutarem non pervenerunt: multi Divinas inſpirationes recepêre, qui tamen eas abjecerunt. Gratia, quæ conſenſum noſtrum infallibiliter obtinet, eſt gratia phyſicè movens, eſt gratia efficaciter adjuvans, quæ infallibiliter cooperationem noſtram efficit, & cauſat. Ex quo non ſuperfluunt reliquæ gratiæ; ſicut enim in ordine naturali diſpoſitiones præviæ, ac remotæ ſuperfluæ non ſunt ad formæ ſubſtantialis introductionem, ſed maximè neceſſariæ ad ſuavitatem providentiæ: unde in generatione ſubſtantiali diſpoſitiones remotæ præcedunt alias proximiores, & iſtæ ultimam præcedunt diſpoſitionem, quæ eſt neceſſitas formæ: ſic in præſenti, quem Deus vult efficaciter ad fidem convertere, prius inſtruit de Myſteriis, de eorum credibilitate; deinde immittit pium affectum erga bona repromiſſa credentibus, ipſumque ſic diſpoſitum, & præventum excitatione, vocatione, illuminatione,

atque

atque inſpiratione, efficaciter movet, & adjuvat, ut inſuperabiliter, & indeclinabiliter agatur voluntas, quæ quantumvis ſit per gratias priores diſpoſita, ſi tamen ſibi relinqueretur, ut ipſa ſola determinaret aſſenſum, deficeret, nec unquam fidei obedientem præberet auditum.

32. Hìc ſanè me in maximam admirationem traducit Auctor argumenti. Primò, quòd recenſens tantâ curâ gratiam excitantem, vocantem, illuminantem, & inſpirantem ex mente *Concilii*, omiſit, & ſilentio præterivit gratiam moventem aſſignatam in Can. 1. necnon mi[n]iam facit gratiam adjuvantem, quam ſtatuit *Concilium* in cap. 5. & can. 3. Hanc ſanè prævenientem gratiam, moventem, & adjuvantem minime favere propriæ ſententiæ vidit, quæ, ut diximus ex *M. Lemos*, deſtruit oppoſitam ſententiam, illiuſque auctoritatem, & veritatem penitùs infirmat. Eſt ergo præter illas gratias, quas ipſe commemorat, alia ſtatuenda ex Concilio, nimirùm gratia movens, vel ut 1. 2. q. 109. loquitur *D. Thomas*, auxilium Dei moventis: & inſuper gratia adjuvans, quæ paſſim in ſacra Scriptura commendatur. Secundò, quòd dum non minori ſtudio, ac diligentiâ exquiſivit proprietatem illius vocis *illuminatio*, ut illuminantem gratiam inter eas, quæ pertinent ad actus intellectûs, reponeret, cur eamdem non adhibuit curam, ut reliquarum vocum, quibus utitur Concilium, nobis exponeret intelligentiam? Cur non dilucidè, & ſignificanter explicuit propriam ſignificationem verborum *aſſentior*, atque *diſſentio*? Cur & ſiluit ſignificationem, & proprietatem iſtius verbi *moveo*? Cur tandem non nobis ſignificantiſſimè expoſuit verbum hoc *adjuvo*? Sanè, ut intelligentiam Concilii traheret, quò expediebat ipſi, & acriùs, apertiùs, ſignificantiùs propriam defenderet ſententiam, & impugnaret noſtram: cùm ex rebus, quæ primo aſpectu minùs ſapientibus videntur infimæ, ac tenuiſſimæ, pendeat ſublimiorum difficultatum reſolutio. Quod autem dicit de illuminationibus, ſignificans, eas debere eſſe actus vitales noſtros, neſcio quid ſibi velit. Nec vacat modo de hoc diſſerere; ſatis ſit lectorem remittere ad tractatum de illuminationibus naturalibus Angelorum, & animæ humanæ.

33. Quartò arguitur: ſi poteſtas manens in libero arbitrio moto à Deo & excitato, eſt poteſtas ad conjungendum diſſenſum cum Deo excitante atque vocante, hæc propoſitio *Concilii* erit abſolutè falſa; quia verbum *poteſt*, in illa propoſitione rectiſſimè collocatum, enuntiat poteſtatem exercendi actionem, quàm propriè ſignificat verbum *diſſentio*, quæ eſſentialiter importat compoſitionem cum Deo excitante, atque vocante; ſed cum motione efficaci Dei afficiente liberum arbitrium non manet in ipſo poteſtas ad conjungendum diſſenſum cum Deo excitante, atque vocante: ergo vel negandus eſt hujuſmodi diſſenſus Deo vocanti, & excitanti, vel concedendus etiam gratiæ juvanti, & moventi.

34. Reſpondetur, quòd illa propoſitio Concilii affirmat veram poteſtatem in libero arbitrio ad conjungendum diſſenſum cum Deo excitante, atque vocante, ſi attendantur præcisè, quæ ex intrinſecis habet

poteſtas, & ipſa Dei vocatio, cùm voluntas poſſit cuilibet ex his auxiliis moraliter attrahentibus obſiſtendo diſſentire. Cæterùm non dixit Concilium, poteſtatem, quæ remanet in arbitrio moto, & excitato, eſſe ad conjungendum diſſenſum cum excitatione,& vocatione in ſenſu compoſito motionis: hæc enim poteſtas renitendi, fruſtrandique motionem, non ſolùm non fuit, ſed nec eſſe potuit in libero arbitrio, ut remanere poſſet, & eſt toto Cœlo diverſa à poteſtate diſſentiendi. Hoc ut clariùs intelligatur, maximè notandum, quòd in propoſitione *Concilii liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt diſſentire*, duo ponuntur ex parte ſubjecti, ſcilicet motio Dei, & excitatio. Rurſus poteſtas diſſentiendi, ut diximus, totaliter verſatur, ac reſpicit excitationem, vocationem, & reliqua auxilia ſpectantia ad intellectum, nec niſi impropriè poteſt accipi pro virtute nitendi contra motionem; reſpectu cujus poteſtas potens prævalere illa eſt præcisè, quæ poteſt reſiſtere, aut ſuperare reſiſtendo, ac reluctando vi, efficacitatique motionis. Undè ad conjungendum diſſenſum cum excitatione, & vocatione Dei in ſenſu compoſito motionis efficacis ad conſenſum, non ſufficit poteſtas diſſentiendi excitationi, atque vocationi, quam aſſerit *Concilium* in libero arbitrio à Deo moto relinqui; ſed ulteriùs requiritur poteſtas reſiſtendi, atque ſuperandi efficaciam motionis: cujus nec in dicto Canone, ne in cap. 5. ex quo ſumptus eſt Canon, mentionem fecit; quia nempè ſentit, illam ſufficere ad libertatem arbitrii, hanc verò, utpotè chimericè confictam, penitùs eſſe repugnantem. In forma ergo reſpondendo, nego minorem, quia gratia efficax non aufert poteſtatem quam dicimus antecedentem; ſed illam perficit in hoc exercitio, ſupponens, & ſervans indifferentiam ad exercitium oppoſitum, cum excitatione hac, & vocatione componendum, ſi voluntas velit: modò autem non vult, quia vult hoc exercitium, quod per gratiam Dei, ſeu Deo efficaciter dante, habet.

35. Si dicas: ergo attentâ motione non manet poteſtas ad illam conjunctionem: diſting.conſeq. non manet poteſtas conſequens conced. conſeq. non manet poteſtas antecedens, neg.conſeq. Hoc ſolùm probat, quòd quia habeo conſenſum, non poſſum ſimul cum illo habere diſſenſum: & quòd conſenſus, quem habeo, eſt donum Dei, & ab illo dependet: quod eſt veriſſimum & Catholiciſſimum. Non enim in voluntate datur poteſtas ad eliciendos ſuos actus per hoc, quòd ſibi Deum ſubjiciat, & ille, non pro ſuo, ſed pro noſtræ voluntatis arbitrio, concurrat. Illos ſolùm elicit ex dominio, & poteſtate Dei voluntatem creatam ſibi in elicientia illorum ſubjicientis, cùm omnis poteſtas voluntatis creatæ ad proprios actus ſit poteſtas dominii inferioris, & eſſentialiter ſubordinati Deo. Si ergo conſideretur, quid poſſit voluntas ſic Deo ſubordinata, poteſt ſanè cum excitatione, & vocatione Divina conſideratis ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam adæquatam eſſentiam, id eſt præſcindendo à quovis extraneo, conjungere diſſenſum vocationi, vel ab ipſa diſſentire. Quòd ſi voluntas hoc poteſt, poteſt quoquè Deus in ſenſu compoſito ſuæ excitationis, & vocationis conſtituentis poteſtatem aſ-

ſen-

ſentiendi, non movere voluntatem ad aſſenſum: unde ex nullo capite impeditur poteſtas, qualis debet tribui voluntati, ad diſſentiendum, ſi tantùm attendantur intrinſeca vocationis, & excitationis: quò circà in voluntate mota manet poteſtas antecedens ad illam conjunctionem.

36. Non enim (de quo jam actum, potiùs putamus, quàm dictum) aſſerit *Concilium*, quòd omnis gratia, cum qua de facto operatur voluntas, eſt talis, cui voluntas poſſit reſiſtere; hoc ſolùm dictum de excitante, & ſufficienter movente, non de movente efficaciter; cùm hujus fruſtratio minimè ad intentum *Concilii* conducat. Hæretici negabant poteſtatem ad diſſenſum in ſenſu compoſito gratiæ efficacis: hoc eſt, affirmabant ipſi, non ſolùm quòd diſſenſus non componitur cum gratia efficaci (in quo verum aſſeruiſsent) ſed quòd cum gratia efficaci erat inconjungibilis poteſtas ad diſſenſum. Hic fuit ipſorum error. Clariùs: Non erat Hæreſis Calvini in hac propoſitione particulari; *aliquod eſt auxilium, cui voluntas non poteſt diſſentiendo reſiſtere*: quæ eſt eſſentialiter vera, ſed in iſta: *omne gratiæ auxilium tale eſt, ut cum eo voluntas non habeat poteſtatem diſſentiendi*; quod apertè negant Thomiſtæ, non agnoſcentes auxilium tollens libertatem conſenſus, ſed ſolùm auxilium, quod ratione conſenſus, quem infert, pugnat cum diſſenſu; & ideo, etſi non poſſit conjungi cum diſſenſu, & reſiſtentia, non tamen pugnat cum poteſtate diſsenſus. Undè nullum eſt neceſſitans, ut perperam ab adverſariis affingitur.

37. Sed, ne ſiniſtra fallat intelligentia, utque omnis præveniatur reſponſio, & quæſtio iſta à Sophiſmatum nugis, atque à Dialecticorum vanis arguendi modis repurgetur, ſciendum primò, quòd propoſitio illa Concilii: *Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt diſſentire*, licèt in aliquo ſenſu debeat ly *poteſt* ſumi compoſitè, quà formaliter explicat poteſtatem conjungendi diſsenſum cum gratia excitante, abſolutè tamen, & ſimpliciter eſt modalis diviſa; tum quia illa dicitur modalis diviſa ex regula Dialecticorum, cujus ſubjectum, & prædicatum interſecat modus inter utrumque medians; & in præſenti ly *poteſt* mediat inter *arbitrium motum, & excitatum*, quod eſt ſubjectum, & prædicatum, quod eſt ly *diſſentire*. Tum quia ex alia regula Dialecticorum, illa eſt modalis compoſita, quæ immediatè eſt reducibilis ad ſuam officiantem: & quæ ad officiantem reduci non poteſt, modalis diviſa; ſed propoſitio modalis, quæ ex verbis *Concilii* conficitur, non poteſt immediatè reduci ad ſuam officiantem; cùm propoſitio officians ſit iſta; *liberum arbitrium à Deo efficaciter motum & excitatum diſſentit, eſt propoſitio poſſibilis*, quæ eſt ex terminis repugnans: ponitur namque ex parte ſubjecti gratia efficaciter movens, cum qua implicat poni diſsenſum. Vel aliter: propoſitio, in qua ex parte ſubjecti ponitur gratia efficax, & de ſubjecto tali gratiâ affecto affirmatur poteſtas ad actum contrarium gratiæ efficaci, neceſsariò eſt diviſa, vel non erit vera; ſed in præfata propoſitione Concilii ponitur ex parte ſubjecti gratia efficax, quæ eſt motio ſignificata per ly *motum*; alioquin non definiſset Concilium, gratiam efficacem componi cum libertate

 arbi-

arbitrii, compoſitionemque ſolùm faceret cum gratia ſufficiente, & arbitrio ſubjecta, quam concordiam nec *Pelagius*, nec Hæreticus aliquis negare potuit: ergo ut ſit vera, debet eſse diviſa. Quarè ut benè advertit *M. Lemos* tom. 1. tract. 4. cap. 14. verſ. *Inſuper*; etſi ex parte ſubjecti unà cum gratia movente ponatur etiam gratia excitans, & cum hac poſſit arbitrium diſsenſum componere: gratia tamen excitans non eſt id, de cujus diſcordia cum libertate principaliter dubitabatur, cùm illam non opponi libertati diſertis verbis fateatur *Pelagius* admittens auxilia moralia; quapropter principalis affectio ſubjecti, & principaliter à Concilio attenta eſt motio, reſpectu cujus facit ſenſum diviſum.

38. Hinc clariſſima, & pervia omnibus fiet ſolutionis doctrina, etſi in illa perſuadenda non obſcurè proceſserimus; ex qua obſervandum, quòd aliud eſt conjunctio diſsensûs Deo vocanti cum aſsenſu Deo movente efficaciter, & aliud conjunctio potentiæ ad diſsenſum Deo vocanti cum aſsenſu Deo efficaciter moventi. Primum eſt impoſſibile; tum ex ratione actûs ſecundi intenſivè, & extenſivè perficiente potentiam pro tempore, vel ſigno ſuæ exiſtentiæ, ſicut forma materiam pro tempore ſuæ informationis. Tum ratione immediatæ contrarietatis conſensûs, & diſsensûs ejuſdem voluntatis reſpectu ejuſdem objecti: quarè ex utroque capite repugnat talis conjunctio diſsensûs Deo vocanti cum aſsenſu Deo moventi efficaciter; cùm nulla potentia duobus actibus ſecundis oppoſitis actuari poſſit, quod etiam de non oppoſitis Schola noſtra tenet, ſcilicet, quod nec natura duabus ſubſiſtentiis abſolutis, nec corpus duabus quantitatibus; indè eſt, quòd ſtante judicio determinato intellectûs, & gratiâ efficaci dante actum, repugnat exercitium illius antecedentis poteſtatis ad diſsentiendum, quæ ſimul manet in libero arbitrio cum iſto actu ſecundo. Etenim potentia activa dicitur tranſcendentaliter per ordinem ad poſſibile in omni creato; & cùm diſsenſus ſit impoſſibilis ſimul cum conſenſu, etſi actu maneat potentia, non eſt ad diſsenſum ſimul ponendum cum aſsenſu, quia talis potentia eſt impoſſibilis. Quid enim magis repugnans, quàm potentia, quæ eſsentialiter ſit impotentia? Sed potentia ad actum impoſſibilem eſt eſsentialiter impotentia: ſicut enim potentia non eſt conceptibilis niſi per ordinem ad poſſibile, ita impotentia niſi per ordinem ad impoſſibile: ergo quòd non poſſit ponere diſsenſum compoſitum cum gratia efficaci ad aſsenſum nihil diminuit de ratione, & perfectione reali potentiæ antecedentis, quam liberum arbitrium conſervat ad diſsenſum: ſicut & Auctores gratiæ congruæ debent fateri de arbitrio, vel voluntate ſub illa gratia collata in occaſione conſensûs præviſi per ſcientiam mediam. Quæ doctrina deſumitur ex *Philoſopho* 9. Metaph. cum ſuo Commentat. Comment. 10. & 19. & ex *Angelico Magiſtro* ſuper eiſdem locis lect. 4. in fin.

39. At quod ſecundo loco poſuimus, nempè, quòd licèt conjunctio diſſenſûs Deo vocanti cum aſſenſu, Deo movente efficaciter, ſit impoſſibilis, conjunctio tamen potentiæ ad diſſenſum Deo vocanti cum aſſenſu, Deo efficaciter movente, poſſibilis eſt. Eſt omnino verum, immò

immò neceſſarium; vel deſtruenda erit illa perfectio collata voluntati à Deo, quam conſervat, eò vocante, mediâ propoſitione objecti ab intellectu ſub ratione boni contingentis, vel non undecumquè eam excitantis: quæ ſi deſtruitur, certè eſſe non poteſt, niſi per contrariam, diſpoſitionem, quæ non eſt aliàs aſſignabilis, cùm non poſſit alia eſſe niſi aſſenſus: ipſi Adverſarii inciderent in errorem negantium libertatem; cùm tamen è contra, & benè, ſecundùm illos libertas perficiatur reducta ad actum ſecundum, & ultimam perfectionem per aſſenſum. A Deo deſtrui, non poteſt ſimiliter; quia nihil odit eorum, quæ fecit: & implicat contradictionem, quòd perfectio formaliter ſit deſtructio: ſed motio efficax eſt perfectio ipſius voluntatis formaliter, & reduplicativè ut formaliter conſtitutæ in actu primo proximo, cùm ſit motio formaliter ad actum ſecundum, aliàs reduceret ſolùm formaliter potentiam remotam ab hoc extremo ad actum ſecundum, relicto medio, quod & eſt contra ordinem naturalem ab eodem ſtatutum; & quod magis eſt, ipſe Deus fruſtrà daret perfectionem proximitatis potentiæ, quâ poſt nullo modo uteretur in quotidiana, & continua providentia actuum humanorum: ergo perfectio illa actus primi proximi non deſtruitur, & conſequenter tota, & totaliter manet quoad id, quod eſt perfectionis: & conſequenter voluntas etiam attentâ motione habet poteſtatem antecedentem ad conjungendum diſſenſum cum Deo vocante, & excitante.

40. Id incunctantèr pronuntiat *Antoninus Reginaldus* p. 1. cap. 56. dicens: *Hoc igitur ſenſu manifeſtè loquitur Sancta Synodus, cùm apertè dicat, liberum arbitrium motum à Deo cooperari, & poſſe diſſentire, ſi velit: hoc eſt, liberum arbitrium, etiam dum movetur à Deo, & dum cooperatur, habere potentiam ad diſſentiendum Deo vocanti. Unde ridendus planè ab omnibus eruditis, & explodendus eſt ſenſus, quem Adverſarii affingunt Concilio, videlicet, liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire, hoc eſt, poſſe componere diſſenſum cum motione illa, quâ movetur à Deo: ridendus, inquam, quippe qui manifeſtam involvat contradictionem; quia definitio Concilii non eſt abſoluta, quòd voluntas à Deo mota poſſit diſſentire, ſed cum illo addito; quòd voluntas mota cooperatur aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti, & poteſt diſſentire: quod profectò alium longè diverſum ſenſum repræſentat; ſignificat ſiquidem voluntatem motam cooperari aſſentiendo, & eamdem motam etiam cooperando, atque aſſentiendo poſſe nihilominùs diſſentire, hoc eſt ſtare cum tali motione, ſicut & cum ipſa cooperatione, & aſſenſu potentiam ad diſſentiendum. Si verò ſenſum compoſitionis his verbis attribuerimus, ridicula planè fuerit definitio Concilii, cùm ille ſenſus nihil ſit aliud, niſi quòd voluntas ſimul, & ſemel componere poſſit motionem Dei, atque adeò ſuam cooperationem, & aſſenſum (qui in eodem planè eſt inſtanti cum motione) cum diſſenſu; quod eſt dicere, voluntatem poſſe elicere ſimul, & ſemel aſſenſum, & diſſenſum reſpectu ejuſdem, hoc eſt reſpectu vocationis, & excitationis Dei, ad quam Concilium diſſenſum comparat, ſicut & aſſenſum:*

quod

quod ridiculum eſſe , & implicans nemo non videt . Quod ſanè ipſa phraſis , & ipſe contextus canonis clariſſimè convincunt .

41. At hìc pro complemento dubii ſilentio præterire non poſſum , quantùm hallucinatus ſit *Janſenius* credens , verbis Concilii hujus Canonis 4. poſſe confundi liberum , & voluntarium , dum de gratia *Chriſti Salvatoris* lib.6. cap.35. ſic ſcribit : *Itaque , ſicut Scholaſtici quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem , voluntatem poſſe diſſentire ſi velit . , . . putant , & rectè , ſignificari humani arbitrii libertatem ; ſic etiam intelligunt eadem prorſus ratione , libertatem indicari , ſi diceretur , voluntas poſſe velle , ſi velit , poſſe non velle , ſi velit . Nam quid eſt poſſe diſſentire , niſi velle ? Quid eſt diſſentire , niſi non velle ?* Quibus errorem ſimulat , eòque periculoſiùs , quòd ſub verbis in ſpeciem Catholicis delitеſcit . Quarè ut punctum difficultatis aperiatur , & mens Concilii dilucidetur , diligentèr obſervandum cum Angelico Præceptore quodlibet 5. q. 2. art. 2. quòd conjunctio *ſi* , duplicem ordinem importare poteſt , ſcilicèt cauſæ , ſeu principii , & conſequentiæ . Primo modo dicit principium , & cauſam , quâ ratione probat *D. Thomas* , quòd hæc propoſitio , *Deus poteſt peccare , ſi vult , eſt falſa ;* cùm hoc ipſum , quod eſt poſſe peccare , non ſit ſubjectum Divinæ voluntati ; alioquin voluntas Divina eſſet principium immutationis Divinæ naturæ , quod eſt impoſſibile . Alio modo importat ordinem conſequentiæ , ſeu connexionem antecedentis cum conſequenti , antecedente exiſtente vero , vel falſo , contingente , vel neceſſario , poſſibili , vel impoſſibili ; quâ ratione inquit *D. Thomas* , quòd hæc locutio eſt vera : *Si Deus vult peccare , poteſt peccare ; ſequitur enim ſine conditione ſi argumentamur ex impoſſibili poſito , Deus vult peccare : ergo poteſt peccare .* Et ad primum : *Cum dicitur ſic : ſi Deus vult peccare , poteſt peccare , antecedens eſt impoſſibile : unde nihil prohibet conditionalem eſſe veram , conſequente exiſtente impoſſibili .* Quo ſuppoſito , conjunctio illa *ſi* , poſita à Concilio non intelligi debet purè conditionalitèr modo dicto , ſed quatenus importet formaliter ordinem cauſæ , ſeu principii , & conſequentiæ , cùm voluntarium utcumque non ſit cauſa libertatis ; nec actus , hoc ipſo quòd voluntarius eſt , ſit liber ; ſed ſupponit Concilium ex parte liberi arbitrii indifferentiam activam , & dominium , quod habet voluntas ſupra ſuos actus , excludens determinationem virtutis ad unum , & violentiam cauſæ exteriùs agentis , per quod in ejus poteſtate eſt velle , vel non velle , operari , vel non operari , conſentire , vel diſſentire gratiæ vocanti , retinens , dum movetur , potentiam diſſentiendi , ſi velit ; in quo ſolum Concilium exprimit dominium liberi arbitrii ſupra ſuos actus , quod apertè negat *Janſenius* , ut ſupra annotavimus , dicens de grat. Chriſti lib.6. cap.3. *Nihil aliud exiſtimamus , quàm cognitionem , ac delectationem , ſeu delectabilem objecti complacentiam eſſe id , quod tantam poteſtatem in liberum arbitrium habet , ut eum faciat velle , vel nolle , ſeu ut eá præſente actus volendi ſit reipſa in ejus poteſtate , abſente non ſit .* Et cap.7. *Dico igitur S. Auguſtini principiis inſiſtendo , aliquid omninò eſſe præter nudam facultatem voluntatis ,*

tis ,

tis, quod eam facit velle, vel nolle, quo omninò abſente ſit impotens, ſive ad bonum, ſive ad malum. Quod ut ſalvet ipſe, hanc pravam Concilii intelligentiam amplectitur, quaſi diceret: liberum arbitrium poteſt reſiſtere gratiæ, ſuppoſito, quòd velit ipſa reſiſtere, & quamvis non poſſit refragari, poſſet tamen, ſi actu vellet, cùm velle, & operari ſint idem reſpectu voluntatis: *Nihil enim*, apud ipſum ibi cap.5. *Magis facimus, quando volumus, quàm ipſam volitionem: & ideò nihil magis in poteſtate noſtra, quàm ipſa voluntas, id eſt volitio, conſtitutum eſt*: ut ex hoc inferat, quòd poſſet liberum arbitrium velle, ſi vellet, & nolle, ſi non vellet; ac per conſequens, quòd poteſt diſſentire, ſi velit, & reſiſtere, ſi actu nolit, ut ſic componat libertatem cum gratia neceſſitante. Enimverò ſi verba illa Concilii non in ſenſu cauſali, & poteſtativo, ſed conſecutivo ſeu illativo tantùm intelligantur, ſequitur & animalia bruta liberè agere, non ſecùs ac homines: poſſunt enim dicere, certo ſenſu; ſi equus vult, currit, ſi non vult, non currit; agunt enim bruta cum judicio, ſed à natura ſibi indito: ſed hominis proprium eſt ſibi ipſi formare judicium, ex quo ad operationem procedit: ita ut poſſit hoc, vel illud velle. Aſt ſi credimus *Janſenio* non magis habemus in poteſtate actiones noſtras, quàm brutum habeat. Id jam olim ante me reflexit *Sebillius* noſter primus in Belgio, qui edito libro Janſeniſtas aggreſſus, fudit, ac proſtravit. Nam in Opere ſuo contra *Vincentium Lenis*, ſeu *Libertum Fromundum* lib.2. cap.16. ita ſcribit: *Ex his etiam patet, quàm vana, & frivola ſit gloſſa illa, quam Concilio appoſuit Cornelius Janſenius tom.3. lib.8. cap.17. col.863. Nempe quòd Concilium iſtius poteſtatis diſſentiendi meminit, non ut in ea libertatem arbitrii ſitam traderet, ſed ut oſtenderet ex contrario, arbitrium ſub gratia, non nihil omninò agere, non veluti inanime quoddam, non merè paſſivè ſe habere, ſed aliquid agere inſtar rei animatæ,... quaſi diceret Concilium, hoc eſt argumentum infallibile, quòd non merè paſſivè ſe habeat homo, quia id, quod recipit, poteſt etiam abjicere, ſeu diſſentire, ſi velit.*

42. *Patet (inquam) ex dictis, gloſſam illam vanam, & frivolam omninò eſſe: quod & ulterius hoc argumento oſtendo. Nàm ſi ita eſt, quòd Concilium illâ ſuâ definitione ſolùm velit nos activè inſtar rei animatæ agere; ideoque poteſtatem diſſentiendi, tamquàm hujus activitatis argumentum, adduxerit; ſequitur apertè non fuiſſe ibi damnatum Calvinum, ſed ſolùm Lutherum, quod communi ſenſui Catholicorum contradicit. Patet ſequela: nam (ut ex loco Calvini ſuperiùs adducto conſtat) ipſe expreſsè docuit hominem ſub tractu gratiæ per modum rei animatæ agere, & non merè paſſivè ſe habere: ergo ſi Concilium hoc tantùm ſtabilire voluit; reverà in illo Canone nil contra ipſum ſtatuit, ac proinde ibi damnatus non fuit. Quarè conſtantiſſimè tenendum eſt, poteſtatem illam diſſentiendi fuiſſe à Patribus adductam, eo fine ſicut nos diximus, videlicet ut liberi arbitrii naturam in ea ſitam, ſub gratia illæſam remanere, contrà utrumque Hæreticum oſtenderent.*

43. Confirmat hoc ipſum, & magis explicat ſequenti diſcurſu. *Neceſ-*

ceſſariò fatendnm eſt, Tridentinum alibi definiviſſe, per efficaciam gratiæ non everti liberum arbitrium, cum hoc in materiâ libertatis fuerit præcipuus ejus ſcopus; ſed nullibi hoc definivit, quàm in Canone illo 4. & ibidem non aliter definivit, quàm dicendo per gratiam non everti poteſtatem diſſentiendi: ergo Tridentino idem omninò fuit per gratiam non everti poteſtatem diſſentiendi, ac per gratiam non everti liberum arbitrium. Quid clarius? Quid evidentius? Igitur ex mente Tridentini, natura liberi arbitrii, & poteſtas diſſentiendi convertuntur.

44. Quòd ſi altiùs aſcendere volumus, eamdem doctrinam reperiemus non obſcurè expreſſam in ipſo Scholæ noſtræ Principe *S. Thoma*, qui 1. p. q.40. art.2. oſtendit, quid ſit agere aliquem, ſi velit, illativè ſolùm; vel poteſtativè, ſeu dominativè per modum agentis liberi, quod neceſſariò dominari debet actui ſuo; quàmvis iiſdem materialibus terminis non utatur, ſed aliis, idem tamen ſignificantibus. Scilicèt inquirit, *An actus notionales in Deo ſint voluntarii?* Pro cujus quæſtionis reſolutione prænotat, dupliciter intelligi poſſe aliquid fieri voluntate. Primò concomitanter, ſecundò voluntate ſe habente per modum principii. Primo modo concedit Filium procedere à Patre *voluntate*; at ſecundo modo negat. Et tamen quis neget Patrem in Divinis producere Filium, ſi vult, intelligendo verba illa, ut *Janſenius* intelligit? Nova ergo eſt in Theologia hæc *Janſenii* explicatio: ſed illa, quam Thomiſtæ etiam hodiè adhibent, jam ante natum *Janſenium* nota erat, & tradita à *S. Thoma*. Ut hinc etiam appareat, quàm faciliter dicat alibi *Caducifer*, Thomiſtas poſt damnatum *Bajum*, *Janſenium &c. vertiſſe molendinum ſuum ſupra rotas ſuas*. Hæc ſufficiant, quia non omnia hìc perſequi ſtatuimus, multaque ſunt addenda inter diſſerendum de irreſiſtibilitate gratiæ efficacis, & concordia libertatis. Multa namque hìc attigimus, quæ ſunt adhuc ibi exigenda: ſicut & plurima ſunt illic ex hoc loco petenda, cùm ità maximè complexæ ſint hujuſmodi difficultates.

DISPUTATIO III.

De ſubjectione liberi arbitrii creati Deo, naturæ, & gratiæ Auctori.

OMNIS induſtria, omneque ſtudium ineſſe debet cunctis, ad altiſſimam hujus difficultatis celſitudinem aſcendere volentibus, priùs diſcere ſcire ſe, ut erudita mens ad cognitionem gratiæ valeat pervenire. Hâc profectò cognitione nil meliùs, nil utiliùs, nil excellentiùs, nil æſtimandum chariùs. Eſt namque gratia Dei prima cognitio nihili noſtri, ut teſtatur *Apoſtolus* ad Galatas cap. 6. v. 3. *Nam ſi quis exiſtimat, ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*. Nihil etenim ſui non cognitione fallaciùs, nihil ad ſpiritualem cæcitatem inferendam funeſtiùs. Humilior debet eſſe homo ex eo, quod deeſt, ne ſuperbiat ex eo, quod adeſt; ut inſignitèr expreſſit D. *Auguſtinus* in Pſalm. 38. num.8. & 18. *Nam qui putant*, inquit ille, *ſe aliquid habere, cùm hìc vivunt, ſuperbiendo non accipiunt, quod deeſt: quia magnum putant eſſe, quod adeſt. Qui enim putat, ſe eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſemetipſum ſeducit. Nec iſti ex hoc magni ſunt. Nam & inflatio, & tumor imitatur magnitudinem, ſed non habet ſanitatem.... Ipſa eſt ergo gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confeſſionem infirmitatis, ut quidquid boni poſſumus, quidquid potentes ſumus, in illo ſimus: ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. Hinc, ſuperiùs oſtenſo, liberum arbitrium eſſe facultatem rationis, & voluntatis, quâ eligitur bonum gratia exiſtente, dignoſcenda, & examinanda venit tam excellentia, & dignitas, quàm ſubjectio liberi arbitrii ſummo Deo, ut cognoſcamus, quid ſumus ex nobis, quid ex gratia Dei, ut nullus gloriationi inani, jactantiæ, ac fiduciæ, & propriis viribus relinquatur locus; ut non infletur voluntas, nec altum ſapiat, ſed gratiam Dei donum confiteatur, largitori gratias agens cum *Apoſtolo* 1. ad Co-

rinth. 15. dicente: *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Non enſim poteſt gratiæ Dei non eſſe ſubjectus, qui propriæ infirmitatis eſt conſcius, propriæque conditionis gnarus. *Diſcute*, inquit D. *Bernardus* Tract. *de Intern. Domo* cap. 36., *quid ſis, quid fueris, quid eſſe debueris, quid eſſe poteris: quid fueris per naturam, quid modo ſis per culpam; quid eſſe debueris per induſtriam; quid adhuc eſſe poſſis per gratiam*. Et *Auguſt.* ſuper Pſalmum 70. ſerm. 1. *Hæc eſt ergo tota ſcientia magna, hominem ſcire quia ipſe per ſe nihil eſt; & quoniam quidquid eſt à Deo eſt, et propter Deum eſt. Quid enim habes, inquit, quod non accepiſti: ſi autem accepiſti, quid gloriaris; quaſi non acceperis?*

Hæc eſt vera illa ſapientia, quæ à Domino Deo eſt, ut cognoſcamus, totum à Deo accepiſſe, quod in nobis eſt. Hoc & erit ſummæ dementiæ ſignum, & ſuperbiæ vitium de alieno intumeſcere, vel Dei gloriam nobis vindicare. *Quid enim habes*, inquit *Paulus* 1. ad Corinth. 4. *quod non accepiſti: quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ut in Dei miſericordia confidat homo, & non in viribus ſuis; fortitudo etenim liberi arbitrii non ex nobis quaſi ex nobis, ſed ex Deo eſt. *Deus Dominus fortitudo mea*. Pſal. 42. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam; quia Deus ſuſceptor meus es*, ut ait Pſalmiſta Pſalm. 58. Et *Auguſtinus* ibi: *Quia ergo fortitudine opus eſt, imploranda ab illo eſt, qui juſſit, ut fortes ſimus, & niſi fortes ipſe fecerit, non erimus, quod juſſit; ab illo, qui dixit, qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Ne ſibi ipſa anima arrogando fortitudinem debilitetur, ait Propheta, tu es Deus fortitudo mea*. Et iterum in Pſalm. 117. *Nemo cadit, niſi qui ſuâ ſibi vult eſſe fortitudo*, teſtatur ipſe *Auguſtinus*. At cùm Deus hominibus liberum dederit arbitrium, ut, quod volumus, eligamus, præbueritque rationis judicium, ut, quod præſtantius ſit, diſcernere valeamus: ſitque libertas, ut inquit *Bernardus* ſerm. 81. in Cantic. *Divinum quiddam eſſe præfulgens in anima, tamquam gemma in auro incluſa*, quâ Dei potiſſimum imaginem homo exprimit, ut eſt communis PP. ſententia cum D. *Thoma* 1. p. q. 83. art. 4.; propterea, ut integra, perfecta, ac ſuis omnibus partibus abſoluta ſit libertatis notio, diſputandum ſecundò duximus, an detur in actibus liberis ſubordinatio dependentiæ, & cauſalitatis à Deo, quâ nempè creaturæ in ſuis actibus liberis dependeant, & moveantur ab ipſo? Ut compertum ſit, in quo nempe Deo ſubjecti ſumus; vel quodnam ſit illud Dei dominium ſub quo pendemus ab ipſo: ne quem animus fallat, & noxiæ, ac infelicis aliàs libertatis ſuperbus amor, & falſa cognitio cauſam præbeant, ut dicatur ipſi, quod aliis olim reponebat *Auguſtinus* de ſpirit. & litter. cap. 3. *Adeòne liberi eſſe volunt, ut nec Deum velint habere Dominum?*

DU-

DUBIUM I.

An liberum hominis arbitrium in ſuis prædicatis eſſentialibus importet ſubordinationem Dei ad nos?

§. I.

Deum ſubjici, aut ſubordinari creaturæ nullo ſenſu dici poteſt. Rejiciuntur modernæ aliquorum locutiones.

1. SAnctus *Thomas* 3. p. q. 20. art. 1. tripliciter docet humanam naturam Deo ſubordinatam, ſeu ſubjectam. Primam ſubjectionem nominat ſecundùm gradum bonitatis, quam habet à ſummo bono, & illi hac ratione neceſſariò ſubjecta eſt. Secundam dicit eſſe quantum ad Dei poteſtatem; quatenus humana natura ſubjacet operationi Divinæ diſpoſitionis. Tertiam denique quantùm ad proprium actum; quatenus propria voluntate obedit eadem natura Divinis mandatis. Hæc doctrina altas habet radices in Scripturis Sanctis, eamque Eccleſiæ Patres religioſiſſimè coluêre, ut nemo, qui in illis aliquantò verſatus ſit, inficiabitur. Pertinent autem ultimum, ex iis, obedientiæ genus ad morale dominium; ſoli enim Deo debet obedientiam homo, in quantum homo. Secundum verò ad providentiam. Primum denique ad operandi virtutem. Circa poſtremum nulla unquam orta eſt, aut oriri potuit dubitationis umbra. Quis enim cogitare audebit, non teneri nos omninò obedire Divinis mandatis? Aut quis adeò erit ſacrilegus, ut Deum ſubjiciat noſtris? Æquè certum deberet eſſe ſecundum, niſi aliquatenus modernorum cogitationes germanum illius veritatis ſenſum confunderent. Nam operationem Dei, noſtræ ſubjicientes, & rerum humanarum ordinationem à noſtris actionibus dependere exiſtimantes, tantum ſubtrahunt Divinæ poteſtati, quantum noſtro tribuunt arbitrio. Eorum autem doctrinæ, & noſtræ apertiùs diſſidium apparebit, dum ad primum, ex memoratis, ſubjectionis genus conſideratio aſcendat. Nos enim majorum veſtigiis inſiſtentes, & ſacris eloquiis, atque definitionibus, ut ſtatim apparebit, omnino adhærentes, firmiſſimè tenemus, nihil in nobis boni eſſe, ſeu phyſicum, ſive morale in ordine æquè naturali, ac ſupernaturali rerum, quod à Deo non ſit, ut à principio, & cauſa, à qua illud ſuſcipimus, ipſumque ſuſcipere à Deo in nobis eſſe, quia bonum eſt. Ideò fingi non poteſt determinatio poſitiva aliqua noſtra, quâ determinetur à nobis Deus; quia ſi determinatio eſt poſitiva, actus eſt, & bonitatem habet; ſi autem bonitatem habet à Deo eſt: itaque ſemper operatio Dei debet præcedere. Unde nulla eſt actio noſtra, qua Deo ſubjecti non ſimus. Si enim quæcumque ſit, actio eſt, hac ratione bona eſt; nec niſi ab illo bonum habere poſſumus; nec, cùm bonum habeamus ab illo, poſſumus illi non eſſe ſubjecti, à quo illud habemus.

 2. Huc

2. Huc ſpectat, quod dictum eſt ab *Apoſtolo* ad Hebr. 1. v. 3. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Quod virtutem Dei activam ſignificat, ut nemo neſcit, ac æquè omnia eidem virtuti ſubjici, & ſubordinari manifeſtè prædicat. Id enim eſt, *portare omnia*; omnia cauſare, & omnibus traſcendentali actionis virtute conferre eſſe, & bonitatem. Simile eſt illud 1. ad Corinth. 12. 6. *Qui operatur omnia in omnibus*. Et iterum ad Epheſ. 1. 11. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*. Omnia ergo in nobis operatur; non ſecundùm determinationem, quam virtus ejus expectat à nobis; ſed ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Ecquid aliud eſt, omnia eidem ſecundùm operationem ſubjici? Si autem *omnia* in hoc genere cauſandi, operandi, ſeu agendi Deo ſubjiciuntur: ergo nihil excipitur: ergo Deo ſubjici, & ſubordinari eſt libertati creatæ eſſentiale: nequit enim non eſſe eſſentialiter Deo ſubjectum, quod Deus eſſentialiter ſuâ operatione ſubjicit: ergo vel negandum eſt, contra Apoſtolum, quòd de eſſentia actionis Divinæ ſit Deò ſubjicere omnia; vel aſſerendum, quòd de eſſentia, vel eſſentiale eſt libertati creatæ ſubjici Deo per operationem Divinam; non enim libertati creatæ, ſi exiſtit, accidit ſubjici, & ſubordinari Deo; quod enim accidit alicui, ſi exiſtit, poteſt illi exiſtenti non convenire, & libertati creatæ defectus hujuſmodi ſubjectionis eſt penitus impoſſibilis: ſicut & impoſſibile eſt, quòd ipſa actio Deo non ſubjiciat libertatem creatam. Immò quod principalius includitur in ipſa, eſt hujuſmodi Deo ſubordinatio. Teſte namque D. *Thoma* 1. p. q. 60. art. 5. *Unumquodque, quod ſecundùm naturam hoc ipſum quod eſt, alterius eſt, principalius, & magis inclinatur in id, cujus eſt, quàm in ſe ipſum*. Ergo cùm creatura ſecundùm id, quod eſt, Dei ſit, non poteſt non inclinari principalius, & magis in Deum, quàm in ſe ipſam: quod nihil eſt aliud, quàm ex ſua eſſentia eſſe Deo ſubjectam, & ſubordinatam: quæ vera ſubjectio eſt penitùs ab ipſa inſeparabilis, non ſolùm in ordine naturæ, ſed & in ordine gratiæ. *Ipſius enim ſumus factura*, inquit *Apoſtolus* ad Epheſ. cap. 2. *creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Hæc enim opera Deus in nobis operatur gratiæ ſuæ virtute efficaciſſimâ, quæ prædeſtinatione ſuâ præparavit, ut illa liberè exerceamus, & in illis proficiamus abſque ſuæ omnipotentiæ ſubordinatione ad creaturam: *Cum non ſolùm à Deo facti ſimus, quod ſumus, ſed & quòd liberi ſumus*, ut dixit M. P. *Auguſtinus* in Enchir. cap. 30. Tunc ergo efficimur verè liberi, cùm Deus nos creat, non ut homines, quos jam fecit, ſed ut boni homines ſimus, quos nunc gratiâ ſuâ facit, ut ſimus in Chriſto nova creatura; ſemper nempè dependens ab ipſo, & ei verè ſubjecta in eſſe, & operari. Unde & Pſalm. 61. *Nonnè Deo ſubjecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum*. Legatur integer Pſalmus, ubi tot ſunt hujus veritatis præconia, quot verſus. Huc etiam ſpectat illud ejuſdem Pauli, quod habetur Actor. 17. *Non longè Deus eſt ab unoquoque noſtrûm; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*. Ut enim explicat D. *Thomas* 1. p. q. 18. art. 2. *Noſtrum vivere, & mo-*

noſtrum eſſe, *& noſtrum moveri cauſatur à Deo*. Ipſum eſſe Deus influit in unoquoque noſtrûm, quia in ipſo ſumus: etiam operari Deus efficit in nobis, quia in ipſo movemur. Efficit & omnes vitales motus, quibus etiam liberi voluntatis actus comprehenduntur, quia in ipſo vivimus: quod totum ibidem exprimit D. *Paulus*, dum inquit: *Ipſe dat omnibus vitam*, *& inſpirationem*, *& omnia*. Ex quibus conſtat, rectâ ratione doceri dependentiam eſſentialem creaturæ à Deo tàm in ipſo eſſe, quàm in operari.

3. Hinc meritò SS. D. *Innocentius* Papa XI. fer. 5. die 23. Novemb. anni 1679. damnavit has duas propoſitiones: *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam*, *ut ea utamur*, *ſicut aliquis donat alteri villam*, *aut librum*: & ; *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*; quas, ut temerarias ad *minimum*, & novas damnat, & prohibet. Errore procul dubio ſeſe obſtringerent quicumque affirmarent, libertatem conſtitui per hujuſmodi ſubjectionem Dei ad nos. Nihilominùs tamen non deſunt AA. S. J., qui pro tuenda libertate pro certo affirmare non verentur ſubordinationem quandam Dei ad nos. Quæ ſubjectio, & ſubordinatio duplici modo ab ipſis excogitatur. Primò per hoc, quòd Deus omnipotentiam nobis liberè ſubjiciat per decretum, quo illam applicat voluntati ad concurrendum, quæ eſt ſententia omnium Recentiorum, qui tale Decretum aſserunt neceſsarium. Secundo modo hæc ſubjectio ab ipſis excogitatur; quia natura ipſa voluntatis hanc pro ſuæ complemento poteſtatis ſubjectionem omnipotentiæ requirit, quod videtur ab his AA. omninò eſse dicendum. Sicut expreſsè propugnat P. *Michael Avendaño*, qui lib.4. diſp.17. §.14. Caracteribus Majuſculis talem expreſſis verbis apponit titulum, §. 14. cap. 2. *Subordinatio Dei ad nos conſtituit libertatem noſtram*: *eoque titulo pugnat cum illa decretum*, *ſivè prædeterminans*, *ſivè concomitans ex ſe efficax*. Hæc ad verbum P. *Avendaño*: quæ legens obſtupui; nec ſcire potui, quo ſano ſenſu id unquam dici potuerit. Priorum autem Catholicorum ſententias, & loquendi candorem intuitus, miratus ſum reſonantem in Eccleſia Dei tantæ novitatis vocem. Exiſtimat ergo Scriptor ille (nec ſolus) ſubordinationem Dei nobis, ita eſse de eſsentia libertatis creatæ, ut, eâ deficiente, deficeret & eſsentia libertatis. *Quid enim aliud eſt quidditativè libertas*, inquit ille, *quàm poteſtas eligendi*, *ſeu poteſtas ſe determinandi per ſuam actionem pro libito ſuo ad hoc potiùs*, *quàm ad oppoſitum*? *Sed hæc penitùs deficeret*, *deficiente hujuſmodi ſubordinatione Dei ad nos*: *cùm repugnet dari in voluntate noſtra poteſtatem utendi pro libito ſuo concurſu alterius cauſæ*, *ſivè Divinæ*, *ſivè creatæ*; *niſi talis cauſa ſit in concurrendo ſubordinata noſtræ libertati*: ergo deficiente iſtâ ſubordinatione deficeret libertas. Hoc ità certum credidit, ut aſserere non dubitaverit, eſse lumine ipſo naturali notum, quod latiſſimè probare conatur. Semper tamen fugit hunc loquendi modum, *Deus eſt nobis ſubjectus*, *ſubjectio Dei ad nos*, aſserens *Deum ſubordinari*, *non verò ſubjici*; licèt aliquando confundat, vel pro eodem accipiat *ſubordinare*, *& ſubjicere*, ut conſtat ex diſp. 17. §. 21. n. 2.

ubi

ubi ſic habet; *Stante autem iſtâ ſubjectione noſtri ad Deum in operando, intellecta in eo ſenſu, poteſt ſimul adeſſe in Deo ſubjectio, ſeu ſubordinatio ad nos in operando.* En quomodò apud ipſum voces iſtæ ſubjectio, & ſubordinatio ſunt ſynonymæ, quidquid alibi diſſimulaverit. Et citatum numerum ſecundum concludit: *Et ſimul Deus eſt nobis ſubjectus, ſeù ſubordinatus in operando, ſubjectione, ſeu ſubordinatione contingente ex dignatione Dei libera.* Et num. 3. circa fin. ter admittit in Deo ſubjectionem ad nos. Idem repetit num. 4. circa fin. Et ſanè verbum *ſubordino* nihil aliud videtur importare, quod ad præſens attinet, quam *ſubjicio*: quia aliquid, vel aliquem alicui ſobordinare, eſt illum ſub ordine, & diſpoſitione illius ponere, ut nempè, illo jubente, iſte obediat: quod planè eſt unum alteri ſubjicere. *P. Leſſius Diſſert. Apologeticâ de gratia efficaci* cap. 10. *Si enim quæras, cur gratia hìc & nunc influit in opus? Reſpondendum, non quia gratia erat efficax ex ſe, & determinata ad influendum, hoc tempore, & hâc graduum intenſione; ſed quia liberum arbitrium ex ſua indifferenti poteſtate, ſe determinat ad nunc potiùs influendum & utendum gratiâ, quàm aliàs, idque tanto vel tanto conatu.* Unde expreſsè cap. 12. *Neque gratiam ſubjicimus voluntati, ſed uſum gratiæ*: ac ſi tam vires, quàm uſus virium ex Deo non eſset; ſubordinaretur que ſolùm voluntas Deo in habendâ poteſtate, non tamen quoad uſum talis poteſtatis; & quidquid boni operatur, totum illud non deberetur niſi gratiæ; poſſetque in illo bono uſu gratiæ partem ullam gloriæ ſibi ſuffurari, & tribuere, nec totam eam beneficentiæ adſcribere Divinæ: ex qua eſt talis bonus uſus, ut dixit *Aug.* Retract. lib. 1. cap. 9. *Et quia omnia bona, ſicut dictum eſt, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt; ſequitur, ut ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis.*

4. Non abſimili modo ſentit P. *Marin* tract. 3. de prædeſt. diſp. 5. ſect. 4. Hic enim poſtquàm num. 36. vitandas docet voces iſtas *ſubordinatio*, & *ſubjectio*, quia ſonant inferioritatem reſpectu cauſæ, cui ſubjicitur, & ſubordinatur; quam inferioritatem non habet Deus dans Creaturæ eſse, vires, & libertatem, quæ non poſset exire in actum, niſi Deo immediatè concurrente, tamen communem ſuorum doctrinam commemorans, & prædictum eorumdem ſenſum involvens, atque ad luculentiorem illius explanationem viam ſternens, dicit: *Quòd Deus dando libertatem, relinquat creaturam in manu conſilii ſui, ut ſola voluntas determinet, quid teneat, ut dicunt SS. PP. relati, & D. Thomas.* Undè numero ſequenti ſtatuit, quòd Decretum applicativum omnipotentiæ debet eſse indifferens, ut ſemel poſitâ libertate, ſolùm maneat in dominio voluntatis ſe determinare ad unum exercitium præ alio. Poſteà mentem ſuam diſtinctiùs aperit in reſponſione ad quintum argumentum num. 47. ubi objicens ſibi duas illas propoſitiones ab *Innocentio* damnatas, ſic reſpondet: *Conc. Maj. & neg. min. Quia illæ propoſitiones jure ſunt damnatæ, ut jacent, & in nullo ex noſtris AA. reperiuntur, ut jacent, ſimiles propoſitiones. Quod unus,*

vel

vel alter dicit, eſt, Deum quaſi ſubjicere nobis ſuam omnipotentiam; quod limitativum quaſi, valdè alienat ly ſubjici. Cui locutioni fortè occaſionem dedit Iſai. 33. SERVIRE ME FECISTIS IN INIQUITATIBUS. *Anſelmus de caſu Diaboli cap.* 18. NON SOLUM HABET ALIQUIS A DEO, QUOD DEUS SPONTE DAT, SED ETIAM, QUOD SPONTE RAPIT, *Deo permittente*. Et ex *Bernardo* dicente: DEUM QUASI INVITUM DAMNARE, *ut vidimus diſp.* 3. *ſect.* 4. *Et quidem potiùs denotat, ſubjectionem eſſe obligationem ex juſtitia ad faciendum, quod velit Creatura, quàm parare indifferenter omnipotentiam, ut Creatura determinet. Et Thomiſtæ communiter dicunt, ut videbimus diſp.* 5. *ſect.* 1. *Deum non ſolùm eſſe obligatum ex juſtitia ad acceptanda merita Chriſti, ſed eſſe obligatum ex juſtitia ad præmianda merita Sanctorum. Veriùs tamen, & decentiùs judico, non eſſe utendum his terminis: Deus quaſi ſubjicit omnipotentiam, quia videntur malè ſonare: quâ ſolùm ratione fortè jure damnaretur, non ſolum hic modus loquendi, ſubjicit, ſed etiam hic, quaſi ſubjicit. Satius eſt cum Scriptura dicere, quòd parat omnipotentiam, relinquendo nos in manu conſilii noſtri*. P. *Herrera* de prædeſt. q. 8. ſect. 3. num. 53. cum aliis aſserit, omnipotentiam non indigere aliâ ſui applicatione, quàm excluſione, tùm prædeterminationis, tùm decreti effcacis, unius extremi ab illo extremo omninò independentis. Hìc prudens Lector animadvertat, quâ veritate P. *Marin* aſseruerit, in nullo ex ſuis hanc aſsertionem reperiri.

5. Ab eadem ſubjectione omnipotentiæ non diſsentit Reverendiſs. P. *Thyrſo*, qui tom. 1. ſuarum ſelect. diſp. 11. num. 14. ſic ſcribit: *Quia tamen vult, ut operetur liberè, illud decretum (indifferens nempè) manet expoſitum, ut pro nutu voluntatis conjugatur cum carentia actûs; quia licèt ex ſe ſit efficax ad ſubjiciendam omnipotentiam arbitrio creato, non tamen ad inducendum concurſum ſimultaneum*. Et num. 15. ibi. *Nam hoc ipſo, quòd Deus voluit producere voluntatem, eique conferre cognitionem ſufficientem ad honeſtè, vel pravè operandum, voluit illi ſubjicere ſuam omnipotentiam in ordine ad utrumque extremum*. Uno verbo P. *Avendaño* diſp. 13. cap. 3. p. 3. aſserit, eſse communiorem ſententiam inter Jeſuitas. Et reverà recentiores Jèſuitas conſiderantes, apud omnes fermè, quos novimus, iſte diſcurrendi modus propugnatur. E contrà verò Thomiſtæ hanc Dei nobis ſubjectionem quomodocumque ab ipſis explicatam rejiciunt.

6. Ante omnia autem obſervandum pro intelligentia memorati decreti *Innocen. XI.* falſiſſimum eſse, propoſitiones iſtas fuiſſe ad ipſo damnatas, *ut jacent*: quia, *ut jacent*, ſignificant dominium proprietatis in Creaturis reſpectu omnipotentiæ, ut ſentit P. *Marin* loco citato; quod evidenter oſtenditur ſequenti diſcurſu. Propoſitiones illæ fuerunt à Sede Apoſtolica, ut temerariæ, non tamen ut hæreticæ, & blaſphemæ proſcriptæ: ſed ſi in ipſis exprimeretur dominium proprietatis in Creaturis reſpectu omnipotentiæ, ut hæreticæ, & blaſphemæ pronuntiarentur ab Eccleſia: ergo non fuerunt damnatæ *ut jacent*: quia *ut jacent*, expli-

explicant dominium proprietatis in Creaturis reſpectu omnipotentiæ. Minor de fide eſt, ſecundùm quam, ſicut Deus non facit propriam nobis, ſanctitatem ſuam (quod definitum eſt in Concilio Tridentino) ita nec virtutem, aut potentiam ſuam. Nec eum, qui ſolus Dominus eſt, dicet aliquis, niſi blaſphemus, dare nobis dominium ſupra ſe: quod prædicat perpetuus Sacrarum Scripturarum ſermo, per quas non ſolùm Æterna Veritas hoc nos docet, ſed & D.*Thom.*1.p.q.23. art.5. aſserens: *Nemo fuit tam inſanæ mentis, qui diceret, merita eſſe cauſam prædeſtinationis ex parte actûs prædeſtinantis*:quia actus iſte eſt ipſe Deus:ſed etiam omnipotentia Dei eſt ipſe Deus; ergo non minùs inſanæ mentis, ſivè Fanaticus eſset, qui diceret, Deum transferre dominium in voluntatem creatam, ut habeat verum proprietatis dominium ſupra omnipotentiam. Non ergo in propoſitionibus damnatis ſignificatur hoc verum proprietatis dominium, ſed ſolùm libera omnipotentiæ ſubordinatio in concurrendo cum voluntate creata ad actus liberos; aliàs non ut temerariæ, ſed, ut diximus, velut blaſphemæ, & hæreticæ eſſent damnatæ propoſitiones.

7. Huic primæ obſervationi affinis eſt altera contra R. P. *Thyrſo* loco citato dicentem: *Undè patet, quo ſenſu dixerim, Deum quaſi ſubdi, & ſubordinari arbitrio creato ex indulgentia, & benignitate ſua, nempè cum addito diſtrahente verbum ſubjicio, & ſubordinatio à ſignificatione ad aliam, ſcilicet quoad determinationem, quatenus ſe ſinit determinari à voluntate creata, quod non eſt ſubjicere, & ſubordinare omnipotentiam arbitrio creato, ſed ſubjicere actionem quandam omnipotentiæ, ſcilicet influxum actualem illius in actionem liberam Creaturæ*, in quo ſenſu primam propoſitionem explicat. Et infrà num. 13.: *Hæc propoſitio*, SUBJICIT NOBIS SUAM OMNIPOTENTIAM, *ſine limitatione accepta abſurda prorsùs apparet: quia omnipotentia, quæ continet ſub ampliſſimo ſuo dominio cauſas omnes creatas, nulli ſubordinari valet. At quòd omnipotentia reduplicativè ut applicata per decretum indifferens ad concurrendum cum noſtro arbitrio libero, quodammodò ſubordinetur illi, in ordine ad concurſum cum ipſo ad operationem liberam, non abſurdum, ſed verum omninò eſt*. Cui doctrinæ conſentit P. *Marin* judicans, ut verius, ac decentius, non eſſe utendum his terminis, *Deus quaſi ſubjicit ſuam omnipotentiam*, quia videntur malè ſonare, & quâ ſolùm ratione fortè jure damnaretur non ſolùm hic modus loquendi, ſed hic, *quaſi ſubjicit*. Hoc autem falſum penitùs judicamus; temerariè namque uteretur quis illis vocibus, & expreſsè contra damnationem factam, cùm nihil aliud dixerint Auctores illarum propoſitionum, qui per hæc verba, *dono*, ac *ſubjicio*, rigoroſum dominium non intellexerunt: nam ut diximus, id eſſet hæreticum, & blaſphemum, & dum Sanctiſſimus ab his cenſuris abſtinuit; illa *quaſi ſubjectio* eſt, quam fulmen Apoſtolicum comprehendit.

8. Si tamen verè, & ut par eſt, ſincerè horum Auctorum principia, & ſenſus ſcrutemur, neſcio, quid faciat temperamentum illud adverbii *quaſi*. Nam ſi veræ ſubjectionis ſignificationem non avertit, quid

quid aliud eſt quod damnatum eſt? Verbis, & ſenſibus ſole meridiano clarioribus damnatum eſt dicere: *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*. Quid è contrario faciet temperatio vocis per adverbium *quaſi*; dum maneat integritas ſenſus? Quod ſi velint abalienari non modò vocem, ſed etiam rem; ut adjuncto adverbio *quaſi* non maneat vera ſubjectio, ſcire amabo, quomodò id cum eorum principiis, & doctrinis cohæreat? Etenim influxus Dei in actu ſecundo juxta ipſos eſt nobis verè, & propriè ſubordinatus; & non poteſt influxus Dei in actu ſecundo eſſe nobis verè, & propriè ſubordinatus, quin verè, & propriè ſubordinata ſit nobis Dei omnipotentia: implicat quippè, influxum alicujus cauſæ, prout ab ipſa fluit, eſſe nobis ſubjectum, & ſubordinatum, quin ipſa cauſa, ut influens, ſit nobis ſubjecta, & ſubordinata: quod inductivè conſtat, tùm in habitu, cujus influxus, quia prout ab ipſo profluit, nobis ſubjicitur, etiam ipſe habitus, ut influens, & ut influat, nobis eſt ſubjectus; tùm in potentiis inferioribus, quæ operantur ex motione, & imperio voluntatis; tùm in inſtrumento etiam quoad actionem particularem, & propriam: immò & in cauſis naturalibus, quæ influunt in opus artificiale ex imperio, & directione artis: ergo ſi influxus omnipotentiæ eſt nobis verè, propriè, & abſolutè ſubjectus, & ipſa Dei omnipotentia. Ad quid ergo illud *quaſi*, ſi explicativum non eſt veræ ſubjectionis abſolutè talis, quam reapsè doctrina continet? Ergo illo poſito, vel omiſſo, doctrina illarum propoſitionum, quæ tot annorum lapſu obliterata, & quaſi extincta debebat eſſe, jam reſtrictione illâ reviviſcit, cum ſemper quibuſcumque vocibus illa omnipotentiæ applicatio, ſive concurſus Dei hominis determinationi relictus, explicetur, ſemper vera, & abſoluta ſubordinatio Dei Creaturis ab ipſis concedenda videatur, quâ ſemel conceſsâ, credet quis facilè, ægrè poſſe Auctores, hanc propugnantes, prohibitionis fulmen effugere. Nec ob id aſſertivè pronuntiamus, damnatum eſſe in illis propoſitionibus applicationem omnipotentiæ per decretum indifferens. Abſit, dùm controverſiam iſtam attingere ſpiritu pacis, & lenitatis intendimus; nèc noſtrum ultra dicere eſt, donec expreſsiùs judicium Summi Pontificis accedat. Ad inconveniens tantùm ſententiam iſtam deducere conamur, quod longiſſimè diſtat à cenſura, alioquin nulla ſententia ab inconvenienti contra fidem ex illa ſecuto, impugnari poſſet; cujus contrarium paſsìm apud Theologos inter ſe diſputantes legitur. Hoc ergo ſolùm proponimus, ut, qui veritatem amant, certiùs inſtruantur: cùm hoc ſit hujus graviſſimæ diſputationis initium, hoc prolixi litigii caput, hincque nata eſt acrior utriuſque Scholæ concertatio, quæ per tot annos Theologorum omnium exercet ingenia.

§. II.

Repugnat aliquod decretum liberum in Deo, omnipotentiam à libertate creata determinabilem, vel ipſi ſubordinatam ſtatuens.

9. NUlla robuſtior ad ſtatutæ concluſionis probationem ratio adduci valet, quàm quæ ex repugnantia ſubordinationis concurſûs Divini creaturæ elicitur. Compertiſſima eſt ex ſacris litteris repugnantia. Hanc perſuadet egregiè Pſalmiſta Regius, Pſalm. 36. dicens: *Subditus eſto Domino, & ora eum*; & Pſalm.61. *Nonnè ſubjecta erit Deo anima meâ?* Id non minùs dilucidè tradit *Apoſtolus* ad *Rom.* cap. 3. verſ. 19. prædicans, ut agnoſcant omnes ſe Dei miſericordiâ, & *Chriſti* mediatoris gratiâ ſummè indigere: *Omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Et ad Corinth. 15. verſ. 21. & 22. quòd omnia Deus *Chriſti* imperio ſubdidit, Angelos, homines, electos, reprobos, cœleſtia, & terreſtria, quæ omnia ſapientiâ ſuâ regit, manu ſuâ ſuſtentat, & imperiò voluntatis omnia operatur in nobis, verificans illud Pſalmi: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; Patrem ſolùm excludens, qui ſubjecit illi univerſa, & qui nullam conditionem aſſumpſit, quâ debeat eſſe ſubjectus: *ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* Hanc eandem veritatem ob oculos clariſſimè ponit ad *Hebræos* 1. v. 3. dicens: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*; quia omnia regit, & operatur imperio voluntatis ſuæ. Et ad *Epheſ.* 3. verſ. 19. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis.* Quod idem legitur 2. *Machab.* 9. *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Quibus ſatis conſtat, qualis debeat eſſe ſubjectio liberi arbitrii ad Deum. Quarè *Concilium Arauſicanum* 2. Can.6. anathemate plecti voluit eos, qui miſericordiam Dei, aut Divinum adjutorium humanæ obedientiæ ſubjungerent.

10. Hanc doctrinam ut certiſſimam tradunt *Epiſcopi Africani* in *Sardinia* exules in ſua Epiſtola Synodica ad *Joannem*, & *Venerium* cap. 18. dicentes: *Ipſe enim facit gratiæ ſuæ participes, quos prædeſtinavit ad vitam: ut in omnibus ſuis humanæ arbitrium voluntatis gratiæ Dei ſubjiciatur, & ab ipſo ſibi cognoſcant deſcendere omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Id brevi verbo complexus eſt *Origenes* Hom. 5. in diverſ. tom.4. ubi *Centurionem* ſic loquentem inducit: *Tu mandas, quod ſtatim completur: quod enim mandas, & dicis, ſic & ſine mora perficitur: omnis enim creatura ſervit tibi.* Conſimiliter *D. Proſper* contra Collatorem cap. 26. *Agit hoc occulta, & potens gratia Dei, non ut invitum ſubigat, ſed ut ſubjectionis cupidum faciat.* Et in Epiſt. ad *Auguſtinum*: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam volunt eſſe humanorum meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea, ſecundùm ſuam*

phan-

phantaſiam, non negant eſſe præventas. Quarè egregiè *Thomas Bradvvardin* Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum Deo loquens, exclamat: *Sui libertatem arbitrii extollentes, tuam refugiunt ſervitutem; vel ſi te cooperari cum eis ſaltem labiis fatentur, cum illis ſuperbis, & odibilibus civibus tuis quondàm, te ſuper eos regnare diffugiunt.* Parùm ipſi dixiſſe viſum fuit, unde & ſuperaddit: *Imò & ſuperbiores Lucifero, æqualitate ſui nequaquàm contenti, ſuper te, Rex Regum, impudentiſſimè geſtiunt ſe regnare; non enim verentur aſtruere ſuam voluntatem in actione communi præire ut dominam, tuam ſubſequi ut ancillam; ſe præire ut dominos, te ſubſequi ſicut ſervum; ſe velut Reges præcipere, te tamquàm ſubditum obedire.* Hæc ille. Quod & canit Eccleſia in Hymno converſionis *S. Pauli.*

O celſa Cedrorum, Deus,
Qui voce vertis culmina!
O qui potenti ſubjicis
Mentes ſupernas gratiæ!

Et in Hymno alio:

Chriſtus occupat furentem,
Cæcat, urget, dejicit:
Ille cedit imperanti,
Seque totum ſubjicit;
Perſecutor ante Chriſti,
Præco nunc Chriſtum ſonat.

11. Legendus inſuper *S. Auguſtinus* in Pſalm. 3. enarrat. 2. *Duæ ſunt voluntates*, inquit, *ſed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei torqueatur ad tuam; prava enim eſt tua, regula iſta: ſtet regula, ut quod pravum eſt, ad regulam dirigatur.* Et in Pſalm. 124. *Qui ſunt recti corde? Qui voluntatem ſuam ad voluntatem Dei dirigunt, non voluntatem Dei ad voluntatem ſuam curvare conantur. Vis habere rectum cor? Tu fac, quod vult Deus, noli Deum velle facere, quod vis tu. Quarè* in Pſalm. 62. obſervat S. Doctor Prophetam Regium non dixiſſe: *Adhæſit anima mea tecum*; ſed, *poſt te. Agglutinetur*, inquit iterùm, *anima tua poſt Deum, ut ille præcedat, tu ſequaris:* juxta illud celebre veterum ſapientum dictum, quod commendat *D. Ambroſius* lib. 1. de *Abraham* cap. 1. *Sequere Deum*, ideſt, voluntatem tuam Divinæ ſubjicias, non Divinam ad tuam detorqueas. Cui conſonat *Thomas à Kempis* lib. 3. cap. 18. *Pone me Domine, ubi vis, & liberè age mecum. In manu tua ſum, gira, & reverſa me. En ſervus tuus ſum ego, paratus ad omnia.* En perfectiſſima liberi arbitrij Deo ſubjectio.

12. Fundatur ſecundò aſſertio iſta, in ſequenti ſatis efficaci diſcurſu. Idem eſt, omnipotentiam eſse à libero arbitrio determinabilem, ac eſſe libero arbitrio ſubjectam: ſed ex dictis repugnat hujuſmodi ſubjectio: ergo & quòd omnipotentia ſit à libero arbitrio determinabilis. Major probatur. Concurrentibus duabus cauſis, illa verè, & propriè ſubjicit aliam, à qua incipit verè, & propriè alterius efficientia, & ſub cujus dominio ita eſt alterius concurſus, prout ab ipſa profluit, ut in effectum non poſſit influere, niſi ex dominio, applicatione, & determinatione talis cauſæ: ſed à determinatione creatæ voluntatis, ut fa-

tentur Adverſarii, incipit verè, & propriè concurſus Divini efficientia, & Deus ut actu operans, ſivè concurſus illius ad aliquem actum liberum non exiſtit proximè. & formaliter ex determinatione Dei, ſed ex determinatione voluntatis creatæ: ergo idem eſt, omnipotentiam eſse à libero arbitrio determinabilem, ac eſse libero arbitrio ſubjectam. Vel aliter. Omnipotentia, taliter applicatur voluntati creatæ ex vi decreti indifferentis, quòd voluntas creata, & Deus cum ipſa non operetur id, quod Deus voluerit, vel in quod inclinaverit, & direxerit voluntatem creatam; ſed potiùs indifferens Deus operatur id, quod voluntas creata voluerit, & in quod ipſum inclinaverit. Etenim hominem eſſe relictum in manu conſilii ſui juxta ipſos eſt tali ſenſu verum, ut omninò repugnet, ſalvâ libertate, Deum voluntatem creatam movere, inclinare, & determinare ad aliquod agendum; ſed hoc eſt vera ſubjectio ex parte Dei, verumque dominium ex parte Creaturæ: cùm dominium rei definitivè ſit, facultas utendi re ad quos voluerit uſus: ergo idem eſt, omnipotentiam eſse à libero arbitrio determinabilem, ac eſse libero arbitrio ſubjectam.

13. Doctrinam iſtam aſsumit ut principium notum *P. Auguſtinus Herrera* q. 9. de prædeſt. ubi, excludens decretum comitans propugnatum à *P. Ribadeneira*, dicit: *Quòd ſicut vera poteſtas determinandi conſenſum eſt verum dominium; ita vera determinabilitas ab alia causa libera ad eumdem conſenſum eſt vera ſubjectio phyſica in ordine ad prædictum conſenſum*. Verba ſunt hujus primarii Complutenſis, qui iterum ibi hoc ipſum docet ſequenti diſcurſu. Subjici cauſam A alteri poteſtati liberæ, v. g. cauſæ B in ordine ad aliquem effectum, nihil eſt aliud, quàm ita eſse cauſam A, ſub poteſtate libera cauſæ B, in ordine ad illud opus, ut cauſa A nequeat tranſgredi determinationem liberam cauſæ B, ſi enim cauſa B ita habet in ſua poteſtate effectum cauſæ A, ut poſſit determinare cauſam A, ut eliciat ſuum effectum, & cauſa A nequeat ponere illum, niſi determinante cauſâ B, cauſa A ſubjicitur cauſæ B in ordine ad prædictum effectum. Quid enim eſt aliud ſubjectio phyſica, quàm phyſica neceſſitas conformandi ſe determinationi alterius? Sicut enim ſubjectio moralis per moralem obligationem hujuſmodi neceſſitatis explicatur; pari ratione ſubjectio phyſica per phyſicam conformitatis obligationem explicari debet. Hæc *P. Herrera*, & ut vera ex lumine naturali. Ecce quomodo vera poteſtas in voluntate creata ad determinandam omnipotentiam, & vera determinabilitas in omnipotentia à poteſtate voluntatis creatæ in ordine ad concurrendum ad conſenſum, eſt verum dominium in voluntate creata ſupra omnipotentiam, & in omnipotentia vera ſubjectio ad voluntatem.

14. Hoc & fateri tenentur Adverſarii. Primò, quia juxta principia, quibus nititur ſcientia media, omnipotentia ita eſt ſub poteſtate voluntatis creatæ in ordine ad efficiendum conſenſum, ut concurſus omnipotentiæ unicè exiſtat pro determinatione voluntatis creatæ, & nullatenùs pro determinatione voluntatis Divinæ, quæ nec poteſt reſiſtere voluntati creatæ, neque ſuæ omnipotentiæ concurſum impedire,

ſi vo-

ſi voluntas creata eam ad concurrendum applicare voluerit; alioqui non manebit, ajunt, libera. Sed ſi concurſus Divinus unicè exiſtit pro determinatione voluntatis creatæ, & voluntas Divina reſiſtere non poteſt voluntati creatæ omnipotentiam ad concurrendum determinanti, datur vera omnipotentiæ ſubjectio, verumque in concurſum divinum, voluntatis creatæ dominium: ergo determinabilitas omnipotentiæ à voluntate creata eſt vera omnipotentiæ ſubjectio voluntati creatæ.

15. Secundò; decretum indifferens ſaltem inadæquatè conſtituit voluntatem creatam expeditè potentem ad operandum liberè, & cum dominio ſupra ſuos actus, ut aſſerunt ipſi; ſed juxta ipſorum principia, ut voluntas ſit liberè potens elicere actum, debet habere ſub dominio & poteſtate ſua, quidquid neceſſarium eſt ad exiſtentiam actûs, aliter enim verificari nequit, quòd voluntas habeat illud privativum dominium, quod ipſi volunt; ergo cùm ad exiſtentiam actûs eſſentialiter requiratur influxus omnipotentiæ in ipſum; etiam talis influxùs debet eſſe ſub dominio voluntatis. Vel aliter: Non eſt vera libertas apud defenſores ſcientiæ mediæ, niſi omnia comprincipia conſtituentia poteſtatem ad actum, & omiſſionem, ſint à voluntate æquè determinabilia ad utrumque libertatis extremum; ſed unum ex comprincipiis requiſitum eſſentialiter, & ut conſtitutivum hujus poteſtatis, eſt omnipotentia parata ad concurrendum, ſive applicata voluntati: ergo omnipotentia ſic parata, & applicata debet eſse æquè determinabilis à voluntate, eo prorſus modo, ac reliqua comprincipia, ut ſint à voluntate pro ſuo placito determinabilia, debent eſse voluntati verè ſubjecta: ergo & omnipotentia debet eſse voluntati verè ſubjecta.

16. Hoc ampliùs urgeri, & explicari poteſt in concurſu omnipotentiæ ad actum pravum, de quo aſſerunt, Deum medio illo producere tùm materiale, tùm formale peccati: & cùm urgentur, Deum, ſi ſuo concurſu utrumque attingat, fore cauſam peccati; reſpondent, id ex concurſu illo minimè ſequi: quia concurſus ille, etſi phyſicus, eſt merè permiſſivus, quô Deus non concurrit determinativè, ſeu ex propria determinatione, ſed neque ullatenus intentivè, immò potiùs præter, & contra propriam voluntatem. Sic docet *P. Moncada* Primarius Complutenſis in tract. de concurſ. ad peccatum cap. 3. nu. 17. & cap. 4. num. 34. ibi: ſuccedit immediatè abuſus voluntatis, hoc eſt prava actio, ſeu electio, per quam voluntas noſtra determinando ſeipſam, trahit concomitanter omnipotentiam quaſi invitam, & contra id, quod Deus optabat. Id ipſum latè ſub diverſis expreſſionum formulis ſignificantibus reipſa violentiam, & coactionem Dei ex noſtra turpi determinatione operantis docet P. *Marin*: nec aliud frequentiùs à modernis ſcientiæ mediæ defenſoribus audimus. Ex hac ergo doctrina, apud AA. S. certa; imò & ad explicandum concurſum Dei ad peccatum omninò illis neceſsaria, formatur argumentum. Non ſtat, Deum à voluntate creata trahi coactum, & quaſi invitum præter, & contra propriam voluntatem, atque contra id, quod ipſe optabat, quin ſit verè, & abſolutè ſubjectus voluntati creatæ; ſive hæc ſubjectio ſit volita per

de-

decretum, quô applicat omnipotentiam, ſive ex natura ipſa omnipotentiæ: coactio quippe, cùm ſit violenta, prærequirit ſubjectionem in eo, qui cogitur; nullus enim poteſt cogere eum, quem non habet ſibi ſubjectum. Trahi etiam ad aliquid faciendum contra id, quod aliquis vult, imò & contra id, quod optat, ſtare minimè poteſt ſine ſubjectione illius, qui trahitur. Sic Pater cogit Filium, Prælatus Subditum, ut faciant contra id, quod ipſi volunt: quia nempè Filius Patri, & inferior ſubditus eſt Prælato. Unde *Joan.* cap. 17. pronuntians *Chriſtus Petro* martyrium, dixit: *Alius cinget te, & ducet quò tu non vis*. Ecce priùs cingitur, ut ſubjiciatur Miniſtris, qui illum nonniſi priùs ſubjectum poſsent ducere, quò *Petrus* non vellet: ſed Deus præter, & contra propriam voluntatem concurrit ad actùm peccati determinatus à creatura; ergo eſt verè, & propriè ſubjectus creaturæ juxta illorum doctrinam. Nec putent, ſe excuſari poſse, quia dicant, ſubjectionem hanc eſſe Deo liberam, & inde non indecentem; cùm indecens non videatur ſubjici, quia vult. Nam præterquamquòd ipſum poſse ſe ſubjicere indecens eſt, & perfectionem removet naturæ eſsentialiter ſuperioris, eſt etiam falſum, quòd ſe liberè ſubjiciat, ſi hanc ſubjectionem eſſentialiter petit noſtra libertas. Non enim dicimus, Deum pro libertate ſua facere id, quod titulo Auctoris naturæ facere tenetur: & quod ni faceret, debitum negaret. Sed de hoc adhuc poſteà.

17. Nec præterire valeo, quàm arduum ſit Adverſariis aperire modum, quo omnipotentia voluntati humanæ ſubſit, & ſimul indecentiam re, & verbo vitare. Cùm enim Omnipotentia Divina non ſit ex natura rei ſubjecta arbitrio creato, aut illi ſubordinata, requiritur aliquod decretum liberum, Dei voluntatem ſubordinans, quod nequit ab ipſis ullo explicari modo, quale, qualiſve naturæ, ac tendentiæ ſit tale decretum. Teſtes appello eoſdem, qui eam viam ingreſſi, nunquàm ſibi conſentientes inveniuntur; nec aliud nobis opus eſt, niſi pro uniuſcujuſque impugnatione, aliquem ex iiſdem Auctoribus vocare. Quod ſanè magnum argumentum prudentibus debet eſſe, ut agnoſcant, quàm ſit impoſſibile firma, & ſtabilia fundamenta jacere hujuſmodi humanæ cogitationis. Veniat in exemplum gravior ex Societatis Scriptoribus P. *Suàrez* Prologom. 2. de gratia cap. 8. aſſerens, Deum per hoc decretum non abſolutè, neque omninò conditionatè, ſed quaſi ſub conditione velle, ut hic actus fiat à voluntate creata, ſi ipſa ſe ſe ad illum eliciendum determinaverit, & ſub eadem conditione vellet influere, & concurrere in eumdem actum, expectando tamen, inquit P: *Suarez*, ut ſic dicam, influxum voluntatis creatæ: non quia non poſſet ipſe aliter illum actum efficere, ſed quia vult, ſe ſe noſtræ voluntati ita accommodare, ut ejus non lædat libertatem. Ex vi autem hujus Divinæ voluntatis ita manet applicata Divina Omnipotentia ad influendum in actum humanæ voluntatis, ut hâc influente abſque nova Dei voluntate, & applicatione ſuæ omnipotentiæ, Deus etiam influat, quaſi neceſſitate quadâm, ortâ ex ejus voluntate, quæ ad id, quod vult, & quomodò vult, efficax, & immobilis eſt. Ita refert *Suaris* ſententiam P. *Avendaño* diſp. 13. cap. 2. §. 1.

18. Sed

18. Sed decreti hujus explicationem non ſoli omnes noſtri, ſed & plures ex ſuis frequenter impugnant. Debet namque, ajunt, & benè, decretum liberum Dei reſpicere objectum contingens; nam objectum omninò neceſſarium non poteſt non eſſe: ſicut non poteſt non eſſe, hominem eſſe animal ex ſuppoſitione, quòd ſit: ſicut ergo eſſet imprudens dicere: volo hominem eſſe animal, ſi eſt; ita imprudens eſſet dicere: volo, id eſſe, quod eſſe neceſſarium eſt, quod ſanè eſt Deo ob ineptiam repugnans: ergo decretum liberum Dei debet reſpicere objectum contingens, & non neceſſarium: ſed eſt objectum omninò neceſſarium, Deum ad illum actum concurrere, ſi voluntas ad illum concurrerit, vel ſi ad illum determinaverit, cùm concurſus, ſeu determinatio voluntatis, ac Dei concurſus ſint idem, ut propugnant ipſi, & eſt unus omnium animi ſenſus: ergo Deum ſic decernere: volo concurrere, ſi voluntas concurrerit, vel ſe determinaverit, idem prorſus eſt, ac dicere: volo concurrere, ſi concurrero; quod non contingens, ſed neceſſarium eſt, & Deo penitus repugnans. Hæc in exemplum dicta ſunt, qui plura volet, adeat ipſos Societatis Scriptores P. *Suarium* rejicientes. Nos autem alios dicendi modos percurramus.

19. P. *Avendaño* diſp. 13. cap. 2. §.2. n.1. opinatur, decretum Divinum applicans omnipotentiam ad concurrendum in actum liberum eſſe decretum conditionatè efficax, volens ſcilicet concurrere in amorem, quando res ita ſe habeat, ut homo ſit concurſurus ad eum, modò Deus ipſe præparetur ad concurrendum in ipſum; in odium verò, quando res ita ſe habeat, ut homo ſit concurſurus ad illud, modò Deus ipſe ſit paratus ad concurrendum in illud: in omiſſionem, quando res ita ſe habeat, ut homo ſit concurſurus ad eam, modò Deus ipſe ſit paratus ad concurrendum ad eam. Hæc ille. Et ſtatim n.2. addit; iſtud decretum verè æquivalet alteri, quod poteſt explicari his verbis: *Subordino meam omnipotentiam humanæ voluntati reſpectu exercitii liberi*. Quod quidem decretum habet pro objecto omnipotentiam, & noſtrum exercitium liberum, immediatèque ad utrumque terminatur; ad omnipotentiam quidem, tanquàm ad objectum, quod ſubordinatur; & ad exercitium noſtrum, tanquàm ad objectum reſpectu cujus ſubordinatur. *Cæterùm iſtud decretum*, attende verba, *dici poteſt prout magis libuerit, vel efficax ſub conditione, vel efficax cum ſubordinatione*, quæ verba referenda duxi, ne quis à nobis ipſi quidquam falsè impoſitum fuiſſe arbitretur.

20. Diſplicet hujus Auctoris opinio; vel quia ab ipſo expreſsè dicitur, *ſubordino meam omnipotentiam arbitrio creato*, quod, an patienter poſſit audiri, non ad nos; non enim eſt noſtrum reddere, quod juſtitiæ cenſura dijudicat, dum ſolùm veritatem inveſtigamus. Secundò: quia dum aſſerit, quòd decretum illud eſt efficax ſub conditione, interrogo, ſub qua conditione? Certè ſub nulla alia, quàm ſub conditione, quòd voluntas ſe determinaverit: ergo decernit Deus efficaciter hoc modo: volo efficaciter concurrere cum voluntate ad amorem, ſi ipſa ſe determinaverit ad amorem; vel ad odium, ſi ipſa ſe determinaverit

ad

ad odium; vel tandem non concurrere, ſi ipſa non voluerit concurrere. Ex quo decreto, quæ non ſequuntur inopinabilia? In primis infertur, Deum velle efficaciter concurrere, ſi concurrerit, quia concurſus voluntatis, & Dei idem prorſus ſunt in Adverſariorum ſententia. Præterea: vult concurrere ad actum pravum eodem modo, atque ad actum bonum: nam quantùm ad concurſum volitum per illud decretum nullo alio modo tenditur in actum bonum, quo non tendatur in actum pravum, quidquid ſit de volitione inefficaci actûs boni, quam aliqui requirunt, ut non ſit per accidens concurſus ad actum bonum, quod ſuo proprio loco judicabitur.

21. Ulteriùs: ex vi illius decreti omnipotentia non eſt magis applicata ad exercitium, quod de facto eligit voluntas, quàm ad exercitium, quod non eligit: ergo illud decretum, quatenus eſt ex ſe, æqualiter vult concurrere ad amorem, ad odium, & ad omiſſionem, quæ eſt doctrina ipſius ibi num.5. & expreſsiùs dixerat num.4. ſed juxta ipſum implicat decretum illud eſſe connexum, ſeu velle illa tria exercitia eſſe ſimul, utpotè incompoſſibilia: ergo vult illa ſub disjunctione, id eſt, unum vel aliud vult exiſtere: ergo vult efficaciter concurrere, vel non concurrere, quod eſt ſimpliciter neceſſarium, ac nullo modo contingens.

22. Et tandem: magis difficilis eſt ſubordinatio, quam agnoſcit ipſe in omnipotentia, quàm ſit ſubordinatio habitûs ad voluntatem, quam & ipſe num.4. in fine adducit, ut confirmet hujus decreti ſubordinantis naturam. Et ratio eſt; quia quantumvis habitus virtuoſus, ſeu honeſtus ſit voluntati ſubordinatus, non poteſt à voluntate determinari ad malum; eſſet namque, voluntatem male uti virtute contra rationem ipſius virtutis, quam explicat D. *Thomas* 1. 2. q. 55. art. 4. dicens: eſſe de ratione virtutis, quòd eâ nullus male utatur. Unde *virtus definitur*: *Eſt bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur*. Econtrà verò, omnipotentia ex vi hujus ſubordinationis à voluntate determinatur ad malum, quæ applicatio omnipotentiæ ad malum eſſet malus uſus omnipotentiæ: ergo pejor eſſet ſubordinatio, quam ſtatuit in omnipotentia, quàm quæ dari poteſt in habitu virtuoſo in ordine ad voluntatem. Magnam potentiam habitibus noſtris deteriorem!

23. P. *Herrera* loco citato aſſerit, num.6. quòd ut applicetur omnipotentia nobis ad concurrendum, non requiritur decretum, quo Deus illam applicet; ſed ſi aliquod decretum requiritur, eò tale decretum tendet, ut auferat impedimenta, quibus exercitium impediri poteſt libertatis. Sed hæc poſitio decreti nullum invenit, nec invenire poteſt in veritate præſidium. Non enim ſolùm ſequitur, omnipotentiam nobis eſſe verè ſubjectam, verùm ſequitur, eſſe ex natura rei nobis ſubjectam, quod abſurdiſſimum eſt. Nam cauſa, quæ ſe ipſa, id eſt independenter à propria libertate, eſt alteri cauſæ in concurrendo ſubjecta, eſt ex natura rei in concurrendo tali cauſæ ſubjecta; ſed omnipotentia ſe ipſa, vel independenter à Divina voluntate eſſet cauſæ liberæ creatæ ſubjecta in concurrendo, hæc enim eſt ipſius P. *Herreræ* ſen-

ſententia: ergo ex natura rei eſt cauſæ liberæ creatæ in concurrendo ſubjecta. Quæ conſequentia inevitabilis eſt, etiamſi debeant præſupponi ablata impedimenta, tàm prædeterminationis, quàm decreti connexi, ut arbitrium creatum ſibi actu ſubjiciat omnipotentiam, illam ad exercitium à ſe elicitum determinans. Tum, quia licèt grave, ut moveatur à generante, requirat amota eſſe impedimenta, hoc non obſtat, quin grave dicatur ſubjectum eſſe generanti ex natura rei. Tum, quia ut voluntas creata dicatur ex natura rei Creatori ſubjecta quoad motum, ſivè actum omninò neceſſarium, non obſtat, quòd prærequirat, ablatum eſſe judicium indifferens, cum quo incompoſſibilis eſt actus neceſſarius; nam eſto non Deus, ſed ipſa voluntas, vel aliud agens tale auferat judicium, dum illo ablato independenter ab exercitio libero voluntatis creatæ, creata voluntas eſt à Deo mobilis ad actum omninò neceſſarium, dicitur verè ſubjecta Creatori, quoad ſic moveri: ergo ſi Omnipotentia Divina independenter ab exercitio, ſeu decreto libero Dei eſt in concurrendo ſubjecta arbitrio creato, etiam ex natura rei eſt illi ſubjecta; etiamſi ad exercitium hujus ſubjectionis debeant præſupponi ablata impedimenta, quibus tale exercitium retardari poteſt.

24. Hoc pluribus exemplis tàm phyſicis, quàm moralibus explicari poteſt. In phyſicis: nam ut cauſa dicatur ex natura rei activa, non obſtat, quòd ad ſuam actionem indigeat amotione impedimentorum ſive a ſe, ſive ab alio faciendâ. Diſtantia quippe, & humiditas ſunt impedimenta combuſtionis, quam diſtantiam auferre non poteſt ignis, etſi poſſit humiditatem; & tamen, quia per hoc præcisè, quòd removeantur, in ſuam valet actionem exire, ignis ex natura ſua dicitur combuſtivus. Idem videre licet in cauſis, ſeu potentiis paſſivis; ut enim grave dicatur ſubjectum in actu primo projicienti, ſufficit, quòd ſublatis impedimentis, illud poſſit projicere: ſimiliter ut potentia loco motiva dicatur ex natura rei ſubjecta voluntati, ſufficit, ſi ſolutis vinculis, illam poſſit pro ſuo nutu ad motum determinare. Non minus certum in moralibus: ut Religioſus dicatur abſolutè ſubjectus Prælato in operibus, quæ requirunt potentiam loco motivam expeditam, non obſtat, quòd potentia impedimentum habeat ab utroque auferibile: ergo ut omnipotentia dicatur ex natura ſua ſubjecta voluntati, ſufficit, quòd amotis impedimentis, nullo alio indigeat ſuperaddito. Cujus fundamentalis ratio eſt: quia potentia, quæ, ut determinetur à cauſa libera, ſolùm eget amotione impedientium determinationem, ex natura ſua eſt determinabilis à cauſa libera, ut patet in potentia loco motiva; ſed omnipotentia, ut à cauſa libera determinetur, nullo alio indiget, quàm quòd impedimenta removeantur: ergo omnipotentia ex natura ſua eſt à cauſa libera determinabilis.

25. P. *Marin* loco ſuperiùs citato affirmat, *decretum applicativum omnipotentiæ debere eſſe indifferens, cùm debeat eſſe tale, ut ſemel poſitâ libertate, ſolùm maneat in dominio voluntatis ſe determinare ad unum exercitium præ alio.* Unde & aſſerit num 36. *Sola creatura influit ut domina immediatè electiva.* Immo & num. 47. quòd ly *quaſi ſubji-*

ſubjici, denotat potiùs ſubjectionem eſſe obligationem ex juſtitia ad faciendum, quod velit creatura, quàm parare indifferenter omnipotentiam, ut creatura determinet. Et tandem num. 53. *agnoſcit in voluntate jus proximum determinandi ſe, & omnipotentiam, medio tali decreto applicativo omnipotentiæ.*

26. Ecquis non videat eamdem Dei ſubordinationem, & ex natura rei ipſi convenientem, dum agnoſcit verum dominium in voluntate ſupra Dei concurſum. Verum namque dominium ſupra concurſum alicujus cauſæ arguit veram ſubjectionem in tali cauſa: eatenus enim concurſus unius cauſæ poteſt eſſe ſubjectus, ac ſub dominio alterius cauſæ, quatenus iſta pro ſuo placito, & pro determinatione ſua poteſt facere, quòd illa concurrat, vel non concurrat: ſicut apud Thomiſtas, Deus habet verum dominium ſuper actus voluntatis creatæ, quatenus per phyſicam prædeterminationem poteſt facere, quòd voluntas creata eliciat, vel non eliciat actum, quòd eliciat quidem, prædeterminando; quòd non eliciat, omittendo prædeterminationem. Et jam ex hoc præcisè, & non alio titulo, homo habet verum, & proprium dominium ſui actûs per liberum arbitrium, quod eſt facultas voluntatis, & rationis ad utrumlibet ſe habens, quia per illud poteſt determinare reliquas potentias, etiam intellectum, & voluntatem ad ſuos actus; in quo ſanè requiritur vera ſubjectio in potentiis determinabilibus; quare non poteſt determinare potentias purè vegetativas, quia arbitrio non ſubjiciuntur. Potentia namque, quæ alteri non eſt verè ſubjecta, poteſt non concurrere, ſed reſiſtere: ergo ut infallibiliter concurrat, debet illi eſſe ſubjecta. Si ergo in ſententia iſta datur verum dominium ſupra concurſum omnipotentiæ, & ipſa omnipotentia ad nutum voluntatis determinabilis, debet eſſe voluntati ſubjecta. Uno namque, & indiviſibili dominio reſpicit actum proprium, & concurſum Dei: tum, quia actus voluntatis, & concurſus Dei, juxta illos, ſunt unum & idem indiviſibiliter, & impræſcindibiliter; cùm ipſi non agnoſcant diſtinctionem aliquam inter concurſum actualem omnipotentiæ, & operationem voluntatis. Tum & maximè, quia juxta ipſos ſicut actus voluntatis unicè exiſtit pro determinatione & dominio voluntatis, ita concurſus Dei, ſeu omnipotentiæ unicè exiſtit pro determinatione & dominio voluntatis, & nullatenus ex determinatione Dei: aliàs aſſerunt ipſi, quòd Deus non reliquiſſet hominem in manu conſilii ſui: ergo dominium quod habet voluntas ſuper actum proprium, id ipſum habet ſupra concurſum omnipotentiæ; ſed ſuper actum proprium habet verum, & ſtrictè tale dominium: ergo & ſupra concurſum omnipotentiæ ab ipſa determinabilis habet verum & ſtrictum dominium.

27. Nec nobis reponant, ſubjectionem iſtam omnipotentiæ eſſe conſequentem libertatem Divinam, quia Deus potens non purificare conditionem, illam liberè purificavit, atque adeo ſubjectio illa, non abſolutè ſubjectio, ſed *quaſi* ſubjectio dicenda. Vel aliis terminis, quòd parat omnipotentiam, relinquendo illam in manu conſilii noſtri.

28. Nec enim hic dicendi modus cenſeri debet immunis ab illa vera

ſubje-

ſubjectione Dei. Quòd enim Deus liberè purificaverit conditionem, ſub qua prævidit voluntatem operaturam, ſive per conſenſum, ſive per diſſenſum, non facit, quòd Deus non concurrat verè & abſolutè ſubjectus. Eſt enim certiſſimum, quòd ſi Deus neceſſitatur à voluntate ad concurrendum ex ſuppoſitione ipſi Deo non libera, Deus neceſſariò eſt abſolutè ſubjectus voluntati creatæ: ſic appetitum neceſſitari à voluntate ad proſequendum bonum rationis, cùm de ſe tendat ad bonum ſenſibile, neceſſariò ſupponit, appetitum eſſe ſubjectum voluntati, juxta illud: *Sub te erit appetitus tuus, & dominaberis illius*; ubi plena, vel ſaltem abſoluta ſubjectio ad arbitrium ſignificatur: &, ut ſuperiùs diximus, Deum mediâ prædeterminatione phyſicâ imponere voluntati neceſſitatem conſequentem ad conſenſum, probat evidenter, voluntatem creatam eſſe Deo ſimpliciter, & abſolutè ſubjectam, quod nos libenter fatemur. Supponamus namque, cauſam eſſe indifferentem ad concurrendum ad omnia extrema, ſeu exercitia libertatis, & quòd hæc quantum ad hoc, quod eſt determinari ad aliquod ex illis, merè paſſivè ſe habeat, quia licèt reverà efficiat determinationem, non tamen illam efficit determinativè. Supponamus etiam aliam cauſam determinantem illius indifferentiam, faciendo ſuâ determinatione, quòd cauſa illa, quæ pro priori ſupponitur indifferens, influat, ſive concurrat ad aliquod exercitium determinatum. Si ergo non ſtat, quòd cauſa iſta pro ſua determinatione, & dominio auferat indifferentiam cauſæ illius, & quòd illa ipſa quantùm ad hoc, quod eſt determinari, & determinatè influere in hoc potius extremum libertatis, ſeu indifferentiæ, quàm ad aliud, non ſit ipſi ſubjecta; quomodò poteſt ſtare, quòd Deus ex ſuppoſitione ſibi non libera determinetur, & neceſſitetur à voluntate creata ad concurrendum ad aliquod extremum ſuæ indifferentiæ, & quòd non ſit ſubjectus voluntati creatæ in concurrendo? Patet conſequens ex antecedenti; cùm Deus eo prorſus modo ſe habeat in concurrendo reſpectu voluntatis creatæ, quo ſe habent cauſæ illæ ad invicem: nam ſicut una ſe habet paſſivè ad determinari, eſto activè ſe habeat ad influere, ita Deus paſſivè ſe habet ad hoc, quod eſt determinari à voluntate creata, eſto activè influat cum illa. Et maximè, dum voluntas creata ſuâ determinatione dominium proximum, & immediatum, quod Deus haberet ſupra ſuam actionem, ſeu concurſum, ſi ſe ipſam determinaret, à Deo aufert, ut contrarii fatentur, & ex ipſorum conſtat principiis; quia, inquiunt, non ſtare dominium agentis ſupra ſuam actionem, ſi operatur ex determinatione alterius, & non ex propria, quod eſt apud ipſos inconcuſſum axioma: ergo ſi non ſtat, quòd una cauſa poſſit auferre ab alia dominium ſuæ actionis, & quòd cauſa iſta non ſit illi verè ſubjecta, inintelligibile eſt, quòd voluntas ſuâ determinatione dominium proximum, & immediatum, quod Deus haberet ſuper ſuam actionem, ſeu concurſum, ſi ſe ipſum determinaret, auferat à Deo, & quòd Deus non ſit ex natura rei ſubjectus voluntati.

29. Hoc efficaciter urgetur: nam Deus purificans conditionem, & in ſenſu compoſito exiſtentiæ conditionis, non neceſſitat ſe ipſum ad

agendum; immò attentis omnibus, quæ ex parte Dei ſe tenent, etiam purificatâ conditione, manet expeditè potens ad non concurrendum; & tamen conditione exiſtente, neceſſitatur à voluntate ad concurrendum: ergo neceſſitatur ex ſuppoſitione ſibi non libera. Conſequentia eſt bona: min. certa; alioquin poſset Deus cum decreto purificandi conditionem, & ſcientia media eventus ſub tali conditione futuri, conjungere carentiam ſui concursûs, quæ conjunctio eſt implicatoria, alioquin poſset Deus ſuam ſcientiam falſificare, vel illam à ſe excludere, & tunc non eſset media, ſed purè libera. Maj. ergo facilè probatur, quia attentis illis omnibus, quæ ſe tenent ex parte voluntatis Divinæ, manet voluntas creata abſolutè potens ad ponendum conſenſum, & ad ponendum carentiam conſensûs, ut ipſi concedunt: ergo à fortiori manet Deus proximè, & expeditè potens ad ponendum influxum in conſenſum, & ad ponendum carentiam talis influxus, ſi conſiderentur præcisè, quæ ſe tenent ex parte libertatis Divinæ. Nam ſuppoſitio libera Deo nullo modo determinans, aut neceſsitans voluntatem creatam, & conjungibilis cum conſenſu, & cum carentia conſensûs, à fortiori eſt conjungibilis cum concurſu Dei, & cum carentia concursûs: quia quod eſt conjungibile cum conſenſu, & cum carentia conſensûs, eſt conjungibile cum eo, quod identificatur cum conſenſu, & cum carentia conſensûs: atqui concurſus Divinus juxta illos adæquatè identificatur cum conſenſu, & carentia concursûs cum carentia conſensûs: ergo quod eſt conjungibile cum conſenſu, & cum carentia conſenſus, eſt conjungibile cum concurſu Dei, & cum carentia talis concursûs.

30. Dices, eſse quidem conjungibiles cum illa ſuppoſitione à Deo facta, id eſt, cum conditione purificata, & concurſum Dei, & carentiam concursûs; verùm hæc conjunctio à Deo fieri liberè non poteſt, ſed fieri poteſt à voluntate humana, quæ pro ſuo nutu & dominio poteſt determinare, ac neceſſitare Deum, ut ponat concurſum, aut carentiam concursûs. Neſcio autem quid proficiat hæc reſponſio, etſi omnino conformis principiis ſcientiæ mediæ: ex illa, ni egregiè fallor, aſsequimur intentum, arguendo ſic: cum illa ſuppoſitione, prout ſe tenet ex parte libertatis Divinæ, eſt conjungibilis, & concurſus Dei, & carentia concursûs; & tamen Deus factâ illâ ſuppoſitione, & conditione purificatâ, non poteſt non concurrere, ſed neceſsariò concurrit propter determinationem voluntatis creatæ, quæ determinatio non eſt Deo libera, ſicut concurſus Deo liber non eſt: ergo concurrit neceſsitatus ex ſuppoſitione ſibi non libera. Vel aliter, & efficaciùs. Ut Deus neceſsitetur ad concurrendum, ſuppoſitâ liberâ conditionis purificatione, ſolùm concurrunt ſcientia media prævidens conſenſum ſub illa conditione futurum, ipſa conditionis purificatio, & voluntas ſe, & omnipotentiam determinans; ſed illa neceſſitas Dei ad concurrendum provenire non poteſt ex purificatione conditionis, quam diximus conjungibilem cum concurſu Dei, & cum carentia concursûs: ergo provenit, non ex voluntate Dei, ſed ex nutu voluntatis creatæ; vel ex hoc, & ſcientia media; quorum neutrum eſt ſuppoſitio facta à Deo: er-

ergo illa neceſsitas Dei in concurrendo oritur ex ſuppoſitione Deo non libera.

31. Nec dicat: Deus eligens, & purificans illam conditionem ſe quodammodo determinavit ad concurrendum: nam vel ſe determinavit abſolutè ad concurrendum, vel ſub conditione, quòd voluntas velit concurrere. Primum repugnat juxta ipſos libertati; quia cum determinatione abſoluta Dei ad conſenſum non poteſt in eorum principiis componi poteſtas voluntatis ad carentiam conſensûs. Si ſecundum, hoc eſt apertiſsimè Deum ſe ſubjicere creaturæ, cùm relinquat in manu creaturæ, ut ipſa pro ſuo placito utatur omnipotentiâ. Facultas namque applicandi, & determinandi potentiam ad ſuos actus, eſt facultas utendi tali potentiâ; cùm *uſus*, juxta *D. Thom.* 1. 2. q. 14. art. 1. *ſit applicatio rei ad opus*: ergo ſi voluntati vel ex natura rei, vel ex decreto applicante, additur facultas determinandi omnipotentiam ad influendum in quos voluerit actus, verè utitur omnipotentiâ, veraque datur ex parte omnipotentiæ ſubjectio reſpectu voluntatis.

32. Reſpondent, iſtam *quaſi* ſubjectionem, & ſubordinationem arbitrio creato eſse ſolùm ex indulgentia, & benignitate Dei ſic volente nobis applicare ſuam omnipotentiam, ut ſalvetur libertas. Fundatur ergo tam in ipſa benignitate Dei, quàm in natura liberi arbitrii, ad eò ut omninò impoſſibile ſit, voluntatem liberè operari, niſi Omnipotentia Dei, quoad concurrendum cum ipſa, ſit illi ſubjecta? Hoc tamquàm inconcuſsum propugnat noviſsimè P. *Araujo* diſp. 5. de grat. actual. num. 471. dicens: *Sciendum ſecundò, eum, qui alteri offert vires ſuas in auxilium operis faciendi, non quia ad id teneatur, ſed quia liberè vult illum juvare, quotiès alter ejus ope indigeat, in aliquo ſenſu translatitio ſubordinare vires ſuas alteri, non quidem ſubjectione ſervitutis, ſed dignationis, & benevolæ libertatis illum juvando, quotiès ad id invitatur. Similiter qui ita alium ſemper juvare paratus eſt, poteſt in aliquo ſenſu translatitio, vel ſaltem abuſivo dicere ſe alteri donatas habere vires ſuas, & facultates, ut illis utatur, quando indigeat, quin per hoc ſignificet translationem dominii in alium, ſed tantummodò, ut oſtendat conceſſiſſe illi uſum virium ſuarum, quando uti velit.* Et num. 472. *Nunc ad rem noſtram. Creatura liberè operatura habet ſibi à Deo oblatum concurſum omnipotentiæ indifferentem in actu primo; ita ut ipſa omnipotentia, ſi libertas humana* SERVANDA SIT, *in eam partem concurrat, ad quam creatura elegerit ex propria determinatione. Ut igitur hæc indifferentia omnipotentiæ determinabilis per arbitrium creaturæ explicetur, utuntur aliqui illis terminis, quamvis cum clauſulis minuentibus, creaturam quodammodò, quaſi, & quadam appropriatione ſibi habere ſubordinatum omnipotentiæ uſum in illam partem, quam non quidem Deus prædeterminaverit, ſed voluntas ipſa elegerit. Hæc autem ſubordinatio non eſt ſervitutis, ſed dignationis; non ſignificat Deum à ſe alienare dominium ſuæ omnipotentiæ, illud in nos trasferendo; ſed illius uſum ex ſua libertate nobis dignanter offerre. Non minùs, quàm ſi Petrus offerat juvare Paulum ad*

tol-

tollendum aliquod pondus, quod Paulus elegerit; non proinde ſe, aut vires ſuas dicendus eidem Paulo ſubjicere; nec etiam abdicare dominium illarum, & in Paulum transferre. Et potiori jure Deus, qui ita nobiſcum concurrit, ut ſemper ſuadeat, & ſæpè præcipiat actum bonum, & omninò prohibeat malum, concurrat tamquàm cauſa prima, liberrimè, ac dignanter volens ſervare indemnem libertatem creatam. Hæc ille. Quibus apertè concedit, quòd ſubordinatio Omnipotentiæ non eſt *ſervitutis*, ſed *dignationis*: quòd ex ſua libertate in nobis Deus transfert Divinæ ſuæ Omnipotentiæ uſum: quòd eo modo efficaciter adjuvat, ac cùm Petrus offert juvare Paulum ad tollendum pondus, quod Paulus elegerit; quia ſic liberrimè Deus vult ſervare indemnem hominis libertatem.

33. Verùm, ſi hæc omnia benè, & in veritate ponderentur, apparebit Lectori, quàm longè ſit à veritate reſponſio. Primò, dùm aſserit, quòd Deus dignatione ſuâ ſubjicit nobis uſum omnipotentiæ, volens ſervare indemnem libertatem: rogo, an judicet ille, quòd, etſi modò non daretur, ut tenet ejus ſchola, poſſibilis non ſit gratia Dei efficax, quâ Deus ſubjiciat plenè ſibi liberum hominis arbitrium, ſalvâ ejus libertate? Si affirmativè reſpondeat, agnoſcens in Deo poſſibilem gratiam efficacem, quæ operetur in cordibus hominum, nedùm ut faciant, verùm etiam, ut velint ſalutem illęsâ libertate: ergo gratia ſe ipſâ efficax non deſtruit libertatem. Si neget; ergo ſubjectio illa Omnipotentiæ non eſt ex libertate Dei, ſed ex neceſſitate, ut ſalvetur libertas. Secundò, quia ſolutio minimè ſalvat ſupremum, & abſolutum Dei dominium, quo Deus dominatione ſuâ facit creaturam operari, quod ipſe vult, ex quo dignatione offerat ei vires ſuas. Annè potens agnoſci valet Deus peccatorem convertere, & averſum à via juſtitiæ reducere, offerens ſolùm creaturæ vires, quamvis ex dignatione ſua, *ſi velit ſe convertere*, & quibus voluntas pro dominio ſuæ voluntatis poteſt uti, vel non uti? Quis namquè propugnet, ut ejus utamur exemplo, Petrum, ex quo ſe offert adjuvare Paulum, habere ſupremum, & abſolutum dominium, ſupra actionem liberè elicitam à Paulo, & quòd per vires Petro oblatas, agat Paulus quid agere Petrus voluerit, fiatque Paulus ex nolente volens, ex repugnante conſentiens? Ergo longè præſtat fortitudo, & omnipotentia Dei volentis creaturam operari, ut comparetur cum actione Petri, adjuvante Paulum. Tertiò cùm omnia, quæ Deus operatur in nobis, ea operetur imperio voluntatis, aſſignet nobis, ubi legitur decretum, quò Deus ſic vult ex dignatione, & liberalitate ſubjicere creaturæ uſum ſuæ omnipotentiæ. Mirum profectò hoc ita prætermiſsum à SS. Patribus, ùt nec verbum quidem exciderit eis, vel in eorum immenſis operibus legatur. Sed quis doctrinam hanc ex SS. Patribus hauſtam credat, aut ſibi perſuadeat, Deum ex indulgentia, & benignitate nobis verè, & propriè ſuam omnipotentiam ſubjicere ad influendum in actus liberos? Quid abſurdiùs, vel ineptiùs poteſt quiſpiam imaginari, quàm Deum velle ex indulgentia, & benignitate abdicare à ſe ſupremum illud dominium,

quod

quod habet ſupra creaturas? Quòd creatura ſubordinans Deum, creatura non ſit; quòd Deus ſubordinatus creaturæ ſupremus Dominus non ſit; Deus namque creaturæ ſubordinatus, ille verus Dominus non eſt, ſed Deus chimæricus. Secundò, ſi poteſt ex indulgentia abdicare à ſe ſupremum illud dominium, & poterit ex benignitate abdicare à ſe quamcumque aliam perfectionem neceſſariam, cùm non ſit minùs proprium Dei eſse ſupremum Dominum, quàm ſit propria ipſius quælibet alia perfectio neceſſaria. Immò poterit quis impunè aſſerere, Deum non concurrere, ut ſupremum Dominum, & ut cauſam immediatè influentem cum cauſa ſecunda in omnes ejus effectus, cùm æquo jure vitare poſſet abſurdum dicendo, hoc facere Deum ex benignitate, & indulgentia, quâ vult arbitrium creatum ſe ſolo, & independenter ab ipſo operari. Et certè ſi quæras, quid Divinum eſſe magis deceat, aut quid minùs ſit indecens; nimirum vel tales creaturas condere, quæ poſtquam conditæ fuerint, Dei operatione non indigeant; vel ita illas extollere, ut Creatoris omnipotentiam ſibi ſubjicere, dum operentur, egeant? Promptiſſima reſponſio apud omnes, partium ſtudio poſtpoſito, erit: decere magis primum. Nam indigêre virtute Dei non auxiliantis, ſed ſe ſubjicientis, & hanc ſubjectionem libertati humanæ debentis, quid elatius eſt; nempe omninò ſimile ſervituti, Deo indecentiſſimæ; nam & ſervorum operâ indigent Domini. Quòd ſi primum ſalvâ fide dici non poteſt: videant adverſarii, quo jure dicetur ſecundum. Tertiò, quæ non hic involvitur contradictio? Indulgentia & neceſsitas ex terminis repugnant: quomodò ergo ab ipſis componitur ſubordinatio ex indulgentia, & benignitate, cum illa abſoluta, & omnimoda neceſſitate, ut omnipotentia quoad operari ſit determinabilis, & ſubordinata creaturæ? Cùm ſuppoſitâ libertate creatâ, ex conceptu, & natura liberi arbitrii, ſic neceſſitetur Deus, apud ipſos, ut non poſſit aliter in operationem influere!

34. Hoc ut perfectiùs intelligatur, maximè notandum, gratiam aliter acceptam fuiſſe à Pelagio, aliter accipi à PP. & Theologis: ille enim non aliam priùs agnoſcebat gratiam, quàm gratiam creationis, ſive quâ conditi ſumus, ſub qua comprehendebat omnia, quæ creaturis debentur debito infallibili, ſeu neceſſitatis; ea nempè, quæ requiruntur ad debitam conſtitutionem rei, & ut poſſit proximè elicere ſuas operationes: unde liberum arbitrium, ut proximè potens operationes ſuas liberas elicere, ad gratiam creationis pertinere, affirmabat; eò quòd ad Creatorem pertinet conſtituere hominem in eo ſtatu, in quo poſſit ſe movere; alioquin opera Dei, quæ perfecta ſunt, in conditione hominis defeciſſent, ſiquidem illi non dediſſet quidquid ad naturalem illius perfectionem debitum eſt. PP. autem, & Theologi gratiam accipiunt pro concurſu indebito, & pro indebito beneficio, quod nimirùm ex vi creationis non debetur, ſed ſalvâ creatione perfectâ, negari poteſt.

35. En quomodò ſubjectio, vel ſubordinatio Dei ad nos, eſt ex dignatione Divina, & non ex ipſo jure creationis, ſi à noſtra natura exi-

exigeretur, eâ propriiſſima exigentiâ, quâ natura non naturaliter, & independenter à nova gratia exigit libertatem: nam profectò, eo prorſus jure, quô natura humana exigit ſibi dari arbitrium liberùm, exigit ſibi dari, quod eſt de eſſentia, & natura libertatis: ſed independenter à nova gratia, & diſtincta à gratia creationis, exigit ſibi dari liberum arbitrium: ergo & Deum ſibi quaſi ſubjici, aut ſubordinari, ſi hæc ſubjectio, & ſubordinatio ex natura, & conceptu liberi arbitrii auxilio indifferenti inſtructi provenit. Secundò: perfecta, atque completa cauſæ ſecundæ liberæ productio illa eſt, quæ ipſi tribuit non ſolùm libertatem radicalem, ſed & proximam, quâ liberè, proximè, & expeditè, ſe ad quodvis extremum poſſit determinare. Undè cauſis naturalibus, illarum perfecta, & completa productio, tribuit potentias, & virtutes, quibus in ſuas poſſint operationes prorumpere, juxta axioma illud Philoſophicum, *qui dat formam, dat conſequentia ad formam*: nec aliter productio illa cenſetur perfecta, & completa. Immò ſi horum quid defuerit, defectui actionis, & producentis continuò tribuitur; ſed creatio cauſæ ſecundæ liberæ eſt perfectiſſima, & completiſſima illius productio; cùm ſit opus ſolius Dei abſque conſortio creaturæ: ergo ad creationem pertinet cauſam ſecundam liberam producere, non ſolùm cum libertate radicali; ſed cum libertate proxima & expedita, ut poſſit ſe ad quodvis extremum ſuæ indifferentiæ determinare: ſed juxta ipſos libertas proxima, & expedita ex ſui natura exigit hanc Dei ſubjectionem, aut ſubordinationem libero arbitrio; ergo ex vi ſolius actionis creativæ, abſque alia nova gratia, manet Deus nobis ſubjectus, & neceſſitatur, ut ſit ſubordinatus: ergo non ex dignatione, indulgentia, & benignitate, quæ gratiam ſpecialem dicunt, ſed ex ipſa natura rei terminantis creationem, manet illi Deus ſubjectus, & ſubordinatus. Horrendum mihi paradoxum, quô nihil Deo magis injurium, ſecundùm meam ſententiam, excogitari poteſt: cùm nihil ſit ex ipſis internis Religionis ſenſibus, magis notum, quàm quòd Deus ſit ſupremus creaturæ dominus liberè operantis. Nihilominùs me, ſenſumque meum, ſapientioribus ſubmitto.

36. Hæc ſanè mehercle conſtant, & ita conſtant, ut ſi quis rem expendere attentiùs ſecum velit, rationem ipſam ipſum convincere poſſe arbitrer. Sed ut videatur, quòd non ſolùm uſus illius vocis *ſubordinatio*, *ſubjectio*, laxiorem hanc notionem repudiat, ſed quòd ex terminis illa omnipotentiæ determinatio maximis ita implicatur difficultatibus, ut penitus inintelligibilis ſit, ipſam ampliùs ad examen vocamus. Impoſſibile namque eſt, Omnipotentiam Divinam à noſtra voluntate determinari, cùm nec ſit determinabilis objectivè, nec ſubjectivè. Primùm impoſſibile dixi; ſolùm namquè potentia cognoſcitiva, aut volitiva, objectivè neceſſitari poteſt: cùm potentia alterius generis non reſpiciat objectum, ſed effectum, cujus eſt productiva, & quæ determinari non poteſt ad productionem effectus per ipſum effectum, ante cujus exiſtentiam, pro priori à quo, ſupponitur determinata: & omnipotentia apud ipſos, nec eſt volitiva, nec cognoſcitiva, cùm

co-

cognitio, & volitio ſint immanentes formaliter, actio verò omnipotentiæ apud ipſos formaliter tranſiens.

37. Repugnantia verò, & contradictio determinationis ſubjectivè deducitur ex Angel. Præceptore 1. 2. q.9. art.1. de motivo voluntatis: ubi aſſignans ea, quæ poſſunt voluntatem movere, ait: *Indiget igitur movente quantùm ad duo, ſcilicet quantùm ad exercitium, vel uſum actûs, & quantùm ad determinationem actûs, quorum primum eſt ex parte ſubjecti; quod quandoque invenitur agens, quandoque non agens: aliud autem eſt ex parte objecti ſecundùm quod ſpecificatur actus, motio autem ipſius ſubjecti eſt ex agente aliquo.* Ex quibus ſequens formatur diſcurſus: Omnipotentia non ſolùm eſt indifferens ad hanc, vel illam ſpeciem actûs, id eſt non ſolùm eſt indifferens, ut concurrat ad amorem, & odium cum voluntate, quæ eſt indifferentia ex parte objecti, ſed eſt indifferens quoad exercitium, vel uſum actûs, quæ eſt indifferentia ſubjectiva, ſivè ex parte principii, (liceat nunc claritatis gratia ita appellare illam indifferentiam, quam intelligimus in actu libero Dei, determinabilem per ſecundariam terminationem) Ergo ut in exercitio concurrat, debet auferri illa indifferentia ſubjectiva; ſi enim ab indifferenti, ut indifferenti non procedit actio, nec ab omnipotentia ſub illa indifferentia ſubjectiva poteſt eſſe concurſus: ergo, ut determinatè concurrat, auferenda eſt illa indifferentia ſubjectiva, vel à voluntate Divina, vel à voluntate creata; primum negatur ab ipſis, ſecundum falſitatis convincit argumentum factum; quia hæc indifferentia removeri debet per aliquid, ſaltem ex noſtro modo concipiendi, afficiens potentiam, à qua tollitur indifferentia; ſed non per actum voluntatis creatæ exiſtentem, qui, pro priori ad ſuam exiſtentiam, ſupponit potentiam determinatam, nec per ipſum, ut eſt effectus producibilis, vel quia ut producibilis non exiſtit; vel quia prout ſic ſe ipſum cauſaret, & produceret: cùm principium determinans potentiam ad productionem effectûs, & productionem, & effectum illius cauſet, & producat: ergo ſubjectivè determinari non poteſt à voluntate creata.

38. Reſpondent, quòd etſi ab indifferente indifferentiâ incompletionis non ſit actio, benè tamen ab indifferenti indifferentiâ dominii. Ita P. *Marin* tract. 3. diſ. 5. ſect. 4. num. 13. Sed contrà ſtat argumentum factum: Potentia indifferens indifferentiâ dominii, & poteſtatis ad actum, & omiſſionem, cum neutro illorum determinatè connectitur, ſed ad quodlibet eorum indifferenter ſe habet; ergò ut determinatè concurrat ad actum præ omiſſione, debet ab illa auferri hæc indifferentia, à ſe, vel ab alio. Rem explico, & ponatur caſus, quo voluntati Divinæ proponatur, ut conveniens, Petro conferri auxilium A., ſub quo prævisus eſt conſentire: hoc auxilio collato, Petrus eſt conſtitutus in actu primo proximo, & expedito ad conſentiendum; ſed ita dominus actûs, & omiſſionis, ut tantûm pro ſuo libito ponat actum. Eſt itaqùe pro ſigno actûs primi ità indifferens, ut pro illo ſigno, nec intelligatur conjunctus cum conſenſu, nec cum omiſſione;

in ſigno autem ſequenti, jam intelligitur conjunctus cum conſenſu, ac proinde determinatè conſentiens. Hæc eadem indifferentia pro primo ſigno reperitur in omnipotentia, quia non intelligitur iſta ſubjectivè, ſivè potiùs effectivè influens, ſeu concurrens actu cum voluntate ad conſenſum, ſed quantum eſt ex ſe potens influere ad conſenſum, & potens non influere. Ex quo fit argumentum. Voluntas, ut ſic indifferens, & indeterminata, non poteſt influere, conjungendo illam indifferentiam, & indeterminationem ad concurrendum, vel non concurrendum, cum ipſo concurſu: alioquin ſimul concurreret, & non concurreret: ergo, ut determinatè concurrat, auferri debet illa indifferentia ſubjectiva: ſed omnipotentia pro illo ſigno eſt & intelligitur indifferens indifferentiâ ſubjectivâ ad concurrendum, & non concurrendum: ergo debet per aliquid auferri, ſive illud ſit procedens à Deo, ſive per aliquid aliud præter determinationem objectivam.

39. Explicatur iterum. Pro priori ad ſignum, quo Deus decrevit producere mundum, intelligitur Deus proximè potens producere, & non producere, atque adeò indifferens indifferentiâ dominii & poteſtatis, & pro illo priori, cum fundamento, & verè intelligitur nec producens, nec non producens præciſivè; ità ut, ſi ſub illa indifferentia maneret, mundus non exiſteret. Quæ tamen indifferentia tollitur decreto Dei, quo ad productionem univerſi applicavit omnipotentiam: ſed omnipotentia non minùs eſt ſubjectivè indifferens ad concurrendum, vel non concurrendum cum voluntate, etſi hæc indifferentia non ſit indifferentia dominii proximi, & immediati: ergo priùs tolli debet hæc indifferentia ſubjectiva, ut determinatè concurrat.

40. Dices cum P. *Marin* loco citato, quòd talis indifferentia ſubjectiva determinatur à Deo per decretum, quo applicavit omnipotentiam: undè decretum applicativum, & ipſa omnipotentia cum voluntate activè concurrit in determinationem: decretum applicativum determinans ſolùm activè inadæquatè, quia activè concurrit in determinationem, non tamen formaliter immediatè determinat, quia non eſt connexum cum determinatione: nec denominativè, quia non eſt principium volitivum, cui imputetur determinatio ad unum, potiùs quàm ad aliud.

41. Sed contrà eſt, quia ſubjectiva illa indifferentia tolli non poteſt, niſi vel per actum elicitum ab operante, ut contrarii judicant auferri indifferentiam noſtræ voluntatis, nempè per proprium actum, omni alio determinante excluſo, vel per aliquid receptum ab alio prædeterminante, ut aſſerunt Thomiſtæ; ſed nec primo, nec ſecundo modo voluntas noſtra poteſt determinare formaliter immediatè, aut denominativè voluntatem Divinam: non quidem primo; quia voluntas creata non eſt Divina; non ſecundo, quia mutaretur Divina omnipotentia: ergo nullo modo eſt formaliter & immediatè determinabilis omnipotentia à voluntate creata. Secundò. Complexum ex decreto, & omnipotentia eſt indifferens juxta illos ad conſenſum, & ad carentiam conſensûs, cùm ſit conjungibile cum conſenſu, & cum carentia conſensûs, alioquin non ſubſiſteret libertas, ut illi clamant: ergo decretum applicativum,

etſi

etſi activè concurrat in determinationem voluntatis, non tamen activè adhuc inadæquatè determinat ipſam voluntatem: ergo tàm actus noſter liber, quàm concurſus Dei ad illum in noſtræ voluntatis determinationem apud ipſos reſolvi debet, quòd tàm impoſſibile eſt, quàm quòd actus voluntatis creatæ ſit actus voluntatis Divinæ. Tertiò, quia juxtà ſolutionem, licèt decretum illud activè concurrat in determinationem, non tamen formaliter immediatè determinat: ſi ergo inquiritur, cur Deus, & voluntas, cùm ſint indifferentes influere in amorem, & odium, influant determinatè in amorem, fatetur ſolutio, quòd voluntas creata eſt, quæ ſe ipſam, & Deum ad amorem potiùs, quàm ad odium determinavit: eſt enim, ut inquit P. *Suarez* lib. de concurſ. Dei cap. 15. *Prima ſuæ determinationis radix, nec in aliam priorem reducibilis.* Ergo verificari debet, quòd Creatura faceret, quod Deus faceret, non tamen Deus, quod Creatura faceret. Etſi enim Deus contulerit auxilium illud intuitu actûs boni, & pro actibus ſupernaturalibus conferatur illa vocatio prævia, & ulteriùs tribuat auxilia congrua, quibus nos facturos prævidit; ſemper verum eſt, quòd Deus eſt omninò indifferens, & quòd nos ſub omnimoda relinquat indifferentia ad benè, vel malè operandum. Quomodo ergo dici poteſt, quòd Deus facit, ut faciamus? Cùm non tollatur à Deo per *facere* indifferentia ad faciendum, vel non faciendum; cùm omnibus tàm facientibus, quàm non facientibus, illa eadem præciſa præſtet auxilia. Immo etiam cum illa inclinatione morali Deì, & ad bonum ſuaſione, quàm ipſi inefficacem agnoſcunt, potiùs de Creatura verificari debet, quòd facit, ut Deus faciat, quàm de Deo reſpectu Creaturæ. Deus namque per vocationem illam antecedentem ſolùm moraliter movet noſtram voluntatem, relinquendo in ipſa omnimodam indifferentiam ad utrumlibet extremum ſuæ libertatis; è contrà verò creata voluntas ità phyſicè, & infallibiliter determinat Deum ad actum liberum amoris, quòd poſitâ determinatione ex parte voluntatis creatæ, Deus, nec de potentia abſoluta, poſſit non concurrere, ut ipſi fatentur. Ad quid ergo recurſus ad auxilium congruum? Cùm auxilii congruitas ad ſcientiam mediam conſequatur, & iſta ad determinationem conditionatam noſtræ voluntatis, quæ ſe, & omnipotentiam determinat ad agendum: ergo auxilium congruum non alitèr advenire poteſt, niſi ipſâ voluntate pro priori determinante, & faciente: ergo faceret voluntas, quod Deus faceret, non tamen Deus, quod voluntas faceret, quod an abſolutè concedi poſſit, ipſi videant, dicente Scripturâ Pſalm. 58. *Miſericordia ejus præveniet me.* Et *Ezech.* 36. verſ. 27. *Faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & mandata mea cuſtodiatis.* Et ad *Rom.* 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Supra quæ verba inquit M. P. *Auguſt.* in Enchiridio cap. 13. & etiam Epiſt. 2. ad *Bonifac.* cap. 9. *Avertat ergo Deus hanc dementiam à cordibus noſtris, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum, quoniàm miſericordia ejus prævenit me.* Et in lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 10. *Si faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit,*

ut illi faciant, non illi faciunt, ut ipſe faciat. Quæ veritas definita eſt in *Concilio Arauſicano* 2. can. 9. ibi: *Quoties benè aliquid facimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*. Undè oppoſitam ſententiam, ut errorem Semipelagianorum retulit *Sanctus Proſper* in Epiſt. ad *S. Auguſtinum*, ubi ſic dicit: *Unde quia in iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur: ſi Divinæ voluntati impiè voluntas humana præferatur, ut ideò quis adjuvetur, quia voluit; non ideo quia adjuvatur, velit*. Quam ſententiam & ipſe cap. 9. contra Collatorem efficaciſſimè impugnat. Cui maximè conſentit *D. Hieronymus* in Epiſt. ad *Cteſiphontem* cap. 3. ſic *Pelagium* arguens: *Fraudulenter prætendis, ut Dei gratiam ad conditionem hominis referas, & non in ſingulis operibus, auxilium Dei requiras. Injuriam tibi fieri reputas, & deſtrui arbitrii libertatem, ſi ad Deum ſemper auctorem recurras, ſi ex illius pendeas voluntate, & dicas: oculi mei ſemper ad Dominum, quoniàm ipſe evellet de laqueo pedes meos? Undè & audes linguâ proferre temerariâ, unumquemque arbitrio ſuo regi? Si ſuo arbitrio regitur, ubi eſt auxilium Dei?* Et quidem ſatis mirari non poſſum Auctores oppoſitos, qui Deum prædeterminare Creaturam impoſſibile putant; Creaturam verò prædeterminare Deùm neceſſarium. Quaſi facilius ſit, Deum prædeterminatum à Creatura, & ſub ejus poteſtate libertatem amittere; quàm Deum prædeterminando creaturam, ſub Divino dominio conſtitutam, libertatem ejus conſervare. Abſolutè dominium propriarum actionum uſque adeò creaturæ attribuunt, ut Deus in illis dominium actionis non habeat; ac ſubindè dominium actionis habere putant creaturam in Dei operationibus, in quibus non habet ejuſmodi dominium ipſe Deus. Tali enim neceſſitate juxta illos conſtringitur, ut aut creaturas liberas conſervare nequeat; aut ſi conſervet, actionum ſuarum poteſtatem, in illas transferens, amittat. Ignorantiam fateor, hoc mihi intellectu difficillimum, qui nec Theologiam iſtam poſſum capere, nec fontes illius invenire. Nam & Scripturæ Sacræ, & quotidianæ orationes Eccleſiæ, quibus firmiſſimè adhærent doctrinæ Sanctorum, docent nos clamare ad Dominum, ut adjuvet, faciat, operetur in nobis velle, & perficere, nunquàm autem, ut ſubjiciat nobis omnipotentiam ſuam, aut ejus virtutem noſtro arbitrio relinquat. Quinimò (quàmvis aliud non obſtaret) magnæ præſumptionis eſſet petere à Domino, ut nobis ſuam ſubordinaret potentiam, ſperantes nos illâ benè uſuros. Nam qui ſufficientes non ſumus ex nobis, quaſi ex nobis benè cogitare: quomodò ſufficientes erimus à nobis, quaſi ex nobis benè determinare, & benè uti? Quid namque tàm ſuperbum, quid tàm indignum, ac ingratum, quàm ab illo nolle determinari, à quo ipſum vivere, & agere accepimus? Quarè præclarè *Innocentius I.* in Epiſt. ad Epiſcop. Carthagin. *Ergo eris tibi in providendo præſtantior, quàm poteſt is eſſe, qui te ut eſſes, effecit. Et cùm te putas ei debere, quod vivis; quomodò te non putas illi debere, quòd quotidianam ejus conſequendo gratiam, taliter vivis?*

§. III.

§. III.

Prænotantur quædam animadverſione digna ex Ortizio, ejuſque placitum recenſetur.

42. DIſtinguit *Ortizius* part. 3. punct. 7. num. 93. in fine duplex adjuvandi munus, ſcilicet in actu primo, & in actu ſecundo, his verbis: *Undè claritatis gratiâ diſtingui ſolet munus adjuvandi in actu primo, & munus adjuvandi in actu ſecundo, ita ut primum ſit adjuvare confortando potentiam; ſecundum verò ſit adjuvare ad eliciendum actum: & utrumque junxit D. Auguſtinus lib. 2. de merit. & remiſs. peccator. cap. 17. ibi: Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum juvat voluntates, quâ, ut non adjuventur, in ipſis ibidem cauſa eſt, non in Deo. Ubi manifeſtè diſtinguitur duplex juvamen, ſcilicet alterum, quod penès Deum eſt, & quô juventur omnium voluntates, aliàs infirmæ: alterum verò juvamen, quô juvari, & non juvari in manu hominis eſt. Quia nempè juvamen in actu primo ſolius Dei eſt. Juvamen verò in effectu, & in exercitio utendi virtutis juvamine, eſt in manu creaturæ.* Hæc expoſitio omninò, ac prorſus aliena eſt à mente S. P. *Auguſtini.* Ubinam S. P. dixit eſſe in manu hominis habere, vel non habere gratiam, ſive uti, vel non uti gratiâ? Certè hoc erui deberet ex hoc loco, quô utitur adverſarius. Atqui, licèt dicat S. *Auguſtinus, in ipſis*, ſcilicèt hominibus, *ut non adjuventur, cauſa eſt, non in Deo*, nuſquam tamen dicit, in hominibus eſſe, ut adjuventur à Deo: quorſum ergo dicit *Ortizius*, juxtà *Auguſtinum*, in manu creaturæ eſſe juvamen, *quô juvari, & non juvari eſt in manu creaturæ?* Aliud planè eſt dicere, in manu creaturæ eſſe, ut non juvetur; aliud, in manu creaturæ eſſe, ut juvetur, vel non juvetur. Primum dicit *Auguſtinus*. Secundum contra mentem *Auguſtini* firmat Ortizius; quinimò contra D. *Thomam* quodlib. 1. art. 7. ad 2. dicentem: *Ex Deo eſt ut homo ſe ad gratiam præparet; ſed quod gratiâ careat, non habet cauſam à Deo, ſed ab homine, ſecundùm illud Oſeæ* 13. *Perditio tua Iſrael; tantummodò ex me auxilium tuum.* Igitur ſecundùm utrumque S. Doctorem, quòd homo habeat gratiam, vel eâ utatur ad operationem ſupernaturalem, ex Deo eſt, non ex homine: quòd verò non habeat gratiam operationis, vel eâ non utatur, ſed ab ea deficiat, hoc eſt hominis.

43. Hoc eſt, quod definit Concilium Tridentinum Seſs. 6. Can. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere.* Non dicit Concilium in poteſtate hominis eſſe vias ſuas bonas facere: & tamen *Ortizius* aſſerit æquè in poteſtate hominis eſſe facere vias ſuas bonas, ſicut & malas; nam, juxta ipſum, una, & eadem entitas gratiæ eſt, quæ dicitur excitans & adjuvans. Ut excitans confortat potentiam, eamque ultimò complet in actu primo; atque ſic conſiderata *penès Deum eſt, ſeu ſolius Dei eſt*: ſed ſic nondum operatur, ſed ſolùm homi-

minem potentem facit ad operandum: ut adjuvans, influit in actu ſecundo in operationem, *ſicque eſt in manu creaturæ*. Cùm ergo viæ hominis ſint opera ejus bona, aut mala; ſequitur, juxta *Ortizium*, æquè in hominis manu eſſe vias ſuas bonas facere, ac malas: ſive habere gratiam auxiliantem, vel eam non habere; cùm tamen *Concilium Tridentinum*, licèt definiat homines poſſe vias ſuas malas facere, negat poſitivè eum poſſe vias ſuas bonas facere: & S. *Auguſtinus*, etſi dicat: *Ut non adjuventur*, *in ipſis*, hominibus, *cauſa eſt*, *non in Deo*, nuſquam tamen dicit, in hominis poteſtate eſſe, ut ab eo adjuvetur. Quo tamen non obſtante, apertè aſſerit *Ortizius*: *juvari verò in effectu, & in exercitio, utendo virtutis juvamine, eſt in manu creaturæ*. Cùmque ipſi una, & eadem entitas gratiæ, ſecundùm diverſa officia, dicatur excitans, & adjuvans, & ſecundùm quod adjuvans eſt, ſit in manu creaturæ, ſeu liberi arbitrii; ſequitur in manu hominis eſſe, ſeu liberi arbitrii habere gratiam adjuvantem, vel non habere.

44. Siſte hìc pauliſper Lector, ac conſidera, qualiter Auctor ille ſpontè fateatur, quòd alibi in Auctore Examinis Theologici reprehendit. Sic namque pag. 19. num. 26. contra laudatum Auctorem inſurgit. *Siſte parumper Lector in loco animadverſione digniſſimo: quietus enim animo, nec lædendi cupido jus ſuum cuique tribuere ſtatuo. Nam hic error, quòd gratia Jeſuitica ſit* VERSATILIS, *non inventus, ſed cooptatus ſolùm eſt ab Auctore examinis; at originem ducit ex Serrio, & Graveſonio, ubi legi has voces non ſine horrore. Talis ergo propoſitio non traditur à Jeſuitis, quæ, ſi diceretur, mihi apparet digna cenſurâ maleſonantis, & proxima errori. Ratio eſt brevis, at vera. Quia licèt, nimirum, ſano ſenſu donari queat; tamen ſtatim præ ſe fert non unum ſenſum tantum, ſed duplicem ſenſum hæreticum: nempè alterum de gratiâ verſatili: id enim ſonat gratiam æquè vertibilem ad bonum, & malum, & gratiam æquè ſervientem ad operandum, & non operandum, quæ conditio gratiæ abominabilis eſt, & execranda: cùm gratia de ſe ſolùm ſit virtus poſitiva ad bonum, & non omiſſiva boni. Alterum, quâ parte dicitur donari ad nutum creaturæ: id enim eſt apertiſſimè Pelagianum, ac ſi opera noſtra ex ſolo libero arbitrio gratiam ſibi reportarent*. Vide hìc, qualiter Auctor ille propriam ſententiam proferat. Superiùs dixerat: *Juvari in effectu, & in exercitio, utendo virtutis juvamine, eſt in manu creaturæ*. Si hoc non ſignificet in manu hominis eſſe uti, vel non uti gratiâ ſibi à Deo datâ, nihil ſignificat: & tamen fatetur ipſe *gratiam æquè ſervientem eſſe ad operandum, & non operandum*, abominabilem eſſe, & execrandam. Dicetnè fortè aliud eſſe, *gratiam æquè ſervientem eſſe ad operandum, & non operandum*, aliud: *liberum arbitrium, poſſe gratiâ uti, vel non uti*? Hoc certè dicere omninò debebit, ſed ad nihil hoc ſervit, quandoquidem nullus hucuſque fuerit, nè hæreticus quidem, qui dixerit gratiam æquè ſervientem eſſe ad operandum, & non operandum, fuerint tamen qui dixerint gratiam verſatilem eſſe, hoc ſenſu, quòd poſſit homo eâ uti, vel non uti. Quarè mirùm profectò eſt, quòd hic Auctor tantoperè

irâ

irâ accenſus fuerit in Auctorem Examinis Theologici, eô præcisè titulô, quòd dixerit gratiam Jeſuiticam eſſe verſatilem; quo loquendi modo non intendebat *Hozius* dicere,ſecundùm Jeſuitas *gratiam æquè vertibilem ad bonum*, *& malum*; quia ſciebat, quòd juxta eos voluntas creata poſſet quidem determinare Deum ad concurrendum ad malum, ſicut ad bonum; nec inſcius erat, quòd concurſus Dei ad malum non diceretur à Jeſuitis gratia: undè ſolùm videtur voluiſſe ſignificare, quòd juxtà ipſos in voluntate hominis eſſet poſitus liber uſus, & non uſus gratiæ; & quo poſito, videtur ſatis, quòd gratia eſt verſatilis ex ſequenti diſcurſu. Fuerunt aliqui admittentes gratiam, quæ meritò dicta eſt à SS. *Auguſtino*, & *Proſpero* verſatilis, ſeu pediſſequa voluntatis: ſed nullus fuit umquam, qui dixerit gratiam *æquè vertibilem eſſe ad bonum*, *& malum*, *& æquè ſervientem ad operandum*, *& non operandum*; fuerunt tamen aliqui dicentes gratiæ uſum poſitum eſſe in poteſtate liberi arbitrii: ergo non idem eſt, *gratiam eſſe verſatilem*, *ac eſſe æquè vertibilem ad bonum*, *& malum*, *& æquè ſervientem ad operandum*, *& non operandum*. Quòd ſi reponat fuiſſe, qui hoc ultimum aſſererent, incumbit illi, ut dicat, quinam iſti fuerint; quos niſi aſſignaverit, non immeritò dici poteſt illos admittere gratiam verſatilem, qui dicunt, in libertate hominis poſitum eſſe gratiâ uti, vel non uti.

45. Hoc autem Auctor Caducæi fatetur loco non uno. Ad manum eſt num. 85. 3. part. punct. 6. ubi ſic loquitur: *Poſſunt nobis ſuffici vires Dei modó ordinario*, *& communi præparativo noſtræ voluntatis non ſolùm ad piè*, *ſed etiam ad meritoriè operandum*: *itaut relinquatur* (nota benè) *voluntati liber uſus*, *vel non uſus gratiæ Dei*, *in quo ſtat ratio meriti*, *aut demeriti*; *& ſimiliter Deus relinquat ſuo generali ſimultaneo concurſui concurrere*, *vel ſecùs ſuo ſupernaturali concurſu ad actum ſalutarem*, *prout ita exegerit determinatio libera creaturæ*. Et primò quidem rogo, an aliquid amplius, quàm hìc ex Ortizio attulimus; voluerint ſignificare AA. illi docentes: *Deus donat nobis ſuam omnipotentiam*, *ut eá utamur*, *ſicut aliquis donat villam*, *vel librum*: & iterum: *Deus ſubjicit nobis omnipotentiam ſuam*? Si nihil plus ſignificare hi AA. voluerint, quàm Auctor Caducæi: ergo hìc æquè damnatus eſt, ac illi. Si dicti Auctores aliquid ampliùs ſignificare intenderint, quàm *Ortizius*, hoc aliud eſſe non poteſt, quàm ſenſus ab *Ortizio* tantoperè abominatus, de quo ſuprà. Igitur aliqui Jeſuitæ fuerunt docentes eas propoſitiones, quas *Hozius* ipſis attribuit, & in quas ita vehementer invehitur *Ortizius*, ut non dubitet eas vocare *dignas cenſurâ maleſonantium*, *& errori proximarum*. Secundò obſervatione dignum eſt, quòd non velit *Ortizius*, quòd gratia Jeſuitica dicatur *collata ad nutum creaturæ*, ita expreſsè pag. 23. num. 23.; & tamen hìc expreſsè aſſerit, quòd relinquitur *voluntati liber uſus*, *vel non uſus gratiæ Dei*, *& ſimiliter*, *quòd Deus relinquat ſuo generali ſimultaneo concurſui concurrere*, *vel ſecùs*, *ſuo ſupernaturali concurſu ad actum ſalutarem*, *prout ita exegerit determinatio libera creaturæ*. Enimverò ſi Deus

ſi Deus concurrit concurſu ſuo generali, vel ſupernaturali, prout exegerit determinatio libera creaturæ, nonnè dici poteſt Deum conferre concurſum ſupernaturalem, ideſt gratiam ad nutum creaturæ? Tertiò, prætendit Auctor iſte gratiam eſſe efficacem, prout venit à Deo *in actu primo*, ita pag. 11. num. 21. Fatetur inſuper gratiam, quam ſtatuunt Jeſuitæ, eſſe ab intrinſeco indifferentem; ſolùm rogat, nè eam gratiam ab intrinſeco indifferentem vocet aliquis *verſatilem, collatamque ad nutum creaturæ*, ita pag. 24. num. 23. Morem hìc ei libenter gerere volo. Sed dicat, amabo, quô nomine donari poſſit gratia hæc ab intrinſeco indifferens? Non illa eſt dux voluntatis in opere ſalutari, & meritorio, pro qua gratiæ prerogativa Thomiſtæ ſemper pugnaverunt, & porrò pugnant: non illam eſſe pediſſequam concedet ille: ſupereſt ergo, ut illa ejus gratia ab intrìnſeco indifferens dicatur comes voluntatis, licèt certo modo præveniat voluntatem; quod idem eſt, ac dicere, quòd illa eſt ita verſatilis, ac ipſa voluntas. Sed quoniàm hoc facilè deprehenditur, non eſt pluribus refutandum.

DUBIUM II.

Utrùm libertas noſtra eſſentialiter includat ſubjectionem, & ſubordinationem Deo?

§. I.

Pars affirmativa ſtatuitur.

1. HÆc Concluſio non tàm erat probanda, quàm ex præcedenti Dubio deducenda. Verùm quia juxta legem contrariorum ad invicem oppoſita magis eluceſcunt, viſum nobis eſt poſt probatam repugnantiam concurſus Dei à Creatura determinabilis, eamdem creaturæ ſubjectionem ampliùs confirmare, ut meliùs Sapiens inter utrumque conſultet, ac judicet. Firmatur ergo primò aſſertum noſtrum variis Sacræ Scripturæ teſtimoniis. Ex illo Pſalm. 32. *De cœlo proſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Ex quibus verbis argumentum ducit S. *Auguſtinus* lib. 5. de Geneſ. ad Litter. cap. 22. omnes actus humanos dominio Dei eſſe ſubjectos. Conſtat id ipſum ex illo *Hieremiæ* 10. *Non eſt hominis via ejus, nec viri, ut dirigat greſſus ſuos*. Et Proverb. 16. *Domini eſt dirigere greſſus hominis*. Et 20. *A Domino diriguntur greſſus viri*. Et Pſalm. 30. *In manibus tuis ſortes meæ*. In quibus ſatis eluceſcit ſupremum Dei dominium ſuper actiones liberas hominum. Quarè voluntas, & actiones hominum in Dei manu, poteſtate, ac diſpoſitione eſſe, dicitur Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumquè voluerit, inclinabit illud*.

Quod alibi Scriptura replicat de cordibus Principum in Dei manu poſitis, ut *Eſdræ* 6., *Job* 22., *Iſaiæ* 10., *Exod* 7., & aliis innumeris in locis: & maximè *Ezechiel.* 36. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*: nempè gratiâ illâ, quâ Deus efficaciam præbet agendi, & cooperandi, & facit ut voluntas velit ſervare mandata: quibus ſupremum, & abſolutum Dei dominium ſatis oſtenditur.

2. Non minùs efficaciter id fit perſpicuum ex aliis Sacræ Scripturæ teſtimoniis. Lib.2.Paral.cap.30.v.12.13.& 14.legitur:*In Juda verò facta eſt manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum Regis, & Principum verbum Domini. Congregatique ſunt in Jeruſalem populi multi, ut facerent ſolemnitatem Azymorum in menſe ſecundo: & ſurgentes deſtruxerunt, quæ erant in Jeruſalem, atque univerſa, in quibus Idolis adolebatur incenſum.* Hìc magnificè reſplendet Dei ſupremum dominium. Non populus ad Idola deſtruenda, quæ priùs colebat, erat diſpoſitus. Cor ejus rectum non erat coram Domino. Fecit tamen Deus, ut ambularet in mandatis Regis. Abſtulit ab eo cor lapideum; quia nempè cor ejus erat in manu Dei omnipotentis; & quocumquè vult, inclinat illud victrix Dei gratia, quæ inclinans cor ad conſenſum, non à conſenſu habet efficaciam, ſed potiùs conſenſus, ut facerent juxta præceptum Regis, qui Deum Patrem ſuorum coli volebat, ab ipſa gratiæ efficacia, provenit.

3. Indicant etiam ſatis efficaciter aſſertionem noſtram, quæ habentur in lib. *Eſther* cap. 13., ubi num. 9. ſic legitur: *Mardochæus deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum ejus, & dixit: Domine, Domine Rex Omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael.* Et verſ. 17. *Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto ſorti & funiculo tuo, & converte luctum noſtrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.* Hìc *Mardochæus* ad Dominum Omnipotentem recurrit, cujus virtutem, & imperium confitetur, & cujus poteſtati nullus poteſt reſiſtere, ut populum Judaicum liberet à periculo imminentis mortis, & populus triſtitiâ oppreſſus citò præ gaudio in Domino exultet. Rogabo illicò. Quô pactô hæc verificari poſſunt, niſi agnoſcatur ſuprema abſoluta, & electiva poteſtas ſupra voluntates hominum, quoad eorum actus liberos, proveniens ex omnipotentiſſimo Dei dominio inclinandi corda humana, quò voluerit, ex determinatione voluntatis Divinæ, ſecundùm quam operatur: ergo cùm omnis poteſtas electiva ſit dominativa, datur in Deo vera dominativa poteſtas inclinandi voluntates hominum, quò voluerit. Hæc adeò perſpicua ſunt ex Sacris Litteris, ut probari ampliùs non debeant.

4. Tranſeo ad S.*Auguſtinum*, qui apertiſſimè prædicat hoc ſupremum Dei dominiùm ſuper corda hominum. Audiendus S. Doctor lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 20. *Niſi quia Deus dominatur voluntatibus*

hominum, & quos vult, in formidinem convertit. Id ipſum repetit de correp. & prat. cap. 12. dicens: *Illas in ſua poteſtate habet*. Et de præ-deſt. Sanctor. cap. 20. *Cùm Deus vult fieri, quod nonniſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicèt inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle*. Sic etiam lib. de grat. Chriſti cap. 22. Et lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagii cap. 20. Et lib. 2. oper. imperf. num. 11. his præclariſſimis verbis: *Sed nedùm voluntates operatur in mentibus hominum, ſed eas operatur, ut volentes ex nolentibus fiant: non ut nolentes credant, quod abſurdiſſimè dicitur; ſed ut volentes ex nolentibus fiant*. Quod iterùm docuit ibi lib. 6. num. 10. dicens: *Quis enim neſcit neminem credere niſi libero voluntatis arbitrio? Sed paratur voluntas à Domino: nec omninò eruitur à ſervitute humana ſuis meritis debita, niſi quando per gratuitam gratiam paratur à Domino*. Si ergo hæc eſt mirabilis poteſtas gratiæ in cordibus hominum; ſi voluntates, quò voluerit, facit Deus inclinari, quomodò negari poteſt, quòd Deus dominatur in cordibus hominum, & quòd Deo creatura in actu libero eſt immediatè ſubjecta? *Adeo nè liberi eſſe volunt*, dicit *Auguſtinus* de Spir. & Litter. cap. 3., *ut nec Deum velint habere Dominum*.

5. Sed notandus eſt maximè locus alter S. *Auguſtini* ex lib. 8. de Geneſ. ad Litt. cap. 11. num. 22. Obſervat S. Doctor, quòd Scriptura Sacra veram rerum exiſtentium productionis cauſam aperiens in principio libri Geneſis, ſolùm dicit, *Creavit Deus cœlum, & terram*. Deum dicit, non Dominum vocat, niſi cap. 2. verſ. 15. dicens: *Et ſumpſit Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in paradiſo operari eum, & cuſtodire*. An non ſupradictarum creaturarum cœli, & terræ, Angelorum, & omnium, quæ creaverat, erat Dominus? Cur ergo, inquit S. Doctor, *nuſquàm poſitum eſt, Dominus Deus; ſed tantummodò, Deus: nunc verò ubi ad id ventum eſt, ut hominem in paradiſo conſtitueret, eumque per præceptum operaretur, & cuſtodiret, ita Scriptura locuta eſt. Et ſumpſit Dominus Deus hominem &c.* Cui ſibi reſpondet *Auguſtinus*: *Non quòd ſupradictarum creaturarum Dominus non eſſet Deus, ſed quia hoc nec propter Angelos, nec propter alia, quæ creata ſunt, ſed propter hominem ſcribebatur, ad eum admonendum, quantùm ei expediat habere Dominum Deum, hoc eſt, ſub ejus dominatione obedienter vivere, quàm licentiosè abuti propriâ poteſtate, nuſquàm hoc priùs ponere voluit, niſi ubi perventum eſt ad eum in paradiſo collocandum, operandum, & cuſtodiendum: ut non diceret, ſicut & cætera omnia ſuperiùs, & ſumpſit Deus hominem, quem fecit, ſed diceret, & ſumpſit Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in paradiſo operari eum, ut juſtus eſſet, & cuſtodire, ut tutus eſſet, ipsâ utique dominatione ſuâ, quæ non eſt illi, ſed nobis utilis. Ille quippe noſtrâ ſervitute non indiget, nos verò dominatione illius indigemus, ut operetur, & cuſtodiat nos: & ideò verus ſolus eſt Dominus, quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram utilitatem, ſalutemque ſervimus. Nam ſi nobis indigeret, eo ipſo non verus Dominus eſſet,*

cùm

cùm per nos ejus adjuvaretur neceſſitas, ſub qua & ipſe ſerviret. Liber erat *Adam* in paradiſo conſtitutus. Data ei erat gratia poſſibilitatis, ut poſſet eſſe juſtus. At non de poſſibilitate, ſed de actione, ſeu converſione in Deum hìc eſt ſermo, ut exprimunt adducta verba, *ut juſtus eſſet, & cuſtodire, ut tutus eſſet*: & quæ leguntur cap. ſequenti num. 25. *Sed tota ejus actio bona eſt converti ad eum, à quo factus eſt, & ab eo juſtus, pius, ſapiens, beatuſque ſemper fieri.* In quo ſanè perfectiſſimè elucet ſupremum, atque abſolutum ſuper actus noſtros Dei dominium. Non victrix eſſet Dei gratia indifferens, cui voluntas poſſet reſiſtere, potiùſque Deus eſſet ſerviens, & non dominans, qui ſolùm concurreret gratiâ à libero Adami arbitrio determinatâ, & non ut determinans. Cùm tamen *Auguſtinus* perfectiſſimam Dei dominationem neceſſariam eſſe affirmet, *ut juſtus eſſet, & tutus eſſet, ipsâ utique dominatione ſuâ*. Quarè concludit cap. 12. dicens: *Eo quippe ipſo cùm ab illo non diſcedit, ejus ipſe præſentiâ juſtificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante, & cuſtodiente Deo, dùm obedienti, ſubjectoque dominatur.*

6. Secundum Concluſionis fundamentum promovetur ex *Apocal.* verſ. 16. ubi Deus vocatur *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. En ubi Deus dicitur Dominus creaturæ, ut actu dominantis, quod ſtare non poteſt cum carentia ſubordinationis in creatura, ut actu dominante ſupra ſuum actum liberum. Dominium namque duo dicit ex terminis in dominante; ſuperioritatem, & facultatem utendi re, cujus habet dominium, & talem quidem, ut ſi dominium ſit ſupremi dominantis, à nullo impediri valeat. In re verò, cujus habet dominium, inferioritatem, & ſubjectionem talem importat, ut dominium habenti nullo jure refragari valeat. Ergò ſi in adducto Sacræ Scripturæ teſtimonio Deus dicitur habere dominium (quod neceſſariò debet adſtrui ſupremum) ſupra dominium noſtrum, quod continetur ſub dominio Dei: ſanè & in Deo debet agnoſci facultas talis utendi dominio noſtro, ut ei non poſſimus refragari, & in nobis ſubjectio talis, ut ipſi pro libito nos ſubtrahere non valeamus. Quomodò namque Deus erit ex natura ſua Dominus Dominantium, ſi dominium creatum non eſt ex natura ſua Deo ſubjectum, & ſubordinatum? Sicut enim ex terminis implicat, Deum eſſe ex natura ſua cauſam cauſarum, & quòd ſit aliqua cauſa diſtincta à Deo, cujus Deus non ſit cauſa: ità & contradictionem involvit, Deum eſſe ex natura ſua Dominum Dominantium, & eſſe dominium aliquod creatum Deo non ſubjectum, & ſubordinatum; neque enim minùs exaltat, atque extendit Dei dominium, qui illum vocat Dominum Dominantium, quàm qui Deum appellat cauſam cauſarum, & cauſantium: ergò ſi hæc locutio petit ad ſui veritatem, ut nulla ſit cauſa, nullumque cauſans, Deo ex natura ſua non ſubjectum, & prima locutio, quæ eſt infallibiliter vera, neceſſariò petit, ut nullus ſit Dominus, nullumque dominium diſtinctum à Deo, Deo ex natura ſua non ſubjectum. Audiatur D. *Laurentius Juſtinianus* de contempt. Mundi cap. 9. hanc hominis ſubordinationem expo-

nens: *Nempè, qui te creavit Dominus eſt, non unius Civitatis, non unius Provinciæ, nec unius tantùm Regni, ſed totius Orbis, Maris, & Fluctuum, Quadrupedum, Volucrum, Serpentum, Hominum, Angelorum, Archangelorum, cæterorumque Spirituum Beatorum. Dominus quippe univerſorum eſt. Fecit autem te ſecundùm rationalem animam, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ut eſſes ratione ſapiens, vita innocens, dominio potens, ut videlicet præeſſes piſcibus maris, volatilibus Cœli, & animantibus univerſæ terræ. Subeſſes verò ſibi, ſcilicet Deo, & tanquam cœtera, quæ plaſmaverat, eidem præberes famulatum, eò fideliùs, eò ardentiùs, eòque ſolicitiùs, quò amplius, quàm creaturæ reliquæ accepiſti. Nam innata naturæ lex clamat, ut cui amplius donatum eſt, abundantiùs exigatur ab illo. Tantum etenim ex juſtitiæ regulis quis habet, quantum percepit: totum igitur, quod habet homo, & id, quod eſt, quoniàm accepit gratis, totum debet.* Et quid, quod boni facimus, quod boni in actionibus, deliberationibuſque noſtris eſt, ſeu phyſicum, ſive morale, non accepimus? Igitur in his omnibus dominium agnoſcimus ſecundùm naturam, cui referre debemus ſecundùm juſtitiam.

7. Hoc eſt ità certum, & ſine dubio tenendum, quòd ex oppoſito Deus non poſſet dici Dominus creaturæ dominantis, ſed è contrario. Creatura diceretur Domina Domini dominantium, dum non ille nos agere faceret, ſed nos illum facere ageremus. Quod vel ex ipſis terminis apparet abſurdum. Igitur ſi actio creaturæ, quæ libertatem ſuam determinat, & in qua exercitium ſui dominii conſiſtit, non ſubordinaretur immediatè Deo, ut Domino, concurſus omnipotentiæ, qui juxta Adverſarios, ut & toties diximus, identificatur cum actione creaturæ, immediatè & adæquatè ſubjiceretur dominio creaturæ, ut Dominæ: quod ſanè non eſt, Deum dominari dominantibus à ſe diſtinctis, ſed è contrà dominantes à Deo diſtinctos dominari Domino Dominantium. Non enim aliâ ratione creatura dicitur, & eſt Domina ſui, & ſuæ operationis, niſi quia ſe ipſam, & ſuam operationem pro nutu ſuo determinat; ſed etiam Deum, divinamque omnipotentiam, juxta contrariam poſitionem, pro ſuo nutu determinat, quin à Divina omnipotentia determinetur; cum juxta Auctores iſtos libertas creata includat conſtitutivè carentiam ſubordinationis ad Deum: ergo eâdem ratione, eâdemque proprietate, quâ dicitur, & eſt Domina ſui, ſuæque operationis, & dici debet Domina omnipotentiæ, ac Dei, & conſequenter Domini dominantium. Quod certius apparet in ipſorum principiis. Aſſerunt namque defenſores auxiliorum indifferentium, quòd, ſi Deus exerceret ſuum immediatum dominium ſupra actionem creatæ poteſtatis, auferret illius libertatem: non enim percipere volunt, Deum, & creaturam ſimul exercere dominium ſuum immediatum ſuper eamdem actionem. Ergo ſi creatura dominium ſuum immediatum exercet ſuper illam & concurſum omnipotentiæ, & Dei libertatem, & dominium tollit: ſed Deum concurrere ſine libertate immediata, atque adeò ut ſubjectum creaturæ, non eſt concurrere ut Dominum dominan-

nantium: ergo debet concurrere cum immediato dominio ſuper actionem creaturæ, & conſequenter creatura in actu libero, ut immediatè Deo ſubjecta.

8. Tertiò probatur Concluſio, quæ magis convincitur ex propria, & ſpecifica ratione actûs ſupernaturalis, qui eſſentialiter includit ſubjectionem immediatam ad Deum. Sit enim fide certum, quòd tàm poteſtas ad conſenſum, quàm ipſe conſenſus ſunt donum Dei, ut conſtat ex illis verbis *Apoſtoli* ad *Corinth.* 2. 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt*, & ad *Philipp.* cap. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et ex illo *Jacobi* cap. 1. ubi dicitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Hinc probat *Apoſtolus* ad *Epheſ.* 2. apud *D. Thomam* lect. 3. *fidem non eſſe ex nobis*, aſſumens pro medio, eſſe donum Dei. Sic enim habet: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur, ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis &c.* En ubi, fidem, & opera non eſſe ex nobis probat illis tribus dumtaxat verbis; *Dei enim donum eſt*: & neminem debere gloriari de ſua fide, quaſi illam habeat ex ſuis operibus; item ex illis, quòd *Dei ſumus factura creati in operibus bonis*, id eſt, ipſa opera noſtra bona opera ſunt creationis Divinæ: ergo ſi juxta Apoſtolum, fides, & opera non ex nobis, ſed donum Dei ſunt, de ratione, & conceptu quidditativo ipſorum eſt immediata ſubjectio Deo donanti tàm ipſa, quàm ipſorum libertatem: ac ſi homini ad hujuſmodi actus data eſſet poteſtas, ut non ex Deo omne bonum acciperet; vel dando gratiam exueret Deus à ſe poteſtatem, dandi bonum uſum illius, ut homo eſſet à Deo independens.

9. Vim hujus Apoſtolici argumenti explico. Quod eſt ex nobis unicè determinantibus, & non ex dominio immediato Dei, in nullo vero ſenſu dici poteſt, eſſe, & non ex nobis; quia ex nobis eſt, quod exiſtit unicè, quia nos volumus, illud eſſe; quin potiùs, ſeu potiori titulo dicitur eſſe ex nobis, quàm ex Deo; nobis enim ſubjicitur immediatè quoad eſſe, & non Deo; ſed *Paulus* aſſerit, fidem eſſe, & non ex nobis, quia eſt donum Dei: ergo ſentit, intimiùs, & immediatiùs ſubjici donum Deo, quàm nobis, ac ſubindè in conceptu doni quidditativo clauditur hæc immediata ſubjectio ad Deum donantem.

10. Dices: non exiſtit fides actualis ex determinatione Dei, nec ex dominio immediato Dei, ſed tamen exiſtit ex immediato influxu Dei, qui poteſtatem dedit, & licèt ex determinatione noſtra concurrat, concurrit tamen immediatè, quod ſufficit ad veritatem *Paulini dicti*.

11. Contrà tamen urget argumentum factum: nam etſi poſſit etiam verificari, fidem eſſe ex Deo, eo præcisè titulo, quia Deus concurrit immediatè, plus aliquid dicit Apoſtolus, nimirùm, & quòd fides non eſt ex nobis, & quòd eſt Dei: ſed prima pars hujus copulativæ vera eſſe non poteſt, ſi fides unicè exiſtit ex noſtra determinatione: ergo ut vera ſit, debet eſſe ex determinatione Dei. Hoc enim intentum Pauli erat, reddere rationem, cur fides noſtra potiori titulo tribuenda ſit Deo,

quàm

quàm nobis; quod ſubſiſtere non poſſe juxta oppoſitam ſententiam, argumentum noſtrum planè videtur demonſtrare; & non minùs, ut video, ex illo diſtare percipitur à ſenſu Pauli reſponſio, quàm ſententia noſtra ab oppoſita opinione. Nos quippe duo aſſerimus, quibus doctrina Pauli integra ſubſiſtit, quia Dei primatum confitemur, dum determinatio ad credendum primò, ſivè ut primo determinanti Deo tribuitur. Salvamus etiam, nos liberè credere, quia determinatio Dei nos eò determinat, ut à nobis nos liberè determinemur, eò quòd in unoquoque operatur Deus, accommodans ſuum influxum modo proprio cauſæ, in quam operatur: quod, licèt ſit difficile, non continuò falſum eſt. Immò quia verum eſt, difficile eſſe debet; ſupernaturalibus enim ipſa intelligendi difficultas præbet argumentum. Unde *Auguſtinus*, etſi hoc magnis difficultatibus obſideri cognoſceret, non à prædicanda divinæ gratiæ virtute, hujuſque cum humanæ libertatis concordiâ, dimotus eſt; ſed lib. de natur. & gratiâ cap. 32. exclamat: *Non enim, cùm iſta commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, ſed Dei gratiam prædicamus*. Propter quod admirabilis Doctor librum hunc de Naturâ, & Gratiâ ſcripſit, ut teſtatur ipſe lib. 2. retract. cap. 42. his verbis: *Venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam, quâ juſtificatur impius, & quâ Chriſtiani ſumus, quantâ potuit argumentatione defendit. Librum ergo quo huic reſpondi defendens gratiam, non contra naturam, ſed per quam natura liberatur & regitur, de naturâ & gratiâ, nuncupavi*. At in Contrariorum aſſertis non Deus determinat nos, ſed Deum nos determinamus: ex quo ſtatim apparet, quòd nos ampliùs voluntati noſtræ, quæ determinata à Deo ſe determinat, concedimus, quàm ipſi tribuunt Deo, qui nec ut cauſa determinata ſe determinat. Lego contra *Pelagium Auguſtinum* de prædeſt. SS. cap. 2. & 3. qui an pro nobis omninò loquatur, an adverſariorum ſenſus illi cohærere poſſit, legentium judicium eſto: *Quaſi*, ait, *componat homo cum Deo, ut partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat: & quod eſt elatius, primam tollat ipſe, ſequentem det illi, & in eo, quod dicit, eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum. Non ſic pius atque humilis Doctor ille ſapiebat, Cyprianum Beatiſſimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*. Lego & Theophilactum ſuper Epiſt. ad Colloſenſ. totum adſcribentem Divinæ gratiæ: *Sed Divinæ totum eſt gratiæ*. Petrum de Celles ſerm. 1. in Cœna Domini dicentem: *Hoc totum de miſericordia, hoc totum de gratiâ tuâ*. Guilelmum Pariſienſem tom. 1. tract. de virt. cap. 2.: *Totum boni quod vel habemus vel facimus, totum eſt Dei opus, Dei donum, Dei beneficium*. Quo ergo modo ſtare poterit, Deum potiori ratione eſſe cauſam noſtræ fidei, quàm nos ipſi, qui credimus, ſi operatio Dei noſtræ ſubditur operationi, non noſtra illi: ſi noſtra determinatio præcedat Dei determinationem, non iſta illam?

12. Hoc, ut meliùs intelligere valeamus, maximè obſervandum, liberum arbitrium ad credendum Deo fide ſupernaturali, & Theologi-

câ

câ requirere eſſentialiter, & conſtitutivè ſufficientem propoſitionem myſterii credendi, auxilium ſufficiens elevans intellectum, piam voluntatis affectionem, & ſi quid aliud requiritur, ut homo ſit proximè potens aſſentiri myſterio per fidem Theologicam: quo ſuppoſito fit argumentum manifeſtè convincens, quòd fides actualis, ſivè actualis aſſenſus fidei potiori titulo eſt Dei, quàm arbitrii, etiam ut includentis illa omnia, quibus conſtituitur in eſſe talis. Eſt namque donum Dei diſtinctum à primo, & majus illo, quia reliqua ſunt propter aſſenſum, non è converſo; & quia homo proximè potens credere tenetur orare Deum, ut ipſi donet aſſenſum ſalutarem, & pro tali aſſenſu fidei ſibi donato gratias agere: ut dicit B. *Auguſtinus* lib. de corrept. & grat. cap.2. *Intelligant, ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei agi, ut, quod agendum eſt, agant: & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil agant.*

13. Adde illud, quod ex iiſdem certiſſimè tenendum: nihil boni à nobis fieri, quod non faciat Deus, ut nos faciamus, nec dividendum eſſe aliquid boni operis, quod ſit gratiæ, aliud, quod ſit liberi arbitrii, ut docet toties *Auguſtinus*, & ſignanter in 2. de peccator. merit. & remiſ. cap.18. ubi ex verbis illis *Pauli* 1. ad Cor.4. *Quid habes, quod non accepiſti*, & ad *Philipp.* 2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere*, infert, *fruſtrà laborare eos, qui quærunt in voluntate noſtra, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo*. Cujus efficaciſſimam rationem adfert: quia niſi concedamus, ipſam bonitatem voluntatis, & operis à Deo fieri, quidquid aliud præter hoc à Deo eſſe fateamur, id illi cogimur dicere; *Melius eſſe, quod à nobis habemus, quàm quod à Deo*. Quis enim dubitet, quòd in opere bono ipſa ejus bonitas melior ſit, quàm ejus poſſibilitas, ſivè quodcumque aliud ipſam bonitatem præcedens, etiam ad eam neceſſarium, vel qualitercumque diſponens? Quid magis ad pietatem, veramque juſtitiam pertinet, quam determinatio ad bonum? In quo magis laudandus eſt homo, quàm de tali determinatione? *Ergo ne*, clamaret *Auguſtinus*, ut dixit de gratiâ Chriſti cap.23., *ut perveniamus ad adjutorium Dei, curritur ad Deum ſine adjutorio Dei, & ut Deo adhærentes adjuvemur à Deo, à Deo non adjuti adhæremus Deo? Quid homini majus, quidve tale poterit gratia ipſa præſtare, ſi jam ſine illa, unus cum Domino Spiritus effici potuit, non niſi de arbitrii libertate?* Vix ac ne vix quidem hominem ingenitâ ſuperbiâ tumidum, cohibere fas eſſet, qui ſibi hoc ſupernaturale donum adſcriberet. Quare 2. ad *Corinth.* 3. exclamat *Apoſtolus*: *Non quòd ſimus ſufficientes, aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ad quem locum *Chryſoſtomus*, & Oecumenius notant: *Non aliud eſſe noſtrum, aliud Dei; adeoque nihil planè noſtrum eſſe, ne minimum quidem, ſed totum Deo adſcribendum.* Et D. *Thomas* ad eumdem locum aſſerit, etiam Ariſtotelem id ſenſiſſe, dicendo, quòd Deus homines movet, & omnia quæ agunt, ad actiones ſuas. Quod ideò meminimus, ut appareat, lumen ipſum naturale veritatem iſtam ſapientibus ſuaſiſſe; non quòd Philoſophorum egeamus

ſuf-

ſuffragio; ſed quòd eorum ſenſus in hac parte inſerviat veritati; etiam ex dono Dei, ut monet *Apoſtolus* ad *Rom.* 1. 19. Ergo homo ſe movens ad actum ſupernaturalem ità Deo ſubordinatur, ut nihil ex ſe, tanquam ex ſe agat, ſed ſolùm agat totum ſub gratia, & ex donante Deo: ne velut competitor audacter cum Deo concurrat; aut in re ſalutis poſſit Deo æquare ſe; quod ex Deo ſit ſolum poteſtas, at ex ipſo determinatio ad bonum. Et omnium apertiſſima eſt ratio; quia ſicut actus ſupernaturalis, quia ſupernaturalis eſt, nequit exiſtere, niſi concurrente gratiâ effectivè ad ejus exiſtentiam, nec etiam determinatio voluntatis, quia ſupernaturalis eſt, poteſt exiſtere, non concurrente gratiâ determinativè. Nam ſicut ſupra vim effectivam naturæ eſt exiſtentia actûs ſupernaturalis, ità determinatio ad eumdem actum eſt ſupra naturale dominium voluntatis: ergo ex eadem inferioritate infertur determinationem eſſe ex gratia Dei. Quis enim non videat, quòd non minùs extollat naturam vis determinativa ſupra actum ſupernaturalem, quàm vis effectiva? Quod æquè deprimit excellentiam entis ſupernaturalis non excedere vim effectivam, quàm non excedere vim determinativam? Et quòd non eſt minor perfectio voluntatis habere dominium ſupra actum ſupernaturalem, quàm eſſe effectivam illius: ergo ut ſalvetur perfectio actûs ſupernaturalis, ſimulque inferioritas naturæ, concurſus gratiæ nedum eſt effectivus, ſed & determinativus voluntatis. Ex quo dixit *S. Auguſtinus*, quòd *non libertate conſequimur gratiam*, *ſed gratiâ conſequimur libertatem*: quia gratia nedum eſt forma, quâ voluntas conſtituitur libera in actu primo, verùm ex ipſa oritur determinatio ad actus ſupernaturales.

14. Quartò ſumitur ſatis efficax argumentum ex eo, quòd hæc immediata ſubjectio tàm expreſſis verbis in ſacris litteris declaratur, ut nemo ſit, qui vel primo intuitu, hoc percipere non valeat. *Converte me Domine*, *&* *convertar*, *quia tu Dominus Deus meus*; *poſtquàm enim convertiſti me*, *egi pœnitentiam*, inquit *Hieremias* cap. 31.. Supra quæ verba obſervanda eſt ratio, quam aſſignat Propheta: *Quia tu Dominus Deus meus*, ut ex abſoluto, quod in homines Deus habet, dominio, oſtendat provenire, infallibiliter ſequi converſionis effectum. Non ad gratiam concomitantem, ſed præviam recurrit Propheta: undè dixit: *Poſtquam enim convertiſti me*, *egi pœnitentiam*. Non ad morales duntaxat excitationes ſcientiâ mediâ, ut volunt, prævisas infallibiliter habituras effectum, licèt præveniant, reſpicit; ſed ad ſupremam, quâ omnibus dominatur, poteſtatem, ſub qua non ſolùm voluntates noſtras eſſe, ſed & omnes operationes noſtras, & nos ipſos totos, Sapiens profitetur: *In manu illius nos*, *&* *ſermones noſtri*: *&* *opera illorum in manu Dei*. Sap. 7. 16. *In manu Dei poteſtas terræ*, *in manu Dei poteſtas hominis* Eccleſ. 9. 1. *Quaſi lutum in manu figuli plaſmare illud*, *&* *diſponere*. Undè *Auguſtinus* ſuper illud Pſal. 110. *Magna Opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus*: hoc ad ſupremum Dei dominium retulit, dicens: *Ità quidquid elegeris omnipotenti Deo non deerit*, *undè ſuam de te compleat voluntatem*. Non enim ſic conſtituta ſunt ope-

opera Domini, ut creatura in arbitrio libero conſtituta, Creatoris ſuperet voluntatem, etiamſi contra ejus faciat voluntatem: ut luculenter docet D. *Thomas* 1. p. q.19. art.7. & q.103. art. 7. & D. *Aug.* Pſal. 110. Et in *Enchirid.* cap. 100. *Propterea magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit v luntatem, quia non fieret, ſi non ſineret; nec utique nolens ſinit, ſed volens.* Diſertiſſima ſunt etiam *Pauli Oroſii* verba, quam ut ſilentio mitti poſſint. Hinc in ſua Apologia contra *Pelagium* quæ legitur Tom.6. Biblioth. SS.PP. dicit: *Poteſt ergo omnia in homine, qui utiquè poteſt omnia ..... In voluntate ergo hominis gratia divinæ virtutis operatur, quæ & hoc ipſum velle donavit.* Quæ ſanè omnes locutiones ſi candidè, ac ſine cavillis loqui velimus, ſupremum important ſuper actus liberos Dei dominium, manifeſtamque liberi arbitrii ſubordinationem.

§. II.

Solvuntur argumenta ex SS. PP.

15. SUfficeret nuda, & plana variorum locorum, qui ex SS.PP. nobis objiciuntur, deſignatio, ut lector ſtatim ipſorum verum ſenſum, & intelligentiam perciperet: ſed cùm expediat, ut aliàs monebat *Paulus*, eos, qui contradicunt, arguere, Adverſariorum ſiniſtrâ intelligentiâ cogente, diſtinctè proponam. Et objicit 1. P. *Avendaño* diſp.17. cap.2. §.14. Nyſſenum in oratione cap. 30. dicentem: *Quia in univerſitatem liberam habet poteſtatem propter ſummum in homines honorem, dimiſit etiam aliquid in noſtra poteſtate, cujus unuſquiſque noſtrûm ſolus eſt Dominus: hoc autem eſt liberi arbitrii libera electio.* Et ſtatim ſubdit Auctor iſte: *Notetur ly, cujus unuſquiſque noſtrûm ſolus eſt Dominus; nam juxta ſententiam contrariam nequit ſalvari, unumquemque noſtrûm ſolum eſſe Dominum liberæ electionis.*

16. Auctoritate iſtâ D.*Gregorii Nyſſeni* in ſenſu arguentis acceptâ, nihil aptius, ut argumenta ſuperiùs poſita, demonſtrativa reddantur. Namque accepta, prout ab ipſo intelligitur, Deum non eſſe Dominum Dominantium, & actus ſupernaturales non eſſe dona Dei, nec Deum operari in nobis velle, & perficere, nec omnia portare verbo virtutis ſuæ, nec omnia in omnibus ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ operari, manifeſtè comprobatur. Undè cum ſic intellecta, directè opponatur Eccleſiæ de Chriſto dicenti: *Tu ſolus D minus*, explicanda eſt ab omnibus Catholicis, & non in ſenſu objicientis. Etenim ſi ly *ſolus* excludit, ac ſubtrahit noſtram electionem liberam à dominio Dei, argumenta ſuperiùs facta inſolubilia erunt. Sciendum eſt ergo, quòd particula excluſiva in locutione vera, ſicut non excludit à concomitantibus, ità nec ab eſſentialiter requiſitis, vel requirendis: eſt autem eſſentialiter requiſitum, quòd determinatio libera, & libera electio creaturæ immediatè ſubjiciatur Deo, ut ſupremo Domino. Quod ergo excludit, ſunt

electiones noſtræ liberæ, à dominio cujuſcumque alterius Creaturæ, ſivè Hominis, ſivè Angeli, ſivè Dæmonis. Eſt enim de conceptu agentis liberi, nulli agenti creato extrinſeco ſubjici: cùm nullum agens creatum extrinſecum poſſit eſſe cauſa motûs ipſius voluntatis, ut expreſsè docet *D. Thomas* 1. p. q.83. art.1. & q.105. art.4. & q.111. art.2. ubi inquirit, utrùm Angeli poſſint immutare voluntatem hominis, & reſpondet: *Voluntas poteſt immutari dupliciter, uno modo ab interiori, & ſic cùm motus voluntatis non ſit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, ſolius eſt Dei immutare voluntatem*, ubi illam exemptam à dominio cujuſvis agentis creati agnoſcit: *Cùm intra voluntatem ſola voluntas operari poſſit, & qui voluntatem creavit, qui ſecundùm fidem ſolus Deus eſt*, inquit D. *Thomas* q. 22. de verit. art.9.

17. Secundò objicit *S. Clementem Papam* Epiſt.13. dicentem: *Nihil eſt, quod audientis fidem ad credendum determinet extra arbitrium eorum .... Si quid eſſet, quod ad credendum, vel non credendum determinaret, meritum, & libertas tolleretur.* Quem textum & opponit *P. Mariu* locò citatô n.33., at incaſſum opponitur. Etenim reſpondetur, quòd ne mens hujus Sanctiſſimi Papæ in minus Catholicum ſenſum intelligatur, illa particula *nihil* eo prorſus modo explicanda eſt, quo ſupra particula *ſolus* explicata manet; quod minimè excludit immediatum Dei dominium, immediatamque ſubjectionem creaturæ. Quid autem excludat, explicat *Sanctus Clemens* Epiſt. 3. illis verbis: *Qui audit ſermonem veri Prophetæ, habet in ſua poteſtate velle, & nolle illa amplecti. Nam ſi hoc eſſet, ut videntes ea, jam non haberent in ſua poteſtate aliud facere, quàm audierunt; vis erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam*; ac ſi diceret: ſi audiens convinceretur, quaſi per demonſtrationem, tunc non maneret liber ad diſſenſum, quia vis ipſa naturæ cogens ad aſſenſum, neceſſitat antecedenter ad illum, & reddit diſſenſum antecedenter impoſſibilem; quam neceſſitatem naturalem, & deſtructivam libertatis, excludit *S. Clemens* per ly *nihil*: non enim negat, fidem eſſe donum Dei, nec contra Apoſtolum affirmat, principaliùs eſſe ex Deo, quàm ex nobis. Deinde epiſtola illa 13. non eſt *S. Clementis*. Vide *Labbè*.

18. Tertiò objicies *D. Hieronymum in Iſai.* cap.49. dicentem: *Hæc autem univerſa dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monſtraretur: Dei enim vocare eſt, & noſtrum credere. Nec ſtatim, ſi non credimus, impoſſibilis Deus eſt; ſed potentiam ſuam noſtro dereliquit arbitrio, ut juſtè voluntas præmium conſequatur.* En ubi *Hieronymus* omnipotentiam noſtro ſubjectam arbitrio declarat, ut libertatem illæſam, & integram ſervet in non credendo. Ac ſi diceret: ideo in non credente remanet libertas, quia in non credente Deus ejus arbitrio reliquit ſuum concurſum in actu ſecundo: ſed concurſum Dei in actu ſecundo eſſe derelictum arbitrio voluntatis, eſt omnipotentiam eſſe ſubjectam libero arbitrio: ergo non poteſt ſalvari libertas, quin ſit voluntati creaturæ ſubjecta Divina omnipotentia.

19. Hoc argumentum, quod efficaciſſimum credunt, parùm urget,

ſi mens

ſi mens D. *Hieronymi* attentè conſideretur. Etenim S. Doctor in illis Iſaiæ verbis, *in vacuum laboravi, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi*, introducit Chriſtum conquerentem: *Quomodò in me glorificatus es Pater, quia magnam partem Populi Judæorum ad te revocare non potui?* Et continuò ſubdit verba in argumento poſita, quòd nempè dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monſtraretur: *Dei enim vocare eſt, & noſtrum credere. Nec ſtatim ſi non credimus, impoſſibilis Deus eſt.* Ac ſi apertè diceret: *Deus non eſt impotens, licèt vocati non credant*, facere ut credant. Nihil quippè frequentius in ſacris litteris, quàm quòd terminus iſte *impoſſibilis* ſumatur pro *impotens*. Conſtat ex illo Sap. cap. 11. *Non enim impoſſibilis erat manus tua*: quod exponit Eminentiſs. Card. *Hugo*: *Non eſt impoſſibilis, id eſt, impotens*. At in verbis ſequentibus, *ſed potentiam ſuam noſtro dereliquit arbitrio*, ly *potentiam ſuam* non accipitur pro potentia Dei, quaſi hanc Deus derelinquat, & ſubjiciat arbitrio noſtro, ut liberi ſimus, ſed pro termino potentiæ, quem reliquit libero arbitrio. Nam Deus derelinquit hominem in manu conſilii ſui, ſeù in ſua poteſtate, ut juſtè voluntas meritoriè operans, præmium conſequeretur, ſicut, & lapſus peccantis, non auxilio, ſed vitio voluntatis adſcriberetur. Senſus eſt ergo: *Potens eſt Deus facere, ut credant, obligando potentiam humanam; ſed hoc, quod potens erat facere, reliquit humano arbitrio, ut locum daret merito*. Ideoque non aliud facit S. Doctor, quàm libertatem à neceſſitate confiteri; neque per hoc excludit neceſſariam à Deo dependentiam, quam de illius mente ſuprà didicimus numerò ultimò præcedentis dubii. Eleganter autem effectum potentiæ pro potentia ipſa poſuit, quod Metonymiæ genus uſitatiſſimum eſt, ut nemo neſcit.

20. Textum *D. Hieronymi* ſuprà laudatum, Deus potentiam ſuam noſtro dereliquit arbitrio, ſic benignè interpretatus fueram, dicens: *Ly potentiam ſuam non accipitur pro potentia Dei, quaſi hanc Deus derelinquat, & ſubjiciat arbitrio noſtro, ut liberi ſimus, ſed pro termino potentiæ, quem reliquit libero arbitrio*. Quid ad hæc *P. Araujo*? *Violenta*, inquit pag. 336., *ſanè expoſitio, cujus nullam probationem invenit, niſi recurrendo ad Metonymiam. Rhetoricè quidem, non tamen verè dictum*. Sed nonnè videt, quòd rejiciendo benignam Verborum *Hieronymi* interpretationem, collidat ipſum S. Eccleſiæ Doctorem cum *Innocentio XI.*? Nonnè verba illa, *Deus potentiam ſuam noſtro dereliquit arbitrio*, crudè, & ſine Metonymia, ut vult Adverſarius, accepta, idem ſignificant, ac, quòd *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*; quam propoſitionem damnavit *Innocentius XI.*, uti *temerariam ad minimum, & novam*? Igitur, juxta ipſum, *S. Hieronymus* docuit iſtam propoſitionem damnatam, &, quod pejus eſt, ſequeretur etiam, propoſitionem illam malè damnatam eſſe ut novam, ſi eam *S. Hieronymus* docuit. Nonnè occini poſſet huic Auctori illud *Horatii*: *Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis; cur in amicorum vitia tàm cernis acutum?* Sed præſtat vincere in bono malum. Unde ad reliqua pergamus. Remittit me ad *Hugonem*, *Cornelium*,

& *Manſi*, ut videam explicationem illius *Iſaiæ* 23. *Servire me feciſti in iniquitatibus tuis*. Sed primus, & ultimus ſine Metonymia explicari non poſſunt, ad quam *Cornelius à Lapide* manifeſtè recurrit. Igitur non contra me, ſed contra ipſum militant. Adeat ipſe, obſecro etiam, *P. Segneri* in Meditat. ad diem 22. Septembris, ubi Textum *Iſaiæ* latè explicat: & addat etiam Meditationem ad diem 8. Aprilis, ubi belliſſimè explicat illud *Oſeæ* 7. v. 13. *Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia*; ponderetque illud, quod Latinè ſic reddi poteſt. *Hic textus eſt fulmen directum in eos, ſive pœnitentes, ſive innocentes, qui ſtultè virtuti ſuæ adſcribunt vel punctum, quod in ipſis ſit gloriâ dignum*. Quid verò faciunt illi, qui ſibi tribuunt determinationem concursûs Dei ad bonum? Annon ſaltem punctum ſibi adſcribunt, quod ſit gloriâ dignum? Videatur P. *Molina* 1. p. qu.23. art. 4. & 5. Diſp. 1. Memb. 6. ad 1. & in Append. quæſt. 14. art. 13. Diſp. 12. §. *Illud poſtremum*. Recolantur ea, quæ ſuprà diximus.

21. Quartò objicies *S. Damaſcenum* lib. 2. de fide cap. ultim. ubi ſic ait: *Illud ſcire intereſt, Deum omnia quidem præſcire, ſed non omnia præfinire, præſcit enim ea, etiam quæ in noſtra poteſtate, atque arbitrio ſita ſunt, at non ità ea præfinit*. Ex quibus arguit prædictus Auctor: Deus non præfinit opera, quæ nobis libera ſunt: ergo quia non determinat determinatione propriâ agentis liberi, ſed ut libera ſit, ſubordinatur voluntati noſtræ, ut ipſa ſola determinet determinatione propriâ agentis liberi. Ad quod reſpondetur, hanc *Damaſceni* auctoritatem explicare *D. Thomam* 3. contra Gent. cap. 90. num.6. ad fin. per hæc verba: *Et ſimiliter Nyſſenus dicit in libro, quem de homine fecit, providentia eſt eorum, quæ non ſunt in nobis, non autem eorum, quæ ſunt in nobis. Et Damaſcenus eum ſequens dicit in 2. lib. cap. 30. quòd ea, quæ ſunt in nobis, Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat; exponenda ſunt, ut intelligantur ea, quæ ſunt in nobis, Divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea, neceſſitatem accipientia*. Hæc Sanctus *Thomas* ad *Nyſſenum*, & *Damaſcenum*, ex quibus apertiſſimè conſtat, hos SS. PP. negare præfinitionem, aut prædeterminationem imponentem noſtris electionibus neceſſitatem antecedentem, non verò neceſſitatem conſequentem, quæ tantùm eſt neceſſitas conditionalis, & ſecundùm quid, non obſtans libertati, ut expreſsè docet *Divus Thomas* 1. p. q. 19. art.8. in corp. & ad argumenta. Et quidem electiones noſtras immediatè ſubjacere Divinæ providentiæ, quæ nihil aliud eſt, quàm diſpoſitio proviſarum rerum, docuit Angel. Præceptor loco citato immediatè ante verba relata, tum 1. p. q. 22. art. 2. ad 1. explanans illa verba Eccleſiaſtici cap. 15. quæ num. 37. contra nos opponit *Pater Marin*: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*. Ad quorum intelligentiam ſic loquitur *D. Thomas*: *In hoc quod dicitur, Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo à Divina providentia; ſed oſtenditur, quòd non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus*. Et, paucis interpoſitis, rationem hujus expoſitionis

tionis reddit. *Providentia hominis enim continetur ſub providentia Dei, ſicut cauſa particularis ſub cauſa univerſali*: Sed cauſa particularis continetur immediatè ſub cauſa univerſali, quæ eſt Deus: ergo providentia hominis,& illius dominium ſuper proprios actus continetur immediatè, & ſubjicitur providentiæ, & dominio univerſaliſſimo Dei. Neque his immorari oportet; nam ſalvâ fide, negari non poteſt, omnes actiones noſtras ſubjici Divinæ providentiæ. Sicut ergo *Nyſſenus* verbotenus id negans, non ut ſonant verba accipiendus eſt de providentia: itá Damaſcenus, non ut ſonant verba accipiendus eſt de potentia: idem enim eſt utriuſque argumenti ſenſus contra errores ſuorum temporum; licèt minùs cautè ſcripſerint circa contrariam partem, cui nullus tunc error inſidiabatur. Nec mirum,cùm hoc ipſum contigerit *D. Auguſtino* ante errores Pelagii, ut ipſemet fatetur in libro Retractationum.

22. Quintò òbjicies, *D. Thomam* in 2. diſt. 25. q, unic. art. 1. dicentem: *Liberum arbitrium non reperitur in his, quorum actiones determinantur à quibuſdam aliis cauſis prioribus.* Et ibi; *Et ideò ſalvatur in Deo liberum arbitrium, & verum Dominium ſui actûs, quia determinatio ſui actûs non eſt ſibi ab alio, ſed à ſe ipſo.* Et in 2. diſt. 39. q. 1. art. 1. *Ipſa potentia voluntatis, quantùm in ſe eſt, indifferens eſt ad plura, ſed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Et art. 2. in corp. *Ratio culpæ in actu deformi eſt ex hoc, quòd procedit ab eo, qui habet dominium ſui actûs: hoc autem eſt in homine ſecundùm illam potentiam, quæ ad plura ſe habet, nec ad aliquod eorum determinatur, niſi ex ſe ipſa, quod tantùm voluntati convenit.* Hæc *D.Thomas*; ex quibus ſtatim infert *P. Avendaño*, *quòd voluntati tantùm convenit habere dominium ſui actûs, & determinari ex ſe ipſa, quod ſalvari non poſſet, ſi Deus etiam haberet Dominium noſtri actûs, & ex ipſo determinaretur ad illum. Voluntati ergo ſubordinatur, ut ſic iſta ſola ſit domina, & determinetur ex ſe ipſa.* Hæc ad verbum prædictus Author. Quibus addit *D. Thomam* q. 1. de potent. art. 4. ad 3. *dicendum, quòd licèt cauſa prima maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur.* Sicut & ipſum 3. contra Gent. cap.66. num.5., ubi ſic habet: *Secunda autem agentia, quæ ſunt quaſi particulantes, & determinantes actionem primi agentis, agunt ſicut proprios effectus alias perfectiones, quæ determinant eſſe.*

23. Hæc ſunt potiſſima loca ex *D. Thoma*, quibus *P. Avendaño*, *P. Marin*, & alii Doctores Scientiæ mediæ ſententiam ſuam probare nituntur, quæ tamen facillimam, & veriſſimam habent intelligentiam apud Diſcipulos S. Doctoris, qui ejus maximè norunt loquelam. Igitur inconcuſſum principium eſt apud omnes Theologos cum SS. PP. quòd de conceptu agentis liberi eſt ſe movere, & determinare, eſseque ſuorum actuum dominum, hoc tamen juxta *S. Thomam* minimè excludit determinari à Deo ad exercitia libera. Nam ex eodem Angeli-

co

co Magiſtro, de cujus mente modo dumtaxat agimus, quoties datur duplex efficiens eamdem actionem, unum primum, & aliud ſecundum, nihil obſtat, quominùs ſit duplex determinans eamdem actionem, unum primum, & aliud ſecundum. Ergo agens liberum eſt, quod ſe determinat; ſed primum agens liberum primò ſe determinat, & ſecundum ſecundò ſe determinat. Reſtrictio enim, quæ cadit in definitum, debet etiam cadere in definitionem. Notiſſimum eſt ſcientibus *Thomam*, hujuſmodi primi determinantis motionem libertatem ſecundi liberi non lædere. Undè æquè certum eſt illis, in objectis locis excludere S. Doctorem à libertate humana alienam quidem determinationem, non Divinam, quæ aliena non eſt. Ut tamen etiam illis, qui in S. Doctore minùs verſati fuerint, ſatisfaciamus, quæ de ejus mente diximus, verbis ejuſdem operæ pretium erit proferre. Igitur q. 3. de malo art. 2. ad 4. *Cùm dicitur aliquid movere ſe ipſum, ponitur idem eſſe movens, & motum: cùm autem dicitur, quòd aliquid movetur ab altero, ponitur aliud eſſe movens, & aliud motum. Manifeſtum eſt autem, quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipſo, quia eſt movens, ponitur, quòd eſt primum movens. Undè non excluditur, quin ab altero moveatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum, quod movet; ſimiliter cùm aliquid movet ſe ipſum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipſum, quia ſe ipſum movet, & ſic non repugnat libertati, quia Deus eſt cauſa actûs liberi.* En quomodò juxta S. Doctorem componitur movere ſe, cum eo, quôd moveatur ab alio. Non enim pugnat cum libertate arbitrii, quòd Deus ut primum movens arbitrium determinet; undè cùm *D. Thomas* ſibi opponit adverſari arbitrio motionem Dei, non ad indifferentiam motionis, ſed ad ſubordinationem arbitrii noſtri, ut ſecundi moventis, recurrit. Eſset namque voluntas primum determinans, ſi ejus actio in aliquod prius determinans non reduceretur, ſicut in cauſam: ut expreſsè aſſerit *D. Thomas* in 2. diſt. 37. q. 2. *Non poſſe vitari, quin voluntas noſtra eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, ſicut in cauſam*: ergo nec vitari poſset, voluntatem eſſe primum determinans, ſi ejus actio in aliquod prius determinans, non reducatur.

24. Quod ut magis explicetur, non erit alienum à ratione, his, quæ dicta ſunt, adjungere textum *D. Thomæ* 1. contra Gent. cap. 68. ubi probans, Deum cognoſcere cogitationes cordis, ſic habet; *Dominium autem, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis.* Et proſequitur: *Non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari: & ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ eſt Deus, reſpectu motuum voluntatis, ut ſic Deus ſe ipſum cognoſcendo, hujuſmodi cognoſcere poſſit.* Hæc *D. Thomas*. Ex quibus conſtat, quòd ut voluntas habeat verum dominium ſuper ſuos actus, duo tantùm requiruntur, & quòd virtus non ſit determinata ad unum, in actu primo, prout eſt virtus

agen-

agentis naturalis, & quòd ab agente exteriùs violentiam non patiatur; quod utrumque componitur, poſitâ immediatâ ſubjectione, & ſubordinatione ad Deum. Non enim ſubordinatio, & ſubjectio actualis facit, virtutem eſſe naturaliter determinatam ad unum: nec Deus ſuâ activâ ſubordinatione violentiam poteſt inferre voluntati, ut dicitur 1.2.q.10. & clariùs q.6. art. 4. Quam doctrinam ſæpiùs repetit *D. Thomas* in 2. diſt.39. q.1. art.1. Et 3. contra Gent. cap.90. & 1. par. q.22. art.2. ad 4. ſemper ad libertatem, virtutem non eſſe natura ſua in actu primo determinatam ad unum, requirens: ſed nuſquam repulit virtutis in actu ſecundo determinationem à Deo juxta modum voluntatis.

25. Per hoc ſufficienter explicatæ manent authoritates contra nos objectæ. Nihilominùs, ut ſemel ſolvamus importunas illas objectiones de libertate, quas adverſarii ex noſtro Angelico Magiſtro nobis frequenter objiciunt, ad explicanda ſigillatim ejus verba gradum facimus. Et prima, quæ ſtatim in argumento occurrit eſt ex 2. diſt. 25. art. 1. q. 1. in qua diſcutit *D. Thomas*, quare in habentibus intellectum, ſit liberum arbitrium: & reſolvit, ideò illis liberum arbitrium convenire, quia illa ſibi finem præſtituunt, & judicant de ſua actione, ad differentiam aliorum agentium, qui moventur ab alio præſtituente finem, ac ſubinde à natura ipſa ſunt determinatæ ad agendum, qui agendi modus non componitur cum libertate arbitrii, quæ requirit dominium, & indifferentiam. Verùm, quomodò ex hac authoritate excludatur à requiſitis pro noſtra libertate ſubordinatio noſtri ad Deum, vel ponatur ſubordinatio Dei ad nos, penitùs ignoro.

26. Secundum teſtimonium ſumptum ex eadem quæſtione art. 1. ad 1. nullâ eget explicatione textum legenti. In illo enim aſſignat *D. Thomas*, & docet, quàm differenter in Deo liberum ſit arbitrium, ac in nobis, quod ſcilicèt in Deo eminentius eſt; & de homine loquens ſolutionem ad tertium concludit his verbis: *Vnde remanet ſibi dominium ſui actûs, licèt non ita ſicut primo agenti: quia videlicèt primum agens à nullo determinatur, homo verò determinatur à primo.* Quæ doctrina clariſſimè illuſtrari poteſt ex ipſomet Angelico Præceptore 1. p. q. 17. art.3. ubi agens de vita Dei, explicat id, quô vita primi viventis differt à vita viventium creatorum. Viventia enim creata ita à ſe moventur, ut etiam moveantur à Deo; Deus autem, loquendo de vero motu, nec à ſe movetur, nec ab alio. Unde & in hoc genere dominium Dei, cùm ſit primum, & ſupremum; quia primum excludit aliud priùs, & quia ſupremum omnia alia dominia ſub ſe continet, ſibique ſubjicit, atque ſubordinat, quô nihil congruentiùs primis terminorum apprehenſionibus, nec aliud valet rectâ ratione intellectus concipere. E contrà verò dominium creatum per oppoſita illis prædicata debet conſtitui; nam ex eo, quòd eſt dominium ſecundum, ſupponit aliud prius: ex eo verò, quòd eſt inferius, ſubordinari debet ſupremo: quod in cauſis efficientibus manifeſtè conſtat. Idem docet 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. dicens: *Vnde mens hominis, etiam ſani, non ita habet dominium ſui actûs, quin indigeat moveri à Deo.* Et 1. 2. q. 9. art. 6.

ad 3.

ad 3. ubi iterum dominium creatum in ſuis liberis actibus dominio Dei ſubjectum agnoſcit.

27. Tertium, quòd deſumitur ex 2. diſtinct. 39. q. 1. art. 1. in corp. ex ipſo textu facilè explicatur; nam immediatè poſt verba, quæ nobis objiciuntur, ſubdit Angel. Magiſter: *Sed in naturalibus actus progreditur ab agente: ſed tamen determinatio ad hunc actum non eſt ab agente, ſed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum eſt.* Ex quibus manifeſtiſſimè conſtat, ideò aſſeri à *D. Thoma*, voluntatem à nullo alio determinari, ſed ſe determinare per ſe ipſam, quia à natura non eſt determinata; ad differentiam agentium naturalium, quorum virtus à natura ipſa ad unum determinatur. Ex hoc autem minimè infertur, voluntatem creatam à primo agente non determinari in actu ſecundo. Cum quo tamen ſtat, quòd ad malum à nullo alio, nec etiam à Deo determinetur, quia ipſa eſt prima cauſa peccati. De quo alibi agendum.

28. Senſus authoritatis objectæ ex 2. diſtinct. 39. q. 1. art. 2. in corp. planus eſt: aſſerit quippe *D. Thomas* homini convenire dominium ſui actûs ſecundùm illam potentiam, quæ ex natura ſua ad plura ſe habet, nec determinatur ab aliquo naturali ſive intrinſeco, ſicut in brutis, vel ab extrinſeco; ſed ſolùm à ſe ipſo, quæ particula *niſi*, non excludit Deum ut prædeterminantem, quàmvis, ut ſuperiùs diximus, excludat alia; cujus eſt ratio, quia reliqua non poſſunt cauſare ſubſtantiam, & libertatem actûs per ſuam determinationem: Deus autem utrumque cauſat, quia utrumque continet. In ordine tamen ad peccatum ita voluntas eſt domina, ut ad illud pro formali nec à Deo determinetur. In quo ſenſu videtur loquutus *D. Thomas*, qui in verbis objectis diſcutit modum, quô in actu ratio culpæ invenitur.

29. Textus, qui adducitur ex q. 1. de Potent. art. 4. ad 3. ubi expreſsè dicitur, quòd influxus cauſæ primæ per cauſam proximam determinatur, facilè, & verè explicatur de determinatione à cauſa proxima in genere cauſæ materialis, juxta illud commune axioma: *Unumquodque recipitur ad modum recipientis*: & in hoc ſenſu veriſsimè dicitur, influentiam cauſæ primæ determinari per cauſam proximam; quia motio Divina fortis, & ſuavis accommodat ſe cauſis, quas immutat. Unde influxus Solis unus cùm ſit, varios producit effectus propter varias terræ diſpoſitiones. Quâ doctrinâ ſufficientèr, ac verè explicatur mens *D. Thomæ*. Verùm cùm Adverſarii intendant ex illo deducere cauſam primam efficienter determinari à cauſa ſecunda, ad quod non ſufficit determinatio iſta ſolùm in genere cauſæ materialis: cùm ex eo, quòd influxus liber à Deo datus, & in cauſa receptus, ab ipſa determinetur, non inferatur ſubordinatio Dei ad nos, ut reverà non probatur: tamen ſi diligenter textum adductum quis examinet, ſi quid ad intentum arguentis probatur, evidenter cognoſcet, non ſolùm convinci determinari Deum, & ſubjici cauſæ creatæ liberæ, ſed etiam ſubjici, & determinari à cauſa creata purè naturali, & neceſſaria; quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt: ergo cùm indifferenter loqua-

quatur *D. Thomas* de influxu cauſæ primæ, nedum ad actiones liberas, ſed etiam ad effectus neceſſarios, ad quos non concurrit Deus, etiam juxta Adverſarios, decreto indifferenti: ſed efficaci, & concurſu determinato, ab omnibus exponi debet teſtimonium *D. Thomæ*. Quare reſpondetur explicando *D. Thomam*, diſtinguendo propoſitionem illam; & tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur, ſubjectivè, & effectivè, neg. antec. purè objectivè, & occaſionaliter, conc. antec. Dicitur influxus cauſæ primæ objectivè, & occaſionalitèr determinari à cauſa ſecunda in quantùm, ſumptâ à virtute ipſius occaſione, Deus coaptat, & determinat ſuum concurſum huic cauſæ ad producendum hunc effectum, & non alium, non præcontentum in ipſa. Sic *Eminentiſs. Cajetanus* 1. p. q. 14. art. 13. in expoſit. ad 1. aſſerit, quod motio cauſæ prioris, modificatur in cauſa ſecunda, ſecundùm modum cauſæ ſecundæ, id eſt, modificatur *in* cauſa ſecunda, ſed non modificatur *per* ipſam, his præclariſſimis verbis: *Et ſic licèt à prima cauſa moveatur neceſſariò ſecunda, recepta tamen motio in ſecunda, ſi ſecunda cauſa imaginetur contingens, modificatur contingentiâ recipientis. Et quoniàm priùs naturâ modificatur, quàm impellat ad movendum, motio illa jam modificata ad cauſam contingentem, movebit ſecundam ad movendum non neceſſariò, ſed contingenter. Et, ſi cauſa ſecunda ponatur cauſa naturalis, poſſibilis tamen deficere; motio illa jam modificata ad naturam cauſæ ſecundæ, movebit illam ſecundam ad movendum non neceſſariò, ſed ut in pluribus juxta modum proprium cauſæ ſecundæ & non primæ.* Sic & *D. Thomas* infrà q. 85. art. 7. docet, quòd anima rationalis determinatur per corpus, non ſubjectivè, & effectivè, ſed ſolùm occaſionaliter, ſequentibus verbis; *Manifeſtum eſt enim, quòd quantò corpus eſt meliùs diſpoſitum, tantò meliorem ſortitur animam. Quod manifeſtè apparet in his, quæ ſunt ſecundùm ſpeciem diverſa. Cujus ratio eſt; quia actus, & forma recipitur in materia ſecundùm materiæ capacitatem.* Quæ verba *D. Thomæ* rem luculenter explicant. Quia enim anima humana non cauſatur ex corpore, & diſpoſitiones corporis non redundant in ipſam, ſed in ſuo tantùm fieri dependet ex corpore, non ut cauſa, ſed ut occaſione, anima rationalis determinatur per corpus, non ſubjectivè, & effectivè, ſed ſolùm occaſionaliter, in quantùm Deus, occaſione deſumptâ à corpore, & à diſpoſitionibus ipſum afficientibus, hanc animam, quam effectivè determinat, huic corpori infundit, & non alteri.

30. In eodem ſenſu intelligendus eſt *D. Thomas* 3. contra Gent. cap. 66. Etenim ſi poſſet determinari, & impediri influxus Dei per cauſas ſecundas, ſicut virtus Solis determinatur, & impeditur per cauſas inferiores, ut hoc, & non aliud producat, ſequeretur, quòd ſicut diſtinctio effectuum non reducitur in virtutem Solis, nec illi tribuitur, ſed eſt præter intentionem virtutis illius; ſic etiam diſtinctio operationum, non deberet reduci in Deum, nec ipſi tribui, ſed præter ejus intentionem. Sequeretur ulteriùs, quòd ſicut determinatio, per quam determinatur virtus activa Solis ad hunc determinatè effectum produ-

cendum, non eſt ex influxu illius, ſed præter illum, ita determinatio creaturæ reſpectu Dei eſſet præter ejus influxum, & ſupponeretur ad ipſum. Quæ omnia abſurdiſſima ſunt, & expreſsè contra *D. Thomam* 1. p. q. 22. art. 2. diſcrimen inter utramque cauſam diſertiſſimè, planiſſimèque aſſignantem, tàm in corpore articuli, quàm in ſolutione ad 1. ubi dicitur: *Ad primum ergo dicendum, quòd aliter eſt de cauſa univerſali, & de cauſa particulari. Ordinem enim cauſæ particularis aliquid poteſt exire, non autem ordinem cauſæ univerſalis. Non enim ſubducitur aliquid ab ordine cauſæ particularis, niſi per aliquam aliam cauſam particularem impedientem; ſicut lignum impeditur à combuſtione per actionem aquæ. Undè, cùm omnes cauſæ particulares concludantur ſub univerſali cauſa, impoſſibile eſt, aliquem effectum ordinem cauſæ univerſalis effugere. In quantùm igitur aliquis effectus ordinem alicujus cauſæ particularis effugit, dicitur eſſe caſuale, vel fortuitum reſpectu cauſæ particularis: ſed reſpectu cauſæ univerſalis, à cujus ordine ſubtrahi non poteſt, dicitur eſſe proviſum.* Conſtat ergo, quòd Sol, cœlum, & aliæ cauſæ, quæ univerſales dicuntur, non ſunt ita univerſales, quòd ſub eis omnia inferiora ſub omnibus modis comprehendantur; ſed poteſt, immò & debet aliquid præſupponi ex parte effectuum, nempè conditio materiæ, vel aliquid hujuſmodi, ratione cujus influxus talium cauſarum limitari poſſit. Exempli gratia, Sol ſecundùm ſuam propriam cauſalitatem, ſuumque univerſalem influxum, concurrit ad generationem corporum ſublunarium, ſecundùm illam generalem rationem, ſecundùm quam ſunt corpora generabilia, & corruptilia: equus vero, ut cauſa particularis, determinat illum influxum Solis, ita ut ex vi illius influxus generetur, non ſolum corpus generabile, ac corruptibile, ſed determinatè corpus equi: ſimiliter influxus Solis determinatur in planta, & per influxum plantæ ad producendum corpus plantæ: qui modus determinandi influxum cauſæ primæ increatæ à cauſa ſecunda eſt omninò falſus, & impoſſibilis: cùm Deus taliter ſit cauſa univerſalis, ut omnes cauſæ inferiores totaliter comprehendantur ſub ejus influxu, tàm quoad formam, quàm quoad materiam, quoad virtutem, & actionem; cùm igitur ex parte effectûs nihil ad influxum illius ſupponatur, ſed omnia dependeant ab ipſo, ſive quoad eſſe, ſive quoad operari, nihil eſſe poteſt, quod illius influxum determinare, limitare, vel impedire poſſit, cùm potiùs omnis determinatio, modificatio, & limitatio effectûs, ab influxu Dei, purè effectivè influente, proveniat, qui attingendo rationem entis ut ſic, attingit etiam omnes rerum omnium differentias, genericas, ſpecificas, individuales, & omnes omninò modos entis.

31. At ſi cui hæc celebris probataque à Thomiſtis reſponſio non placet, aliter occurrere difficultati argumenti poteſt, reflectendo ſupra teſtimonium *S. Thomæ* ex q. 1. de potent. art. 4. ad 3. quod ad rem non eſſe videtur. S. Doctor ibi inquirit: *Utrum ſit judicandum aliquid poſſibile, vel impoſſibile ſecundùm cauſas ſuperiores, vel inferiores?*

Et

Et quæſtio procedit de omnibus cauſis tàm liberis, quàm neceſſariis. Obſervat pro ſolutione, quòd poſſibilitas effectûs dependentis à cauſa ſecunda neceſſariò debet eſſe, non ſolùm ſecundùm cauſam primam, ſed etiam juxta ſecundam; quia eſſe, quod eſt terminus virtutis cauſæ primæ, determinatur ad hanc ſpeciem entis per cauſam ſecundam. Unde effectus evadit ſimilis cauſæ ſecundæ proximæ. Objecerat ſibi tertium argumentum, excludens cauſam ſecundam, quia magis influit in effectum prima: unde ex ſola prima ſumenda videtur poſſibilitas. Ideo reſpondet: *Ad tertium dicendum, quòd licèt cauſa prima maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur, & ſpecificatur: & ideò ejus ſimilitudinem imitatur effectus.* Quid hinc ad propoſitum? An negamus nos, aut quòd actus voluntatis dicatur poſſibilis ſecundùm ipſam: aut quòd ad rationem formalem ſpeciei actus determinetur juxta voluntatis naturam, aut quòd ab eadem voluntate habeat eſſe actum liberum, aut tandem quòd in eum actum cauſa prima maximè influat? Immò hoc contra Adverſarios defendimus. Quænam ergo ſpecies argumenti? Video certè, ſcilicet contra illos, non pro illis. Iſte idem apertiſſimus ſenſus eſt S. Doctoris locô etiam objectô ex 3. contra Gent. & millies alibi. Et utinam Adverſarii illius doctrinam in hac parte ſectarentur! inde fieret, ut quæſtiones de cauſis cùm in Philoſophia, tùm in Theologia nobiſcum reſolverent.

32. Objicies ſecundò. Si concurſus Dei non eſt ſubordinatus creaturæ, tollitur à voluntate verum dominium ſupra ſuos actus. Hoc quippè ſalvari nequit, niſi ſint ipſi ſubordinata omnia comprincipia requiſita ad poſitionem actûs, ut ſalvetur definitio Dominii communiter recepta, quod eſt *poteſtas utendi re pro placito ſuo*: ſed concurſus Dei efficax ex una parte eſt comprincipium requiſitum ad productionem amoris, & ex alia non ſubordinatur voluntati, ſed potiùs voluntatem ſibi ſubordinat, ut aſſerimus: ergo vel tollitur à voluntate rerum dominium ſupra ſuos actus, vel concurſus ille debet eſſe ſubordinatus voluntati.

33. Sed facilis eſt ex dictis reſponſio, diſtinguendo majorem: debent eſſe ipſi ſubordinata omnia comprincipia requiſita ex parte cauſarum inferiorum, concedo major. ex parte Dei, nego major. Et ſub eadem diſtinctione min. neg. conſeq. Habet profectò voluntas creata plenum, ac perfectum Dominium ſupra ſuos actus liberos; ejus tamen Dominium non eſt primum, ſupremum, & independens, ſed ſecundum, & ſubordinatum. Licèt autem ex eo, quòd ſit Domina ſuorum actuum, petat, non phyſicè determinari ab aliqua cauſa inferiori, ſed potius ſubordinare ſibi omnia principia requiſita ex parte cauſarum inferiorum; ex eo tamen quòd ejus dominium non eſt primum, ſupremum, & independens, petit perfectè ſubordinari primo Domino in elicientia ſuorum actuum: aliàs eſſet primum determinans. Quid namque aliud eſt ſe determinare, excludendo determinationem ab alio, niſi formaliter eſſe primum determinans, & primus Dominus ta-

talis determinationis? Sicut eſſe à ſe, excludendo eſſe ab alio, eſt eſſe primum ens: & agere à ſe, excludendo agere ab alio, eſt formaliter eſſe primum agens: ſi ergo neceſſariò voluntas creata ſe determinat ad amorem, ut ſecundum determinans, & non ut ſuprema Domina ſuæ determinationis, paritèr neceſſe eſt talitèr determinari à ſe, ut etiam determinetur à Deo. Doctrina eſt Angelici Magiſtri quæſt. 3. de malo art. 2. ad 4. dicentis: *Cum aliquid movet ſe ipſum, non excluditur, quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipſum, quod ſe ipſum moveat, & ſic non repugnat libertati, quòd Deus eſt cauſa actûs liberi arbitrii.* Et in 1. p. q. 83. à 1. ad 3.: *Deus movendo creaturas voluntarias, non aufert quin actiones ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit.* Et in 2. diſt. 25. q. 1. a 2. ad 1. *Deus operatur in voluntate noſtra, & in libero arbitrio ſecundùm ejus exigentiam. Vel etiam, ſi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc ſuâ omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur voluntas, voluntariè velit.*

34. Hoc inſuper idem argumentum in adverſarios ipſos retorque. Nam Deus non minus, immo magis Dominus eſt noſtri amoris liberi, quàm ſit ipſa noſtra voluntas: Unde ſæpè dicit M. P. *Auguſtinus, quòd Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas;* Et tamen Deus per concurſum indifferentem, juxta adverſarios, non ſubordinat ſibi noſtram voluntatem, quæ eſt comprincipium requiſitum ad amorem; ſed potiùs talis concurſus ſubordinatur voluntati, quæ pro ſuo libito illum determinat. P. *Aranda* dicit in folio mihi 440. quòd, *bonum opus eſt donum Dei per voluntatem, non determinantem, ſed per voluntatem hortatricem.* Et fol. 353. dixerat, *admitto condeſcenſum voluntarium puræ attemperationis ad arbitrium voluntatis*: ergo juxta principia adverſariorum, vel non ſalvatur Divinum Dominium ſupra noſtros actus; vel, ut dominium ſalvetur non requiritur, quòd omnia comprincipia requiſita ad operandum ſubordinentur Domino. Secundò. Nam voluntas creata non ſolùm eſt Domina ſui amoris liberi quantùm ad ſpeciem actûs, ſed etiam quantùm ad individuationem; ſicut enim in ejus libera poteſtate eſt poſitum, amare, & non amare: ita poſitum eſt amare amore *A*, vel amore *B*. Et tamen juxtà principia Patrum Societatis, concurſus Dei indifferens, qui eſt comprincipium requiſitum ad amorem, licèt ſubordinetur voluntati, quantùm ad ſpeciem actûs; non tamen ſubordinatur quantum ad individuitatem: ipſi enim communiter docent, quòd licèt ille concurſus ſit indifferens ad amorem, & odium, eſt tamen determinatus ad amorem *A*; & quòd voluntas determinans illum concurſum ad amandum, non poteſt medio illo elicere amorem *B*, ſed ſolùm amorem *A*: ergo juxta principia adverſariorum non requiritur ad perfectum dominium prætenſa omnium comprincipiorum ſubordinatio. Hic obiter nota argumentum ad hominem contra PP. Societatis, quod in hunc modum objicit Illuſtriſſimus *Caramuel* in ſua *Theologia fundamentali* cap. 1. num. 26. *Per vos cauſa ſecunda poteſt determinare primam illæsâ libertate primæ: ergo prima cauſa poterit determinare illæsâ libertate ſecundæ.*

cunda. Patres ergo Jeſuitæ, cùm volunt ſuam opinionem ſuadere, ſententiam Thomiſtarum perſuadent, & ſe ipſos impugnant. Ideo enim negant Deum cauſas liberas determinare, quòd determinatio libertati opponatur. Hæc ille; quod idem eſt ac dicere, quòd manent illi ſuis ipſorum retibus implicati, atque concluſi.

35. Tandem objicies ex P. *Avendaño* ibi n. 9. qui poſt tot SS. PP. auctoritates nobis objectas, hoc concludit argumento, ut probet ſuam ſententiam eſſe SS. PP. conformem. Arguit ergo ex ratione, quâ utuntur ipſi ad demonſtrandum unicum eſſe Deum, & non plures. Quia videlicet, ſi plures eſſent Dii, unuſquiſque haberet ſuam voluntatem liberam ad oppoſita: ex quo fieret, poſſe efficaciter alterum illorum ſe ad unum determinare, & alterum ſe determinare ad oppoſitum; & ſic haberent poteſtatem ad componendum oppoſita, ſeu contradictoria, quæ quidem poteſtas chimærica eſt. Hæc quidem ratio, inquit ille, quæ mihi efficaciſſima eſt, nullam haberet efficaciam, ſi ſemel ſtatueretur ut verum id, quod contrarii volunt: nempè poſſe ſalvari libertatem erga eamdem actionem, tum in Deo, tum in homine: nam ad hoc ſalvandum, opus eſt, dicatur utrumque, & Deum, & hominem, dum ad eam actionem concurrunt, talium voluntatum ſympathia concurrere ad illam, ut ad quod unus determinatur liberè, ad idem etiam alter liberè determinetur.

36. Cogit nos argumentum, ut iterum dicamus: Utinam adverſarii tenerent ſententiam *D. Thomæ* de cauſarum ordine, quem nobis putant incommodare! Tunc enim faterentur, nihil aptius ſententiâ noſtrâ ad promovendas probationes PP. de unitate Dei: quas non video, quomodò in eorum principiis firmæ ſubſiſtant, ſicut in noſtris. Enimverò ſicut eſt una, & ſuprema cauſa, cui reliquæ ſubordinantur, ut demonſtrat *D. Thomas* 1.p. q.2. art.3. ita & datur unus Deus, cum repugnantia multitudinis Deitatum, etſi in creatura ſit verum dominium reſpectu actûs liberi Deo perfectiſſimè ſubordinatum; *Quia hoc vult* (Deus) *unicuique eſſe naturale, quod poteſtati Divinæ ſubdatur*, inquit *D. Thom.* 1. 2. q.10. art.4. ad 2.

37. At ſi res attentè conſideretur, habet argumentum contra ipſos non contemnendam difficultatem. Etenim admiſsô, & poſitô in homine dominiô conſtitutô per carentiam ſubordinationis ad Deum, homo erit Dominus, & erit Dominus alteri non ſubordinatus. Modò ſic: ſalvâ fide negari minimè poteſt, Deum nulli Domino eſſe ſubordinatum; ſed juxta Auctores ipſos, homo, in quantùm Dominus actûs liberi, Deo non ſubordinatur: ergo tàm Deus, quàm homo erunt duo ſupremi Domini: ſed inter Divina attributa nullum eſt, quod propriùs dicatur de Deo, ſuppoſitâ exiſtentiâ creaturarum, quàm ſupremum dominium, ut conſtat ex illo *Apocalypſ.* cap. 19. ubi dicitur, *Dominus dominantium*: ergo non poſſunt dari duo ſupremi Domini, quorum nec alter alteri, nec ambo tertio ſubordinentur, quin exiſtat Deorum pluralitas. Perperam ergo hoc Thomiſtis objiciunt, cùm ipſos efficaciùs urgeat, & exagitet argumentum.

38. Si

38. Si dicas, vitari hoc inconveniens in ſententia P. *Avendaño*, quia apud ipſum, dominium Dei ſuper actus noſtros liberos non eſt primum, ſeu ſupremum, cùm ſupremus illorum Dominus ſit homo liberè operans, non Deus, qui concurrit ſubordinatus homini. Sed hæc ſolutio ſtrictiùs Adverſarium premit: & tantò ſtrictiùs, quò magis eſt conſequens ad prædicti Auctoris poſitiones, quarum prima aſſerit, carentiam ſubordinationis noſtræ ad Deum eſſe unum ex conſtitutivis noſtræ libertatis: Secunda verò affirmat, Dei ad nos ſubordinationem etiam inter noſtræ libertatis conſtitutiva eſſe numerandam: ex quibus, nullo inferente ſequitur, non Deum, ſed creaturam eſſe ſupremum Dominum actûs liberi: ſed, an hoc tutò affirmari poſſit, nihil ad nos: ipſi viderint.

DUBIUM III.

An ſubordinatio liberi arbitrii Deo talis ſit, ut Divina virtus cauſet tàm ſubſtantiam, quàm modum actûs liberi?

§. I.

Concluſio affirmativa ſtatuitur.

1 Cum univerſis creaturis, quæ ſunt, eſſe Deus dederit, ut ſint, & agentibus liberis conceſſum etiam ſimpliciter ſit, ut pro ſuo arbitrio valeant, & poſſint ſe flectere in quodcumque libertatis extremum; ſitque, *operatio voluntatis*, teſte D. *Thoma* 1. p. quæſt. 106. art. 2., *inclinatio quædam volentis in volitum, quam ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit*; in quo ſanè explicatur abſolutum, & excellentiſſimum Dei dominium in voluntatem: hinc, ut creaturæ in ordine ad Deum ſubordinatio penitus introſpiciatur, inquirimus, utrum talis ſit efficacia Divinæ voluntatis, quòd ſubſtantiam, & libertatem actûs cauſet? Hâc enim Divinæ voluntatis efficaciâ perceptâ, nullâ ratione, ex perfectiſſima ſubordinatione liberi arbitrii in actibus ſuis liberis Deo auctori gratiæ, & naturæ, nos de everſo per gratiam efficacem libero arbitrio quiſpiam accuſabit. Partem affirmativam defendimus, idem atteſtante communi SS. PP. doctrinâ. D. *Anſelmus* lib. de Concord. præſcientiæ, prædeſtinat. & gratiæ cap. 1. *Quoniam, quod Deus vult, non poteſt non eſſe; cùm vult, hominis voluntatem nullâ cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt, eſſe liberam, & eſſe, quod vult*. Id expreſſit D. *Auguſtinus* lib. 1. Retract. cap. 9. dicens: *Et quia omnia bona, ſicuti dictum eſt, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt, ſequitur, ut ex Deo ſit, & bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis*. Et lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 20. loquens de eo, quòd

Aſſue-

Aſſuero accidit: *Numquid*, inquit ille, *homines Dei, qui hæc ſcripſerunt, imò ipſe ſpiritus Dei, quo auctore hæc ſcripta ſunt, oppugnabit liberum arbitrium? Abſit. Sed omnipotentis in omnibus, & judicium juſtiſſimum, & auxilium miſericordiſſimum commendavit.*

2. Hoc conſtantiſſimè docet D. *Thomas* 1. part. quæſt. 19. art. 8. *Cum igitur voluntas Divina ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus, ad complementum univerſi. Et ideo quibuſdam effectibus adaptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt, quibuſdam autem aptavit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt.* En ubi D. *Thomas* cauſam aſſignat libertatis, ſummam efficaciam Divinæ voluntatis, quæ cauſat effectum juxta modum ipſius cauſæ ſecundæ. Idem repetit quæſt. 22. art. 4. dicens: *Et ideo quibuſdam effectibus præparavit cauſas neceſſarias, ut neceſſariò evenirent, quibuſdam verò cauſas contingentes, ut evenirent contingenter, ſecundùm conditionem proximarum cauſarum.* Et ibi ad 3. *Et conſiderandum eſt, quòd neceſſarium, & contingens propriè conſequuntur ens, in quantùm hujuſmodi. Unde modus contingentiæ, & neceſſitatis cadit ſub proviſione Dei, qui eſt univerſalis proviſor totius entis: non autem ſub proviſione aliquorum particularium proviſorum.* Et quæſt. 23. art. 6. *Sed non omnia, quæ providentiæ ſubduntur, neceſſaria ſunt: ſed quædam contingenter eveniunt, ſecundùm conditionem cauſarum proximarum, quas ad tales effectus Divina providentia ordinavit....... Sic igitur & ordo prædeſtinationis eſt certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit effectus prædeſtinationis.* Sed expreſſiùs quæſt. 83. art. 1. ad 3. *Deus igitur eſt prima cauſa movens & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ; ſed potiùs hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem.* Et 1. 2. quæſt. 10. art. 4. *Ad providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundùm earum conditionem, ita quòd ex cauſis neceſſariis per motionem Divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate: ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingentes*: hæc D. *Thomas*. Pro cujus clariori intelligentia maximè notandum, quòd cùm libertas (quæ eſſentialiter eſt perfectio ſimpliciter ſimplex) neceſſariò, prout competit nobis, ſupponere debeat libertatem formaliter in Deo, ut formale exemplar, ex quo formaliter participatur, cauſatur efficienter à Deo per actionem efficaciſſimam ſuæ omnipotentiæ, quæ actio cauſat in nobis ipſam libertatis virtutem, aut liberam potentiam adhuc perfectibilem per exercitium liberum, & conſequenter potentialem. Perfectio autem hujus potentialitatis non ſubterfugit actionem Divinam; immo eſt ultimus terminus, & completus actus activitatis ejus. Unde cùm po-

potentia libera in actum liberum, quo completur, exit, proſequitur opus ſuum Dei actio, quâ nedum attingit ſubſtantiam actûs, verùm etiam modum libertatis: & cùm potior ſit conſideratio de natura effectûs per ordinem ad cauſam efficientem, quam imitatur; ideo non reducitur præcisè libertas noſtra in efficaciam influxûs Divini ſecundùm ſe conſiderati, ſeu præcisè quatenus influxus eſt, ſed in illius efficaciam, quà liber eſt.

3. Scio, quibuſdam ex noſtris probari libertatem creatam, etiamſi operaretur Deus ex neceſſitate naturæ, ſatiſque ingeniosè id ab illis defendi. Nec illos reprobo; noſtra tamen via communior æquè, ac planior eſt; & non ſubtilitati, ſed veritati laboramus. Igitur cauſa efficiens, quò efficacioris virtutis eſt, ſimiliores ſibi exequitur effectus. Unde Divina virtus, quâ nulla efficacior, ſicut libertatem creatam producit ſibi ſimilem, ita actus libertatis creatæ ſibi ſimiles exequitur; & ideo ſimiles, quia liberi: atque eatenus ipſa efficacia Divinæ virtutis eſt argumentum ineluctabile à priori convincens humani actûs libertatem. Nam ſi liberi perfectiſſimi non eſſent, defectus eſſet Divinæ virtutis, quæ volens nequiret actum creatum ſibi aſſimilare. Ecce quarè dicit S. *Thomas*, quòd, quia Divina voluntas eſt efficaciſſima, attingit etiam modum libertatis. Qui hæc comprehendere non poſset, videat ad minus, an ſit legitima illatio, quam non facilè inficiabitur; & eum honorem tanto Doctori deferat, ut ſe minus illo ſapientem fateatur, qui potuit dicere: *Quæ ſcimus, loquimur*. Ego autem dicam, hanc meam doctrinam non eſſe meam, ſed ejus, qui docuit me. Accipe D. *Thomam* 1. ad Annib. diſt. 47. quæſt. 1. art. 4. *Voluntas Dei non ſolùm res in eſſe, ſed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit*. Si quæras unde hoc? Ecce tibi, quæ diximus, luculenter ipſe Doctor reſpondet quæſt. 13. de verit. art. 5. in corp. ubi doctrinam iſtam mirè explicat: *Et ideo oportet aliam principalem rationem aſſignare contingentiæ in rebus, cui cauſa præaſſignata ſubſerviat. Oportet enim patiens aſſimilari agenti, & ſi agens ſit perfectiſſimum, erit ſimilitudo effectus ad cauſam agentem perfecta. Si autem agens ſit debile, erit ſimilitudo imperfecta: ſicut propter fortitudinem virtutis formativæ in ſemine Filius aſſimilatur Patri non ſolùm in natura ſpeciei, ſed in multis aliis accidentibus. E contrario verò propter debilitatem prædictæ virtutis annihilatur prædicta aſſimilatio, ut dicitur in lib. de animalibus. Voluntas autem Divina eſt agens fortiſſimum. Unde oportet, ejus effectum ei omnibus modis aſſimilari, ut non ſolùm fiat id, quod Deus vult fieri, quod eſt quaſi aſſimilari ſecundùm ſpeciem, ſed ut fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, vel neceſſariò, vel contingenter, vel citò, vel tardè, quod eſt quaſi quædam aſſimilatio ſecundùm accidentia*. Et q. 22. de verit. art. 8. *Deus ſuâ omnipotentiâ hoc facit, ut id, in quod movetur voluntas, liberè velit*. Et 1. Periherm. lect. 14. *Voluntas Divina eſt intelligenda ut extra ordinem entium exiſtens, & veluti cauſa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias. Sunt autem differentiæ entis poſſibile, & neceſſarium; & ideo ex ipſa voluntate Divina ordi-*

ordinantur neceſſitas, & contingentia in rebus. Quæ omnia elegantèr, & theologicè repetit lib. 6. Metaphyſ. lect. 3. Vide etiam 3. contra gentes cap. 89. & 94. Et q. 6. de electione humana. Et loco citato ad Annibaldum ad 2. & ad 3.

4. Sed ùt clariùs pateat, quantùm à Divo *Thoma* diſtent, & quàm inaniter Angelicum Doctorem pro ſe ſtare contendant Theologi quærentes primùm libertatem ex arbitrio, cùm è contra D. *Thomas* illam ex omnipotentia deduxerit, verba, quibus ſuum concludit diſcurſum, omittere nolo: *Quod quidem eſt ſingulare in hac cauſa; reliquæ enim cauſæ non conſtituunt legem neceſſitatis, & contingentiæ, ſed conſtitutâ à ſuperiori cauſa, nituntur: unde cauſalitati alterius cauſæ ſubditur ſolùm, quòd ejus effectus ſit; quòd autem ſit neceſſariò, vel contingenter, dependet à cauſa altiori, quæ eſt cauſa entis, in quantùm eſt ens; à qua ordo neceſſitatis, & contingentiæ in rebus provenit.* En ubi expreſsè docet, quòd ad libertatem actûs diſquirendam non tàm debet attendi cauſa proxima, quàm ordo ad Deum, ſeu cauſa prima; quia debet attendi per ordinem ad cauſam per ſe, & ex ſe continentem, & cauſantem libertatem actûs: ergo Deus per ſe, & ex ſe continet, & cauſat libertatem, & neceſſitatem. Hæc ergo eſt apud D. *Thomam* evidens conſequentia: *Divina virtus propter ſuam infinitam fortitudinem continet ſubſtantiam, & libertatem volitionis creatæ, ac reliqua illius accidentia: ergo ſuo decreto, & concurſu poteſt volitionem cum omnibus ſuis accidentibus prædeterminando cauſare.* Sicut etiam valet: generans propter fortitudinem ſuæ virtutis continet ſubſtantiam, & accidentia, quibus genitus Filius ſibi aſſimilatur: ergo generando, vel per generationem,in his omnibus poteſt Filium ſibi aſſimilare. Eſt namque eadem ratio; nam ſicut medium, quo generans aſſimilat ſibi genitum, eſt natura, & generatio, quâ illum producit, ita in agente per intellectum, & voluntatem, medium, quo communicat effectui ſubſtantiam, & accidentia, eſt decretum, quo ſtatuit effectum cum illis accidentibus producere, & concurſus, quo movet cauſas creatas ad effectum cum illis producendum.

5. His ſequens diſcurſus robur, & quidem non minimum, addit. Non poteſt effectus aliquis ſive neceſſarius ſit, ſive contingens, aut liber immediatè ſubjacere Divinæ Providentiæ, niſi concurſus omnipotentiæ, quo Deus effectum facit, & influxus cauſæ, cum qua concurrit, immediatè ſubjaceat præordinationi, & diſpoſitioni Divinæ. Quomodò namque poterit talis effectus ſubjacere Divinæ Providentiæ, dum totius concurſûs executio non ſit ſecundùm Divinam præordinationem? Si enim cauſa non ſubjacet, poterit ſuum effectum producere, etiamſi Deus effectûs exiſtentiam non præordinaverit. Sed libertas noſtræ volitionis immediatè ſubjacet Divinæ Providentiæ, & diſpoſitioni, ut expreſsè docet *D. Thomas* 3. contra Gent. cap. 91. *Electiones, & voluntates immediatè à De diſponuntur.* Et 1.p. q. 22. art.2. *Deus immediatè omnibus providet, qui in ſuo intellectu habet rati nem omnium etiam minimorum:* ergo concurſus omnipotentiæ, quo Deus ef-

fectum exequitur, immediatè ſubjacet Divinæ præordinationi: qui tamen concurſus procedit ab Omnipotentia Dei, & ab illa, ut efficaciter determinata per voluntatem Dei ex ſe continentis ſubſtantiam, & modum cujuſcumque effectûs, & noſtræ liberæ volitionis, ut vidimus ex *D. Thoma*, quodque expreſſiùs docet 1. p. quæſt. 25. art. 5. ad 1. his verbis: *Et quia potentia intelligitur ut exequens, voluntas autem ut imperans, & intellectus, & ſapientia ut dirigens, quod attribuitur potentiæ ſecundùm ſe conſideratæ, dicitur Deus poſſe ſecundùm potentiam abſolutam. Et hujuſmodi eſt omne illud, in quo poteſt ſalvari ratio entis.* Et paulò infrà: *Non tamen poteſt eſſe, quòd aliqua faciat, quæ non præſciverit, & præordinaverit ſe facturum, quia ipſum facere ſubjacet præſcientiæ, & præordinationi, non tamen ipſum poſſe, quod eſt naturale. Ideo enim Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideo poteſt quia vult, ſed quia talis eſt in ſui natura.* Scio, adverſarios recurrere ad ſuam ſcientiam mediam, ratione cujus poterit Deus diſponere etiam de iis, quæ ab ejus determinatione non dependent; quatenus futura præſciens ex aliena determinatione, ea, quò voluerit, poſſit ordinare: ſed quidquid ſit de hac doctrina, quam noſtri opportunis locis impugnant, certum debet eſſe, eam ad præſens nihil facere; cùm procedamus ſecundùm mentem *S. Thomæ*, cui certò certius eſt, eam cogitationem adſcribi non poſſe. Quinimo præallegato in loco manifeſtè dicit, diſponere Deum de effectibus potentiæ; hos autem eſſe, in quibus ſalvatur ratio entis, quoſque ipſe facit, quia vult. Juvat hanc fundamentalem doctrinam *S. Thomæ* paulò altiùs expendere, & ſimul doctrinæ de ſcientia media ingreſſum præcludere.

6. Cauſa per ſe, & ex ſe cauſans, & continens ens in quantum ens, eſt cauſa per ſe, & ex ſe continens, & cauſans libertatem, & neceſſitatem rerum: debet namque ejus cauſalitas ſe extendere ad omnia illa, quæ per ſe continentur ſub ratione formali, ſub qua ſuum effectum attingit. Sic cauſans corpus ſub ratione corporis, per ſe cauſat corpus animatum, & inanimatum, quia iſtæ ſunt differentiæ per ſe contrahentes corpus, quaſi propria corporis logica accidentia. Quæ ratio in omnibus aliis potentiis verificatur. Undè intellectus omnia entia valet cognoſcere, voluntas omnia bona amare, viſus omnes colores percipere, quia omnia hæc entia particularia præcontinentur ſub ratione formali entis, ſub ratione boni, & ſub ratione coloris; ſed neceſſitas, & libertas ſunt differentiæ entis, quæ ens in quantùm ens eſſentialiter dividunt; ſiquidem omne ens aut liberè, aut neceſſariò eſt: ergo vel neganda eſt Deo cauſalitas univerſaliſſima entis, quod eſſe hæreticum docet *D. Thomas* in 2. ad Annibal. diſt. 37. q. 1. art. 1. vel cum *Divo Thoma* aſſerendum, quòd cauſat, & continet ſubſtantiam, & modum libertatis actûs liberi. Hoc enim dicit cauſalitas, & præcontinentia totius entis, ut docet ipſe *D. Thomas* 1. p. q. 45. art. 1. & 5. *Quod nihil illius, nec materia, nec forma, nec aliqua ratio entis in effectu inventa aliundè ſupponatur, aut ſubterfugiat illius continentiam, & cauſalitatem.* Undè rationem entis non ſupponit nec in toto, nec in partibus,

nec

nec in illarum aliqua, quia totum effectum facit ens ex non ente: ergo Deus ratione ſuæ omnipotentiæ ita ſe habet ad omnem effectum, ut neceſſitatem, & libertatem in ipſis repertam cauſet, & præcontineat.

7. His addo. Sit per modum hypotheſis, voluntatem creatam tale ſuorum actuum habere dominium, & præcontinentiam, ut nec prævio egeat concurſu, nec ſimultaneo, ut aſſerebat *Durandus*, aut alii apud *D. Thomam* 3. contra Gent. cap. 89. Hâc factâ hypotheſi, quis neget voluntatem ſe determinantem ad amorem præ odio, non eſſe formaliter liberam? Cùm exercitium ſit, ut diximus, perfectio libertatis. Si ergo inquiratur: quarè ſe determinando ad amorem, inconjungibilem cum odio ejuſdem objecti, non amittit poteſtatem antecedentem ad odium conſtitutivam libertatis? Stat invicta ratio, quia voluntas ex ſe, & per ſe continet volitionem tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad omnes modos, quibus per ſe affici poteſt: unde & cauſat ſubſtantiam, & modum libertatis componibilem cum determinatione ad unum extremum libertatis. Modò ſub tali doctrina ſubſumo: ſed Deus multò perfectiùs continet ſubſtantiam, & modum libertatis, quàm in prædicta hypotheſi contineret voluntas: hoc enim aſſerit *D. Auguſt.* de corrept., & grat. cap. 14. *Deus ... magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*, cujus rationem aſſignat *D. Thomas* 1. p. q. 19. art. 6. Quia cauſa prima effectus cauſæ creatæ continet ſub univerſaliſſima ratione, voluntas vero creata ſub ratione limitata. Ergò ſicut in illa hypotheſi tantùm ſuos actus ſub ratione limitata continens, activitatem ad actus, & modos, quibus per ſe afficiuntur actus cauſaret; multò veriùs Deus, magis præcontinens omne eſſe, & omnem modum eſſendi, activitate ſuâ facit actum voluntatis, & modum ejus eſſe: ac conſequenter nullum infert libertati detrimentum; quid enim magis diſſonum, quàm inferre detrimentum libertati producendo ipſum modum libertatis? Alioqui dicatur, quòd voluntas creata in prædicta hypotheſi poſſet ſimul & actum quoad modum libertatis producere, & libertatem deſtruere.

8. Accedit ad hæc pro majori confirmatione, & urgentia rationis factæ nova ratio. Metaphyſica infallibilitas actûs non minùs videtur opponi actûs contingentiæ in exiſtendo, quàm neceſſitas actûs opponitur libertati; cùm, ſicut ad actum liberum requiritur, quòd poſſit exiſtere, & non exiſtere, quantùm eſt ex parte principiorum conſtituentium poteſtatem, & indifferentiam dominii; ità ad operationem contingenter exiſtentem, qualis eſt arborum floritio, aut terræ germinatio, requiritur, quòd ex nullo principio conſtituente virtutem talis operationis productivam eveniat talis operatio cum metaphyſica infallibilitate; nequit enim virtus eſſe metaphyſicè determinata ad actionem ex ſe, & independenter ab omni alio, & operatio ſimul eſſe contingens, ſed debet eſſe metaphyſicè neceſſaria. Tunc ſic: ſed cum eo, quòd actus exiſtat contingenter, ſtat metaphyſica infallibilitas exiſtentiæ actûs, ſeù quòd ſit metaphyſicè infallibile, quòd actus exiſtat: ergo ſimiliter metaphyſica infallibilitas exiſtentiæ actûs liberi, orta ex efficacia Divinæ vo-

luntatis non pugnat cum libertate ipſius actûs. Maj. hujus diſcursûs ita certa eſt, quòd *D. Thomas* ſolvens argumenta, quæ fiunt contra libertatem ex ſuppoſitionibus connexis cum exiſtentia actûs, ſæpiſſimè ad hoc unum attendit, ut cum talibus ſuppoſitionibus contingentiam actûs componat, quâ compoſitione factâ, facilem exiſtimat argumenti ſolutionem, ut ipſum legenti conſtabit. Min. non minùs certa; operatio enim cujuſcumque agentis naturalis contingens eſt, v. g. floritio arboris, vel germinatio terræ, quarum operationum contingentiam ad ſenſum videmus; & tamen omnes iſtæ operationes, quando eveniunt, cum metaphyſica infallibilitate eveniunt, & pro priori ad illarum exiſtentiam eſt metaphyſicè infallibile, quòd evenient, ità ut Deus ſuâ ſcientiâ eſſentialiter verâ cognoſcat, & affirmet tales operationes eſſe exituras, cùm decretum, quo Deus ſtatuit harum operationum exiſtentiam, & concurſus, quo illam exequitur, ſint antecedentia abſoluta, efficacia, ac prædeterminantia; & operationes illæ evenire nequeunt, quin Deus illarum exiſtentiam decreverit, aliàs præter Dei providentiam evenirent: ergo eveniunt cum metaphyſica infallibilitate illarum exiſtentiæ: ſimul igitur cum hac ſtat rerum contingentia.

9. Hæc ſanè, niſi mea me fallit opinio, evidentia ſunt. Rogo modò ab Adverſariis, quânam ratione concilietur iſtarum operationum contingentia cum methaphyſica infallibilitate decreti, & concursûs? Quidquid ipſi dixerint, modò ab inconcuſſà *S. Thomæ* doctrina non abſcedant, hoc & nos dicimus pro componenda libertate cum efficacia intrinſeca Divinæ voluntatis. *S. Thomas* clarior in hac parte eſt, quàm qui ſiniſtram patiatur interpretationem. Apud ipſum, ut diximus, perpetua ratio eſt, quia cauſa prima continens ens in quantum ens, continet, & cauſat modos contingentiæ, & neceſſitatis: & ſicut entium aliud facit neceſſarium, aliud contingens, ità operando cum cauſis neceſſariis, cauſat illarum operationes quoad ſubſtantiam, & quoad modum neceſſitatis; & ſimiliter operando cum liberis, & contingentibus, earum operationes cauſat quoad ſubſtantiam, & quoad modum libertatis. Hoc enim facit ſumma, & infinita efficacia propter ſummam fortitudinem ſuæ virtutis, movendo agentia omnia juxta naturam ſingulorum. In qua doctrina perpetuus, ut dixi, eſt Angel. Præceptor. Libeat eum audire 1.p.q.83. art.1. ad 3. dicentem: *Liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quia homo per liberum arbitrium ſe ipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui, id, quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc, quòd aliquod ſit cauſa alterius requiritur, quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque ſecundùm ejus proprietatem.*

10. Scio, AA. oppoſitæ ſententiæ fateri Deum eſſe primam cauſam noſtræ libertatis, & ſicut dat eſſe, ita & dat eſſe liberum, producens ſub-

ſubſtantiam actûs, & libertatem in ipſo; ſolùmque ſtat diverſitas in modo, quo hoc à Deo fit. Non enim, inquiunt, ut verificetur, efficaciſſimam eſſe Dei virtutem, & potentiam, requiritur, quòd Deus phyſicè efficaciter prædeterminet voluntatem creatam ad actum, cùm potiùs hoc ſit deſtruere in ipſa libertatem. Sufficit Deum tribuere liberum arbitrium creaturæ, & quòd ex ſuppoſitione ſcientiæ conditionatæ, v.g. de conſenſu Petri ſub tali auxilio, in tali occaſione prædefiniat dare tale auxilium, ſivè purificare conditionem, & ſimultaneè concurrere cum ipſa voluntate ad conſenſum, ad quem ſe determinaturam prævidit voluntatem ipſam ex innata libertate. Et ſic conſenſus remanet liber, quia eſt à voluntate, in qua Deus poſuit liberum arbitrium, & cum quo ſimul Deus concurrit; ſalvaturque hoc modo, quòd actus nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum libertatis ſit à Deo, tanquam à prima radice ipſius libertatis. Ità R.P. Tyrſo tom.4. ſelect. diſt.4. de ſtat. natur. puræ lect.11. n.117.

11. Sed præcitatis teſtimoniis non ſolùm id evincitur, quod potiſſimùm deſiderabatur, ſed inſuper præcluditur ſolutio. Quis enim non videt, quòd imprimis ſtat firmum, & inconcuſſum, quòd Deus eſt prima cauſa (qualis juxta ſolutionem non eſſet) libertatis creatæ, & quòd ſolutio minimè poteſt facere ſatis diſcurſui facto? Primò quia prædefinitio, præordinatio, & aliæ locutiones, quibus utitur *D. Thomas*, non decretum concomitans, ſed præcedens, ſeu antecedens, prioritate cauſalitatis, execùtionem ſignificant. Secundò: quia Angel. Præceptor recurrit ad volitionem efficaciſſimam Dei, vi cujus infallibiliter conſequitur tàm ſubſtantiam actûs, quàm modum libertatis; ſed ad hanc infallibilem conſecutionem requiritur, non quòd exiſtat decretum, vel auxilium indifferens, ſed quòd ſit cum virtute cauſandi tàm ſubſtantiam, quàm modum libertatis: ergo ſi hanc virtutem cauſandi, non à Deo, ſed ex determinatione creaturæ accipit, prima cauſa libertatis non Deus, ſed creatura eſt. Tertiò: cauſa eſſentialiter præcedit cauſatum, nec poteſt conſequi ad actum abſolutè exiſtentem, nec haberi ex vi exiſtentiæ talis actûs; ſed juxta doctrinam ſolutionis, creatura à Deo non accipit actum liberum, ſed determinando omnipotentiam illum ſibi acquirit: ergo non efficacia voluntatis Divinæ, ſed determinatio creaturæ eſt prima cauſa libertatis. Quartò: prima cauſa libertatis nullam etiam determinationem præſupponit, aliàs non eſſet prima; ſed juxta AA. ſolutionis, Deus per ſcientiam mediam ſolùm videt actum eliciendum ſub auxilio indifferenti determinando ab ipſa voluntate creata: ergo videt aliam determinationem, cujus collatio auxilii in occaſione, in qua prævidit voluntatem conſenſuram, non eſt, nec poteſt eſſe prima cauſa. Quintò; quia conſenſûs liberi creaturæ debet aſſignari aliqua cauſa, quæ ſit eſſentialiter talis, & ex ſuis intrinſecis exacta ab actu libero: Sed velle liberum creaturæ non petit eſſentialiter ex ſuis intrinſecis ſcientiam mediam; vel quia, ſi Deus donaret auxilium non prævidens per ſcientiam mediam illius effectum, eodem modo, ut ipſi aſſerunt, operaretur liberè; vel quia hæc Scientia media non ponitur ab

ipſis

ipſis requiſita ex parte actûs, ſed ſolùm ex parte Dei, nè cœco modo procedat; & aliàs auxilium collatum, quo prævidit Deus voluntatem conſenſuram, nequit eſſentialiter, & ex intrinſecis actûs liberi connecti cum ejus exiſtentia, cùm ſit conjungibile cum ejus carentia: ergo nec Scientia media, nec illud auxilium ſe habent, ut prima cauſa libertatis. Sextò; quia ultra libertatem, quam Deus formaliter, & immediatè exercet in collatione auxilii prævi ſi efficacis requiritur, quòd Deus exerceat formaliter, & immediatè ſuam libertatem erga exiſtentiam hujus actûs liberi, potiùs quàm alterius. Etenim actualis libera actio creaturæ eſt participatio actualis perfectionis libertatis Dei, quam Divina virtus ob ſui efficaciam exequitur, ut cum *S. Thoma* diximus; ſed juxta ſolutionem, omnimoda electio, & determinatio unicè dependet ex arbitrio voluntatis: ergo non electio, & efficax Dei determinatio erit prima cauſa actûs liberi formaliter ut talis, ſed determinatio creaturæ. Vel aliter: Per illud auxilium indifferens unicè determinabile à voluntate ad conſenſum præ diſſenſu Deus tantùm ſe determinat ad concurrendum vagè cum voluntate creata: ergo quòd conſenſus præ diſſenſu exiſtat, unicè provenit ex determinatione voluntatis creatæ: ergo de primo ad ultimum, licèt per auxilium illud, quod ab agente ſecundo determinabile eſt, Deus exerceat ſuam libertatem, præſtando voluntati poteſtatem ad actum liberum, minimè tamen exercet libertatem formaliter, & immediatè circa exiſtentiam actûs liberi, quam ſolùm exercet, quando efficacia Divinæ voluntatis producit tàm ſubſtantiam actûs liberi, quàm ejus libertatem. Ex quo meritò *S. Aug* ad *Hilarium* ſcribit Epiſt. 157. *Cur non dixit potiùs per meum liberum arbitrium, niſi quia libertas ſine gratia non eſt libertas, ſed contumacia*. Sed de his alibi plura. Hæc modò ſufficiant, nè omnia extra proprium locum examinentur.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

12. NOn alia occurrunt argumenta urgentiora præter ea., quæ ſibi oppoſuit *D. Thomas*, apud ipſum videnda 1. p. q. 22. art. 2. & 3. contra Gent. cap. 90. & pluribus aliis in locis. Placuit tamen aliqua ex illis huc transferre, ut conſtet legentibus apertiùs de ejus mente, quod maximè optamus. Quæſtione igitur 23. de verit. art. 5. ſic primum argumentum proponit. *Poſitâ cauſâ ſufficiente, neceſſe eſt effectum poni: ſed Divina voluntas eſt cauſa ſufficiens, & non contingens, ſed neceſſaria: ergo & res volitæ à Deo ſunt neceſſariæ*. Cui argumento reſpondet Angel. Doctor ex dictis in corpore articuli, quòd quia voluntas Divina eſt agens fortiſſimum effectum producit quoad ſubſtantiam, & modum, quia ſic Divina voluntas effectum voluit produci. Verba ſolutionis hæc ſunt. *Dicendum, quòd ratio illa ſequitur in cauſis agentibus de neceſſitate naturæ, & quantùm ad effectus imme-*

dia-

diatos: ſed in cauſis voluntariis non ſequitur; quia ex voluntate ſequitur aliquid eo modo, quo voluntas diſponit, & non eo modo, quo voluntas habet eſſe; ſicut accidit in cauſis naturalibus, in quibus attenditur aſſimilatio quantùm ad eamdem conditionem cauſæ, & cauſati, cum tamen in cauſis voluntariis attendatur aſſimilatio, ſecundùm quòd in effectu impletur voluntas agentis, ut dictum eſt, ſcilicet in corpore articuli. En ubi pro ratione contingentis aſſignavit ſummam fortitudinem voluntatis Divinæ.

13. Clariùs fortaſsè objicit, & ſolvit eandem difficultatem in 2. ejuſdem articuli argumento ſic: *Quandocumque ex cauſa neceſſaria ſequitur effectus contingens propter contingentiam cauſæ ſecundæ, hoc provenit ex defectu cauſæ ſecundæ; ſicut floritio arborum eſt contingens, & non neceſſaria propter defectum virtutis pullulativæ, qui poteſt accidere, quæ eſt cauſa media, quamvis motus Solis, qui eſt cauſa prima, ſit cauſa neceſſaria: ſed omnem defectum cauſæ ſecundæ poteſt Divina voluntas removere, & omne impedimentum: ergo contingentia cauſæ ſecundæ non impedit, quin effectus ſit neceſſarius propter neceſſitatem voluntatis Divinæ.* Ecce totam difficultatem propoſitam a D. *Thoma*, quam iterùm propoſuit in tertio per hæc verba. *Quando effectus eſt contingens propter contingentiam cauſæ ſecundæ, prima cauſa neceſſaria exiſtente, non eſſe effectûs poteſt ſimul ſtare cum eſſe primæ cauſæ: ſicut arborem non florere in vere poteſt ſtare cum motu Solis, ſed ejus non eſſe, quod eſt volitum à Deo, non poteſt ſtare cum Divina voluntate: hæc enim duo ſunt incompoſſibilia, quòd Deus velit, aliquid eſſe, & illud non ſit: ergo contingentia cauſarum ſecundarum non impedit, quin volita à Deo ſint neceſſaria propter neceſſitatem Divinæ voluntatis.* Tandem in quarto argumento ità difficultatem auxit, ut nihil urgentius viderim objectum. Sic enim ait: *Effectus non deficit, niſi cauſa ſecunda deficiente: ſed non poteſt, quòd cauſa ſecunda deficiat voluntate Divinâ exiſtente; ſic enim ſimul eſſet Divina voluntas, & non eſſe ejus, quod eſt volitum à Deo, quod patet eſſe falſum: ergo contingentia cauſarum ſecundarum non impedit, quòd effectus Divinæ voluntatis ſit neceſſarius.*

14. His argumentis totam, quam Doctores oppoſitæ ſententiæ exaggerant, difficultatem continentibus, quis eorum non expectaret, ut Doctor juxta doctrinam de ſcientia, quam illi ſtatuunt, media, facili negotio reſponderet? Aſt & ego dico: reſponderet quidem, ſi talis cogitatio Doctori Angelico probaretur, aut veritati illam animadverteret conſentaneam. Nihil autem apud illum invenient. Ecce quâ ratione, altiori quidem, reſpondet S. Doctor, cujus iteratam ſolutionem debito ordine exſcribimus. Ad ſecundum ait: *Dicendum, quòd quamvis Deus poſſit removere omne impedimentum cauſæ ſecundæ, cum voluerit, non tamen ſemper removere vult. Et ſic remanet contingentia in cauſa ſecunda, & per conſequens in effectu. Ad tertium dicendum, quòd quamvis non eſſe effectus Divinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum Divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat*

cum

cum Divina voluntate. Non enim ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari. Etiam ſimiliter dicendum eſt ad quartum. Hæc *D. Thomas*, in quibus videtur primò, quàm ad intentum ſit exemplum ſuprà poſitum de contingentia cauſæ naturalis. Etenim hanc ſibi objiciens D. *Thomas* in tertio argumento, ſolvit difficultatem, nullâ quidem factâ mentione de contingentia agentium naturalium, ſed de contingentia agentium liberorum: quippè certiſſimum eſt, nullam eſſe difficultatem in componenda libertate creata cum decreto efficaci intrinſecè, quæ non ſit in componenda contingentia agentium naturalium cum voluntate Dei ab intrinſeco efficaci. Habetur ulteriùs ex his ſolutionibus *D. Thomæ*, quòd, ut voluntas prædeterminata ad actum maneat libera ad omiſſionem, ſufficit poteſtas ad illam abſolutè, quam minimè deſtruit prædeterminatio, ſeù decretum efficax.

15. Verùm, ut manifeſtiùs pateat, quàm conſtans fuerit *D. Thomas* in hac ſententia, videri debet in 1. ad Anib. diſt. 27. q. 1. art. 1. ubi eadem propoſuit argumenta, & eiſdem ferè verbis reſpondet. Ad ſecundum enim ſic ait, *Dicendum, quòd quamvis contrarium ejus, quod eſt volitum à Deo, non poſſit ſtare cum voluntate Divina, poſſibilitas tamen ad contrarium poteſt ſtare cum ea*; & *hoc ſufficit ad hoc, quòd effectus ſit contingens, & non neceſſarius*. Et ſubdit ad 3. *Dicendum, quòd ex hoc antecedenti, Deus vult aliquid, ſequitur, non ſolùm illud eſſe, ſed eo modo, quo Deus vult, & ideò contingenter quandoque, & quandoque neceſſariò*. Cujus mirè rationem reddit 1. p. q. 19. art. 8. dicens: *Ex hoc ipſo, quòd nihil voluntati Divinæ reſiſtit, ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult*: nam propter ſummam efficaciam actûs differentias, & modos uſque ad finem attingentem, producit rem, & in illa ſubſtantiam, & modum contingentiæ, & libertatis.

16. Secundò objicies, & occurrit grande illud inconveniens, ſpoliandam fore libertatem, ſi efficacia Divinæ voluntatis eſſet cauſa determinationis liberæ tàm quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum libertatis. Etenim agere ut verum inſtrumentum pugnat cum vero dominio agentis; ſed voluntas ſic efficaciter mota à Deo cooperatur, ut inſtrumentum, quod non agit, niſi ut motum, teſte *D. Thoma* opuſc. 1. cap. 23. *Creaturam tantùm poſſe cooperari Deo, eo modo, quo Servus cooperatur Domino, dum ejus præceptis obedit; & inſtrumentum Artifici à quo movetur*; ergo non agit voluntas cum vero dominio.

17. Hoc argumentum propoſuit ſibi *Divus Thomas* q. 24. de verit. art. 1. ad 5. dicens: *Omne, quod movet motum, movet ſicut inſtrumentum, ut patet per Comm. 8. Phyſic. Inſtrumentum autem non eſt liberum ad agendum, cum non agat, niſi ſecundùm quòd quis eo utitur. Cùm ergo mens humana non operetur niſi mota à Deo, videtur, quòd non ſit liberi arbitrii*. Cui reſpondet: *Dicendum, quòd inſtrumentum dicitur dupliciter. Uno modo propriè, quando ſcilicet aliquid ità ab altero movetur, quòd non confertur ei à movente aliquod principium*

eſt

eſt talis motus, ſicut ſerra movetur à Carpentario: & tale inſtrumentum eſt omninò expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter quidquid eſt movens ab alio motum, ſive ſit in ſe ipſo principium ſui motûs, ſivè non: & ſic non oportet, quòd ab inſtrumento omninò excludatur ratio libertatis, quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſe ipſum movet, & ita eſt de mente humana. Ubi premenda ſunt verba illa, *& ſic ab inſtrumento non oportet, quòd omninò excludatur ratio libertatis*: quibus non ſignificat *Divus Thomas*, libertatem noſtram ita eſſe potentem, ut cauſæ primæ ſibi motum, & concurſum ſubjiciat, ſed illam in ſuis liberis motibus à motu primæ cauſæ omninò conſtitui dependentem. Hoc iterùm explicat *D. Thomas* 1. 2. q. 21. art. 4. idem ſibi objiciens argumentum: *Inſtrumentum nihil meretur, vel demeretur apud eum, qui utitur inſtrumento; quia tota actio inſtrumenti eſt utentis ipſo; ſed homo in agendo eſt inſtrumentum Divinæ virtutis principaliter ipſum moventis: unde dicitur* Iſaiæ 10. *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur*: ubi manifeſtè hominem agentem comparat inſtrumento: *ergo homo benè agendo, vel malè, non meretur, vel demeretur apud Deum*. Cui argumento reſpondet: *Quòd homo ſic movetur à Deo ut inſtrumentum; quod tamen non excludit, quin moveat ſe ipſum per liberum arbitrium: & ideò per ſuum actum meretur, vel demeretur*. Quod docuerat 1. p. qu. 105. art. 4. ad 2. *Moveri ex ſe non repugnat ei, quod movetur ab alio*. Et in reſponſione ad 3. *Si voluntas ità movetur ab alio, quòd ex ſe nullatenùs moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum: ſed quia per hoc, quòd movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex ſe, ideo per conſequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti*. Quibus lucidiſſimè deſcribitur ratio inſtrumenti convenientis voluntati. Opera noſtra omnia ſunt etiam Dei, quæ operatur ipſe in nobis & etiam per nos; at non ita quaſi nos agamus nihil, agamur ſolùm, inſtrumenti inanimati modo, lutique in hanc vel illam formam efficti manu figuli: tunc enim, ut appoſitè notat *D. Thomas*, nec ad laudem, nec ad vituperium, nec ad culpam, aut demeritum imputanda nobis eſſent opera bona, ſicut Citharæ & tibiæ nihil imputatur ad culpam, aut meritum, ſed Citharizantibus, aut tibicinantibus; ſed ut explicetur, quòd dum Deus operatur in nobis, & nos operamur, omnia bona adſcribenda eſſe ſummæ Dei bonitati; non quod nihil agamus ipſi, ſed quòd nihil poſſumus, nihil volumus boni, agimus, aut ſumus; quod non illius beneficio poſſimus, velimus, agamus, & ſimus.

18. Duplex ergo inſtrumenti genus diſtinguit Angel. Præceptor tàm in præcitatis teſtimoniis, quàm 1. 2. q. 68. art. 5. ad 2. & 3. p. q. 6. art. 1. ad 3. & q. 64. art. 8. ad 1. Alterum propriè dictum, alterum verò impropriè. Primum eſt, quod nullo modo ſe ipſum movet, nec cauſa principalis dici poteſt: alterum verò impropriè, & communi ratione acceptum, quatenùs à cauſa ſuperiore movetur. *Ridiculum namque eſt etiam apud indoctos*, exprimit opuſ. 3. cap. 3., *ponere inſtru-*

ſtrumenta moveri non ab aliquo principali agente. Et 2. contra Gent. cap. 21. *Inſtrumentum nunquàm adhibetur ad cauſandum aliquid, niſi per viam motûs: eſt enim ratio inſtrumenti, quòd ſit movens motum*: undè cùm talis ſit ipſa voluntas, quæ quamvis cauſæ principalis in ſuo ordine integram, & pleniſſimam rationem habeat, ideoque ſit perfectè libera; attamen à Deo movetur, nec agere quidquam poteſt, niſi moveatur ab ipſo Deo. Hâc ratione inſtrumentum eſt Dei, ut à *D.Thoma* aſſeritur 1. contra Gent. cap. 45. *Omnia moventia, quæ ſunt in mundo, comparantur ad primum movens, quod eſt Deus, ſicut inſtrumenta ad agens principale*. Et 3. contra Gent. cap. 100. *Cum Deus ſit primum agens, omnia, quæ ſunt poſt ipſum, ſunt quaſi quædam inſtrumenta ipſius. Ad hoc autem ſunt inſtrumenta inſtituta, ut deſerviant actioni principalis agentis, dum moventur ab ipſo. Undè talis inſtrumenti materia, & forma eſſe debet, ut ſit competens actioni, quam intendit principale agens. Et propter hoc non eſt contra naturam inſtrumenti, ut moveatur à principali agente, ſed eſt ei maximè conveniens. Neque ergo eſt contra naturam, cùm res creatæ moventur qualitercumque à Deo. Sic enim inſtitutæ ſunt, ut ei deſerviant*. Et cap. 148. *Divinum auxilium ſic intelligitur ad benè agendum homini adhiberi, quòd in nobis noſtra opera operatur: ſicut cauſa prima operatur operationes cauſarum ſecundarum: & agens principale operatur actionem inſtrumenti: ergo & Deus cauſat in nobis noſtra opera ſecundùm modum noſtrum, qui eſt, ut voluntariè, & non coactè agamus*. Nihil clariùs, nihil opportuniùs dici poteſt, ut demonſtretur, non lædi libertatem, ſed maximè perfici operatione Divinâ. Si namque inſtituta eſt libertas, ut Deo deſerviat, teſtante Scripturâ, *Univerſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus*: ergo & ut actioni principalis agentis, & Divinæ operationi deſerviat, quæ eſt maxima ipſius perfectio. Debet namque poteſtas mutabilis, & deficiens reduci ad principium uniforme immutabile, & indeficiens: cùm omnis motus ſemper ab aliquo immobili procedat, ut docet *D. Thomas* 1. p. q.79. art.8. q. 82. art. 1. q. 115. art. 3. & 3. contra Gent. cap. 21.

19. Hæc eſt ergo ratio *D. Thomæ*, ut omnium voluntatum, & electionum motus in divinam reduci debeant voluntatem. Non recurrit ad hoc, quòd dominium creatum ſibi habeat ſubjectam omnipotentiam, vel quòd concurſum illius pro ſuo libito valeat determinare. Tunc enim non operaretur cauſa ſecunda libera per virtùtem, aut in virtute cauſæ primæ, ut millies docet *D. Thomas*, ſed potiùs cauſa prima per virtutem, & in virtute cauſæ ſecundæ, & tunc prima eſſet ſecunda, & ſecunda prima; nam quid eſt aliud cauſam unam operari per virtutem, & in virtute alterius cauſæ, quàm operari cauſam illam ex determinatione cauſæ iſtius? Etenim cauſa præbens efficaciam alteri eſt illa, per cujus virtutem, & in cujus virtute hæc, quæ ab illa accipit efficaciam, operatur. Ea verò cauſa efficaciam præbet, quæ naturam alterius de ſe indeterminatam ad opus determinat, ſic enim cum operatione reipſa potentiam conjungit; eſt enim determinatio effi-

efficax virtutis ad opus, inſeparabilis ab operis exiſtentia. Si ergo voluntas omnipotentiam indifferenter applicatam determinat, & re ipſa cum operatione conjungit, nequit voluntas omnipotentiæ non præbere efficaciam, virtuſque cauſæ primæ operabitur per virtutem liberi arbitrii. Ne ergo hoc maximum inconveniens admittatur, utrumque componit *D. Thomas*, & quòd voluntas ſit cauſa principalis, & quòd operetur quaſi inſtrumentum in virtute cauſæ primæ; quæ etiam principalis dicitur, cùm principalitas in cauſa ex ſubſtantia influxûs attendatur. Non tamen voluntas eſt cauſa principalis ſimpliciter, aut factâ comparatione ad cauſam primam; ſed ſecundùm quid, & reſpectivè ad proprium effectum, ut notat *D. Thomas* dicta q. 24. de verit. art. 1. ad 4. *Dicendum, quòd cauſa prima dicitur eſſe principalis ſimpliciter loquendo propter hoc, quod magis influit in effectum, ſed cauſa ſecunda ſecundùm quid principalis eſt, in quantùm effectus ei magis conformatur*. Conformatur quidem; cùm actus liber, tum in contingentia, tum in modo ſuæ libertatis defectibilis, magis quàm Deo, aſſimiletur voluntati. Et per hoc dixit *D. Thomas* loco citato in argumento ex Opuſc. 1. *Quòd voluntas cooperatur Deo tanquam ſervus Domino*. Eſt namque homo, etſi cauſa principalis ſui actûs; ſervus ſervitute naturali, & fundatâ in dependentia quoad eſſe, & operari. Reſpectivè tamen ad proprium actum verè, & propriè dicitur Dominus.

20. Totum hoc expreſſit ultrà *D. Thomas* in 2. diſt. 25. q. 1. art. 1. ubi tertium argumentum ſic proponit: *Videtur, quòd nec in aliquibus creaturis ſit liberum arbitrium: ad libertatem enim liberi arbitrii pertinet, ut aliquis ſit Dominus ſui actûs: ſed cujuſcumque agentis actus ab aliquo priori agente cauſatur, ipſe agens non eſt Dominus ſui actûs: cum igitur cujuslibet creaturæ actus in cauſam priorem reducitur, quæ eſt ipſe Deus, qui omnia opera noſtra in nobis operatur, ut dicitur Iſai. cap.* 26. *videtur, quòd liberum arbitrium in creatura non inveniatur*. Ecce argumentum per intima tangens præſentem difficultatem, & ex ſubordinatione ad Deum contendens deſtruere dominium, ac libertatem voluntatis creatæ. At reſpondet *D. Thomas* componendo libertatem cum ſubordinatione per hæc verba: *Ad* 3. *dicendum, quòd Deus operatur in omnibus: ita tamen, quòd in unoquoque ſecundùm ejus conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante, liberum arbitrium agat, ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate arbitrii liberi conſtituitur. Unde remanet ſibi dominium ſui actûs, licèt non ita ſicut primo agenti*. Hæc *D. Thomas*, cujus teſtimonium altâ mente defigere juvat, cùm ipſo nos arguant contrarii: diſtinguit ergo *D. Thomas* illam argumenti propoſitionem: *ſed cujuſcumque agentis actus ab aliquo agente cauſatur, ipſe agens non eſt Dominus ſui actûs*, quæ eſt minor, dicens: Non eſt Dominus ſicut agens primum, concedo: abſolutè neg. quia nimirum dominium ſecundi agentis eſt dominium ſubordinatum; primi verò

 agen-

agentis dominium eſt abſolutum: & quare illud ſubordinatum, niſi quia pendet à priori agente? Quæ breviſſimè, ſed clarè dixit *S. Thomas* illis verbis: *Unde remanet ſibi dominium ſui actûs, licèt non ita, ſicut primo agenti*.

21. Ne autem quis putet, nos hæc ad iſtum *S. Thomæ* locum potiùs neceſſitate, quâm veritate dicere: ſatis cuicumque erit penè innumera à nobis ſuprà relata, aut utcumque citata expendere. Quia verò doctrina ejus ſemper abundat, conſiderandam damus ſolutionem ejuſdem argumenti, quod ipſe Doctor formatum exhibet q. 6. de malo artic. unic. ex auctoritate Prophetæ *Hierem.* cap. 10. *Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos; ſed illud, reſpectu cujus homo habet libertatem, ejus eſt, quaſi in ipſius dominio conſtitutum: ergo videtur, quòd homo ſuarum viarum, & ſuorum actuum electionem non habeat*; maximè ſtante, ut dicimus, dependentia hominis à Deo in ſuis determinationibus. Sed reſpondet Angel. M. *Quòd authoritas illa dupliciter poteſt intelligi. Uno modo, ut loquatur Propheta, quantùm ad executionem electionis, non enim eſt in poteſtate hominis, ut expleat in effectu, quod mente deliberat. Alio modo poteſt intelligi, quantùm ad hoc, quòd interior hominis voluntas moveatur ab aliquo ſuperiori principio, quod eſt Deus; & ſecundùm hoc Apoſtolus dicit, quòd non eſt volentis, ſcilicet velle, neque currentis currere ſicut primi principii, ſed Dei miſerentis*. Sic *D. Thomas*, quo clariſſimè docet ex duplici textu canonico ſubordinationem dominii creati in ſuis electionibus dominio Divino, nullâ hujus læſione: cùm ſemper debeat eſſe Divinæ poteſtati ſubjectum, ut inquit *S. Auguſtinus* lib. in Adverſarium legis, & Prophetarum cap. 13. *Sic datum ſibi eſſe liberum arbitrium, ut neceſſe ſit vivere ſub poteſtate melioris*. Ergo hæc exiſtimanda eſt vera libertatis notio, quæ Divinæ gratiæ imperio ſubditur, & Divinæ poteſtati ſe regendam permittit; quæ huic ad nutum humilis cedit; cùm non ſe ipſa debeat eſſe contenta, ſed Deo tota ſubjecta, Domino ſervitutem reddens, qui non ſolum dat ipſi, quòd ſit, ſed ut bona ſit: quia licèt noſtrum ſit, non tamen eſt nobis ex nobis, ſed ex Deo, cujus eſt totum, quod eſt optimum. Uſqueadeò certum eſt, auxilium gratiæ efficaciter adjuvantis habere virtutem, & efficaciam ad ſubjiciendum ſibi liberum arbitrium ejus, cui datur; & quòd ex ea infallibile, & inſuperabile eſt, quòd is conſentiet, credet, operabitur, quin hùjuſmodi efficax Dei motio libertatem arbitrii tollat, vel ei adverſetur. Hâc enim divinæ voluntatis efficaciâ rectè perceptâ, nullus juſtè nos de everſo per gratiam ab intrinſeco efficacem libero arbitrio accuſabit.

Finis Tomi Primi.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Quæ in hoc primo Volumine continentur.

A

ACtus voluntatis, alius eſt elicitus, alius imperatus. Pagina 63. numero 2.

Actus liber voluntatis Divinæ, juxta modum noſtrum intelligendi, dependet à judicio intellectus. p. 52. n. 23.

Actus merè voluntarius, & ſpontaneus à voluntate procedit, ut natura eſt. p. 85. n. 38.

Actus formaliter liber, à voluntate procedit electivè, ſeu ut liberum arbitrium eſt. ibidem.

In actu peccati ſunt duo, ſcilicet ſubſtantia actus, & deformitas. p. 109. n. 25.

Unus idemque actus ſub diverſo reſpectu diverſas rationes ſortitur. p. 189. n. 2.

Quarè actus dilectionis diverſimodè conſideratus dicitur cooperatio, conſenſus, & diſpoſitio. ibidem.

Actus liber creaturæ, nedum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum eſt à Deo tamquam à prima radice libertatis. p. 277. n. 10.

Adam perfectiorem libertatem habuit, quam Poſteri ejus. p. 108. num. 22.

Adam cum auxilio gratiæ ſufficientis in ſtatu innocentiæ non perſeveravit. p. 163. n. 46.

Adam habuit auxilium ſine quo, *non verò auxilium* quo *perſeveraret.* p. 186. n. 20.

Æquilibrium noviter inventum, non fidei dogma, nec pro ipſa fide tuenda neceſſarium. p. 101. n. 10.

Æquilibrium nihil confert ad meritum, vel demeritum. p. 114. n. 32.

Æquilibrium Catholicorum non eſt prorſus idem cum errore Pelagianorum. p. 117. n. 36.

Æquilibrii doctrina viget in Gallia p. 99. n. 8.

Æquilibrio poſito homo evadit ſupremus ſuæ determinationis, & ſalutis Dominus; voluntas ſeipſam diſcernere poteſt, eique victoria tentationis tribuitur. p. 122. 2. 47.

Imò nulla neceſſitas erit ulterioris gratiæ, neque aliquid à Deo petere debebimus, ut tentationi reſiſtamus; id quod contra Pelagium inculcat Auguſtinus. p. 124. n. 49.

Æquilibrio itidem poſito Eccleſia orare non deberet, nec petere pro Juſtis augmentum Fidei, Spei, & Charitatis, ne cum tali affluentia bonorum perdatur gloriæ meritum. p. 129. n. 58.

Sequitur etiam tali æquilibrio poſito, quod Antichriſtus æqualem malitiæ, ſentiet Dei gratiam: quod Paulus majoribus auxiliis fuerit ornatus, dum adhuc erat ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, quam dum circumfulſit eum lux de Cœlo: quod Regius Propheta majorem ſit expertus gratiam, dum dixit,

De neceſſitatibus meis erue me Domine, *ac dum exclamavit*, viam mandatorum tuorum cucurri. p. 130. n. 59.
Neceſſariò erit admittendum peccatum Philoſophicum damnatum ab Alexandro VIII. p. 131. n. 62.
Ceſſabit ſollicitudo, timor, ac tremor ſalutis. p. 132. n. 63.
Inutilis erit Eccleſiæ oratio pro Paganis, Hæreticis, Peccatoribus, omnibuſque Chriſtianis. pag. 133. n. 65.
Nec homo dicendus erit ſervus peccati, nec ejus libertas attenuata, & miſera. p. 134. n. 66.
Æquilibrium inventum à Juliano *Pelagiano hæreticum eſt.* p. 135. n. 67.
Æquilibrium P. Ruiz. p. 137. n. 38.
Æquilibrium Janſenii *penitùs eſt deſtructivum libertatis.* p. 140. n. 4.
Qua ex parte à modernorum doctrina diſcrepat. ibidem.
Æquilibrii non omnium una eſt, eademque ſententia. p. 144. n. 14.
Agens liberum nullo agenti creato extrinſeco ſubjici poteſt. p. 238. n. 16.
Agere à ſe excludendo, agere ab alio eſt formaliter eſſe primum agens. p. 268. n. 33.
Alexander VII. quædam folia ſub titulo: Tredecim Theologorum ad examinandas quinque propoſitiones ab Innocentio X. Selectorum ſuffragia &c. *prohibuit.* p. 201. n. 19.
Alexander VIII. damnavit propoſitionem de peccato philoſophico die 24. Auguſti 1690. *tamquam ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam.* p. 131. n. 62.
Angeli meruerunt per actus à neceſſitate liberos, quod ut certum de fide aſſeritur. p. 70. n. 15.
In Angelis datur perfectior libertas, quam in hominibus, in Angelo ſuperiore perfectior, quam in inferiore. p. 108. n. 22.
Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis meruerunt. p. 112. n. 28.
In Angelis, cum in primo inſtanti non potuerint peccare, non fuit æquilibrium virium noviter inventum. ibidem.
S. Anſelmus in expoſitione verborum Apoſtoli: Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum, *tantum meminit liberationis, quæ fiet in Reſurrectione; ſed tamen non excludit ſenſum, in quo intelligitur gratia, quæ in hac vita dat auxilium ſalutare.* p. 128. n. 55.
Aſſerit idem Doctor, quod poſſe peccare neque eſt habitus, neque pars libertatis. p. 109. n. 24.
Apoſtoli Pauli verba 1. *Corinth.* 10. Fidelis Deus &c. *explicantur, & genuinus ſenſus traditur.* p. 165. n. 50.
Apoſtolus fidelem agnovit Deum. p. 167. n. 52.
Arauſicani Patres definiunt neceſſariam eſſe juſtificationis gratiam actualem. p. 158. n. 39.
P. Araujo *Jeſuita arguit falſitatis P.* Lemos. p. 199. n. 17.
Aſſerit, quod Deus dignatione ſuâ ſubjicit nobis uſum Omnipotentiæ, volens ſervare indemnem libertatem. p. 237. n. 32.
Quæ quidem ſubjectio Omnipotentiæ per ipſum non eſt ſervitutis, *ſed* dignationis. ibidem.
Id quod refellitur, ſimulque oſtenditur per hoc minimè ſalvari ſupremum, & abſolutum Dei dominium. p. 238. n. 33.

Aſſen-

Aſſentire per D. Thomam non nominat motum intellectus ad rem, ſed magis ad conceptionem rei, quæ habetur in mente. p.189.n.3.

P. Aſſermet *Ordinis Minorum, defendit æquilibrium.*p.119.n.41.

Fatetur gratiam Chriſti ſufficientem reſtituere nobis integritatem quam Adam habuit . p.150.n.24.

P. Avendaño *Soc. Jeſu, confundit gratiam excitantem, & diſponentem cum efficaci, per quam homo convertitur, & eamdem confuſionem imponit Concilio Tridentino .* p.204. n.24.

Contendit gratiam efficaciter monentem, & adjuvantem quoad uſum, & efficaciam libero arbitrio ſubjici . p.205. n.26.

Vult juxta Concilium Tridentinum hominem ita recipere omnem gratiam, per quam convertitur, & diſponitur ad ſui juſtificationem, ut poſſit illam abjicere . p. 205. n. 25.

Id quod oſtenditur eſſe falſum, & à mente Concilii prorſus alienum . p. 206. n. 27.

Exiſtimat cum aliis Auctoribus Soc. Jeſu ſubordinationem Dei nobis ita eſſe de eſſentia libertatis noſtræ, ut eá deficiente, deficeret & eſſentia libertatis . p.221. n.3.

Et hoc ita certum credidit, ut aſſerere non dubitavit eſſe lumine ipſo naturali notum . ibidem .

Apud ipſum voces iſtæ ſubjectio, & ſubordinatio *ſunt ſynonimæ, quidquid alibi diſſimulaverit .* p.222. n.3.

Oppinatur decretum Divinum applicans Omnipotentiam ad concurrendum in actum liberum eſſe decretum conditionatè efficax . p.231. n.19.

Ex quo decreto non pauca ſequuntur inopinabilia . p. 232. n. 20.

S. Auguſtinus quæſtionem illam, cur unus in accepta juſtitia perſeveret, & non alter? Cur unus præ altero Divinæ conſentiat vocationi ad inſcrutabilia Dei judicia remittit . p.1. n.1.

Nec judicium luti eſſe debere, ſed figuli clamat Auguſtinus, cur iſti ſic, illi aliter vocentur, ut reformentur? ibidem .

Nec aliquem, niſi errando, diſputare potuiſſe contra ſuam gratuitam prædeſtinationem affirmat . p.3. n.2.

Excuſat Patres, qui priuſquam Pelagiana hæreſis oriretur, de gratia Dei minùs cautè locuti ſunt . p. 6. n. 7.

S. Auguſtini auctoritas in materia gratiæ magni ponderis habenda eſt, ſicut eam magno ſemper in honore habuére Romani Pontifices, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, aliique benè multi . p.8. n.11.

Ejuſdem doctrina ſummis laudibus extollitur à S. Prudentio Trojæ Epiſcopo, à S. Remigio Remenſi Archiepiſcopo, à S. Vincentio Ferrerio, aliiſque piiſſimis, ac doctiſſimis Viris . p.10. n.13.

A mente S. Auguſtini nihil magis alienum, quam libertatem in uno voluntario determinato conſiſtere. p.85. n.38.

S. Auguſtinus liberum arbitrium facultatem nominavit, non facilitatem . p.97. n.4.

Oſtendit majorem, & perfectiorem libertatem in Adamo, quam in Poſteris fuiſſe . p.108. n.22.

Totum quod in Sanctis eſt gratiæ virtutis, bonitatis, & intelligentiæ, Dei clementiæ adſcribit . p. 114. n. 32.

Re-

Redarguit Palagium, oſtendens liberum arbitrium non tale nunc, quale Adamus accepit, ſed jam vitiatum, eſſe ſanandum per gratiam. p. 115. n. 34.
Pelagium poteſtatem liberi arbitrii æqua lance librantem refellit, ac repugnantiam æquilibrii demonſtrat. p. 116. n. 35.
Miſerrimum ante converſionem ſuæ libertatis ſtatum exponit, & deplorat. p. 121. n. 44.
Eiſdem ferè coloribus depingit æquilibrium Juliani, *ac ſuum P.* Ruiz. p. 137. n. 69.
Conſtanter docet Deum impoſſibilia non præcipere. p. 141. n. 9.
Delectationes carnales cœleſtibus nulla ex parte conferendas eſſe docuit. p. 157. n. 38.
Juxta vires gratiæ duplex diſtinguit poſſe. p. 160. n. 44.
Sæpe numero inculcat Deum eſſe orandum pro victoria tentationum. p. 166. n. 52.
Ex Auguſtino diſtinguitur duplex poſſe, alterum ſe tenens ex parte actus primi, quo voluntas eſt proximè potens ad poſitionem actus, & alterum conſequens, ſive conjunctum cum actu. p. 171. n. 60.
Primum poſſe provenit, & datur à gratia ſufficiente, etiam minima, ſecundùm verò à gratia efficaci. Ibidem.
S. Auguſtinus ſuam gratię ſufficienti reſiſtentiam exponit. p. 178. n. 5.
Diſtinguit auxilium ſine quo, & *auxilium* quo. *Primùm comparat alimento, ſecundùm Beatitudini*. p. 186. n. 20.
Aſſerit, quòd ſi homo habeat gratiam, vel ea utatur ad operationem ſupernaturalem ex Deo eſt. Si verò non habet gratiam operationis, vel ea non utatur ex culpa hominis eſt. p. 245. n. 42.
Apertiſſime prædicat ſupremum Dei dominium ſupra corda hominum. p. 249. n. 4.

B

B*Ajus damnatus à S. Pio V. & Gregorio XIII*. p. 24. n. 16.
Beati ab intrinſeco impeccabiles, erga plures actus liberi exiſtunt. p. 92. n. 46.
Bonum velle, & operari eſt pro nutu voluntatis, at non ſecluſo Dei auxilio dante, ut ipſa velit. p. 153. n. 32.
Omne bonum ſive phyſicum, ſive morale, ſive naturale, ſive ſupernaturale à Deo eſt, ut à prima cauſa. p. 219. n. 1.
Bonum opus non eſt dividendum partim gratiæ, partim libero arbitrio. p. 255. n. 13.

C

CAducifer *perperam in conceptu formaliſſimo libertatis contradiſtinguit potentiam ad agendum, & non agendum ab indifferentia electiva, libitiva, & regulativa ſuæ indifferentiæ*. pag. 37. n. 37.
Turpius fallitur, dum aſſerit facultatem electivam, libitivam, & reſolutivam libertatis non reſpicere utrumque extremum. Ibidem.
Non veretur imponere S. Thomæ, quod potentia peccandi ſit à Deo. p. 110. n. 26.
Vellet ponere diſcrimen inter æquilibrium Juliani, & æquilibrium quorumdam Catholicorum. p. 134. n. 67.
Dictitat, quòd ſufficientia Moliniſti-

ſtica ſit ex ore Conciliorum planè dogmatica. p. 163. n. 46.
Laudat in M. Maſſoulie ſermonis proprietatem. p. 197. n. 14.
Cajetanus advertit motionem Spiritus Sancti, & gratiam, non eſſe duas cauſas diſparatas meriti, ſed eſſe cauſas ſubordinatas. p. 197. n. 14.
Caducifer rejicitur totâ ferè introductione ad opus. p. 11. n. 2.
Calvinus liberum arbitrium hominis per peccatum extinctùm putavit. p. 21. n. 6.
Negavit gratiam ad intellectum pertinentem. p. 191. n. 4.
Caritatis gradus triplex, nimirum incipientium, proficientium, & perfectorum. p. 105. n. 16.
Caritate creſcente non creſcunt vires concupiſcentiæ. Ibidem.
Caritas tam ex virtute Spiritus Sancti, quàm ſecundùm propriam rationem habet impeccabilitatem. Ibidem.
Caritas eſt principium, & præmium meritorum. p. 112. n. 29.
Caritas etiam minima plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri; & argenti. p. 157. n 37.
Caritas perfecta ſervilem timorem excludit. p. 173. n. 60.
Cardinalis Gotti æquilibrium virium rejicit. p. 121. n. 45.
Cauſa peccati ex D. Thoma duplex, amor nempe bonorum temporalium male inflammans, & timor præſentium pœnarum malè humilians. p. 157. n. 38.
Cauſa efficiens, quo efficacioris virtutis eſt, eò ſimiliores ſibi exequitur effectus. p. 272. n. 3.
Cauſa per ſe, & ex ſe cauſans, & continens ens in quantum ens, eſt cauſa per ſe, & ex ſe cauſans libertatem, & neceſſitatem. p. 274. n. 6.
Cauſans corpus ſub ratione corporis per ſe cauſat corpus animatum, & inanimatum. Ibidem.
In Chriſto Domino fuit gratia in maxima excellentia. p. 112. n. 28.
Chriſtus Dominus impeccabilis fuit, & tamen maximè meruit. Ibidem.
Nos docuit orare ne intremus in tentationem. p. 168. n. 53.
Chryſoſtomus affirmat ad omnem tentationem vincendam eſſe neceſſarium auxilium Dei. p. 165. n. 51.
Diſtinguit tentationes graves, quæ ſuperant noſtram poteſtatem, ab aliis levibus, quæ licèt non ſuperent noſtram poteſtatem, non poſſunt facilè ſuſtineri. Ibidem.
P. Claudius Aquaviva *Generalis Societatis Jeſu ſententiam de efficacia gratiæ ex libero arbitrio deſumenda, quam defendit Societ. in Congregationibus de auxiliis, teſte* Tannero *Jeſuita, è ſcholis, & libris Societatis proſcripſit*. p. 202. n. 21.
Coactum dicitur illud, quod eſt à principio extrinſeco paſſo nihil conferènte, ſed potius reluctante. p. 62. n. 1.
Coactum non dicitur ad convertentiam cum violento, nec cum involuntario. Ibidem.
Coactio duplex per D. Thomam, nimirum perfecta, ſeu ſimpliciter talis, & imperfecta, quæ potius impulſio, quam coactio dicitur. p. 89. n. 43.
Coactionis nomine aliquando Divus Thomas intelligit neceſſitatem, & non violentiam. p. 90. n. 45.
Concilium Arauſicanum 2. definit per peccatum primi parentis attenuatum fuiſſe liberum arbitrium. p. 124. n. 49.
Damnat eos, qui miſericordiam

Dei, aut divinum adjutorium humanæ obedientiæ ſubjungunt. p. 226. n. 9.

Concilium Tridentinum abſolutè pronunciat liberum arbitrium non eſſe extinctum, ſed attenuatum per peccatam. p. 147. n. 18.

Damnat eos, qui dixerint liberum arbitrium, motum, & excitatum à Deo nihil cooperari aſſentiendo Deo moventi, & excitanti. p. 188. n. 1.

Definit liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire, illuminationemque abjicere. p. 189. n. 3.

Per tò diſſentire *accipit Concilium contrapoſitum ad verbum* aſſentio. p. 190. n. 3.

Multiplicem gratiam auxiliantem aſſignat, quas omnes ad prævenientem pertinere conſtituit. Ibidem.

Diſtinguit duplicem gratiam prævenientem, aliam vocantem, excitantem, ſeu inſpirantem vocat, & aliam adjuvantem, ſeu moventem. p. 192. n. 6.

Gratia, cui per Concilium Tridentinum voluntas poteſt per diſſenſum reſiſtere eſt gratia excitans, non verò adjuvans, vel movens. Ibidem.

Concilium Tridentinum diverſas voces uſurpavit, ut diverſa gratiæ munera expreſſius indicaret. p. 198. n. 14.

Nedum hæreſim Lutheri proſternit, ſed & Pelagii doctrinam olim condemnatam denuò condemnat. Ibidem.

Sub his vocibus Concilii Tridentini, aſſentire, cooperari, diſſentire, abjicere *latet aliquod myſterium à Theologo meritò obſervandum*. p. 199. n. 16.

Concilium Tridentinum ſtatuit quidem eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, numquam tamen vias ſuas bonas ſine Dei gratia. p. 245. n. 43.

Conjunctio diſſenſus Deo vocanti cum aſſenſu Deo movente efficaciter eſt impoſſibilis. p. 212. n. 38.

Conjunctio potentiæ ad diſſenſum Deo vocanti cum aſſensù, Deo efficaciter movente poſſibilis eſt. Ibidem.

Conjunctio ſi *duplicem ordinem importare poteſt, ſcilicet cauſæ, ſeu principii, & conſequentiæ*. p. 214. n. 41.

Conjunctio ſi *poſita à Concilio Tridentino non debet intelligi purè conditionaliter, ſed quatenus importat formaliter ordinem cauſæ, & conſequentiæ*. Ibidem.

Cooperatio gratiæ adjuvanti correſpondet, & aſſenſus gratiæ excitanti. p. 194. n. 9.

Creatura ſubordinans ſibi Deum, creatura non eſt. p. 239. n. 33.

Creata libertas ſi includeret carentiam ſubordinationis ad Deum, diceretur domina Omnipotentiæ, & Domini dominantium. p. 252. n. 7.

D

P. D*Aniel Jeſ. provocat Thomiſtas*. p. 163. n. 48.

Sed gigantæa ejus argumentatio unico lapillo è torrente dialetico proſternitur. p. 164. n. 48.

David fidelem Deum agnovit. pag. 167. n. 52.

Decretum liberum Dei debet reſpicere objectum contingens, & non neceſſarium. p. 231. n. 18.

Defectus virium non arguit defectum liberi arbitrii. p. 98. n. 5.

Delectatio terrena ſolum habet pro objectio bonum apparens, & finitum,

tum, quod neque capacitatem replet, nec omnem ſatiat appetitum. p. 157. n. 37.

Determinatio antecedens immediatè opponitur indifferentiæ poteſtatis. p. 56. n. 29.

Multipliciter potentiæ convenire poteſt. Ibidem.

Deus non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè movet hominem ad agendum. p. 55. n. 27.

Deus eſt cauſa non ſolùm voluntatis, ſed etiam volendi. Ibidem.

Deus poteſt ex neceſſitate movere voluntatem hominis, cogere tamen non poteſt quantùm ad actus elicitos. p. 63. n. 2.

Deus neceſſitatus, & determinatus ad bonum perfectiſſimè liber eſt. p. 92. n. 46.

Deus bona quæ facit, poteſt non facere, nec tamen malum facere poteſt. p. 108. n. 20.

In Deo longe perfectior libertas eſt, quam in Creaturis etiam ſpiritualibus. Ibidem.

A Deo eſt potentia, qua peccatur, non verò potentia peccandi, niſi quoad id, quod potentiæ eſt. p. 110. n. 26.

Deus impoſſibilia non jubet. p. 142. n. 11.

Non deſerit niſi prius deſeratur à nobis. p. 168. n. 54.

Ita juſtus, & miſericors eſt, ut jugum ejus ſit ſuave, & mandatum ejus non ſit ſupra voluntatis vires. p. 169. n. 54.

Deus non permittit nos tentari ſupra id, quod poſſumus. Ibidem.

Omnia bona operatur in nobis non ſecundùm determinationem, quam virtus ejus expectat à nobis, ſed ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. p. 202. n. 2.

Deo ſubjici eſt libertati creatæ eſſentiale. Ibidem.

Quòd Deus liberè purificaverit conditionem, ſub qua prævidit voluntatem conſenſuram, non facit quod Deus non concurrat verè, & abſolutè ſubjectus. p. 235. n. 28.

Deus Creaturæ ſubordinatus verus Dominus non eſt, ſed Deus chimæricus. p. 239. n. 33.

Si Deus ex indulgentia poteſt abdicare a ſe ſupremum dominium, poterit etiam ex benignitate abdicare à ſe quamcumque aliam perfectionem neceſſariam. Ibidem.

Imò poterit quis impunè aſſerere, Deum non concurrere, ut ſupremum Dominum, & ut cauſam immediatè influentem cum cauſa ſecunda in omnes ejus effectus. Ibidem.

Taliter eſt cauſa univerſalis, ut omnes cauſæ inferiores totaliter comprehendantur ſub ejus influxù, tam quoad formam, quam quoad materiam, quoad virtutem, & actionem. p. 266. n. 30.

Deus movendo voluntatem non auſert, quin actiones ſint voluntariæ, imò potiùs hoc in eis facit. p. 268. n. 33.

Si Deus voluntatem hominis in aliud mutet, hoc tamen ſua omnipotentia facit, ut illud, in quod mutatur voluntas, voluntariè faciat. Ibidem.

Divina voluntas tam efficax eſt, ut cauſet tam ſubſtantiam, quàm modum actus liberi. p. 270. n. 1.

Difficile, & laborioſum dupliciter eſſe poteſt, uno modo ex magnitudine operis, & hoc modo pertinet ad augumentum meriti, alio modo ex defectù ipſius operantis, & hoc modo diminuit meritum. p. 114. n. 31.

Difficultas vincendi in peccatoribus

ex ipſorum defectù, vel ex defectù Caritatis ipſis imputabili oritur. Ibidem.

Diſſentire contrapoſitum ad aſſentire idem eſt, ac contra conceptionem alterius ſentire. p. 189. n. 3.

Ut contrarium verò ad conſentire *eſt actus voluntatis reſpuentis objectum ab intellectù propoſitum*. p. 190. n. 3.

Doctores Cathol. poſt varios errores exortos cautius, & quaſi elimatius loquuntur circa doctrinam Fidei, ad omnem hæreſim evitandum. p. 7. n. 8.

Doctores Eccleſiæ maximam habent auctoritatem in illis dogmatibus, quæ contra hæreſes defendendas ſuſceperunt. p. 7. n. 10.

Dominicani pro promulganda auxiliorum definitione ſupplicarunt ſub Paulo V. anno 1612. *ſub Urbano VIII. anno* 1627. *ſub Innocentio XI. anno* 1681. p. 202. n. 20.

Dominium ſupra concurſum alicujus cauſæ arguit veram ſubjectionem in tali cauſa. p. 234. n. 26.

Dominium duo dicit in dominante, ſcilicet ſuperioritatem, & facultatem utendi re, cujus habet dominium: in re autem cujus habet dominium inferioritatem, & ſubjectionem talem, ut dominium habenti nullo jure refragari valeat. Ibidem.

Dominium creatum ſubjicitur ſupremo Dei dominio. p. 263. n. 26.

Ad ſalvandum dominium voluntatis creatæ ſupra ſuos actus ſatis eſt, ut ipſi ſint ſubordinata omnia comprincipia ex parte cauſæ ſecundæ requiſita, non verò ex parte cauſæ primæ. p. 267. n. 33.

Dominium perfectum habet voluntas creata ſupra ſuos actus, ſubordinatum tamen ſupremo Dei dominio, alias eſſet primum determinans, & primus Dominus. Ibidem.

Ut ſalvetur perfectum dominium juxta principia PP. Societatis non requiritur, quod omnia comprincipia requiſita ad operandum ſubordinentur Domino. p. 268. n. 34.

E

Eccleſia orat pro Fidei, Spei, & Caritatis augmento. p. 114. n. 32.

Orat pro Paganis, & Infidelibus, ut ad Fidei notitiam adducantur; orat pro peccatoribus, ut ad Deum verè, & ſincerè convertantur, orat pro omnibus Chriſtifidelibus, ut Deus det poſſe, velle, & perficere, quæ præcipit. p. 133. n. 64.

Effectus gratiæ eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum. p. 176. n. 37.

Efficacia divinæ virtutis eſt argumentum ineluctabile à priori convincens humani actus libertatem. p. 272. n. 3.

Electio voluntatis pendet eſſentialiter ab ultimo judicio rationis.

Eſt actus voluntatis non abſolutè; ſed in ordine ad rationem. p. 25. n. 23.

Electio libera Creaturæ eſſentialiter immediatè ſubjicitur Deo, ut ſupremo Domino. p. 257. n. 16.

Eſſe quod eſt terminus virtutis cauſæ primæ determinatur ad hanc ſpeciem entis per cauſam ſecundam. p. 267. n. 31.

Eſſe à ſe, excludendo eſſe ab alio eſt eſſe primum ens. p. 268. n. 33.

Euthimius meritò dicit, quod facere mala non eſt potentiæ, ſed impotentiæ. p. 110. n. 25.

Fa-

F

Facilè dupliciter dicitur, uno modo per remotionem impedimenti, alio modo per appoſitionem adjutorii. p. 96. n. 4.

Facilitas pertinens ad habitum eſt per adjutorii appoſitionem; pertinens autem ad liberum arbitrium eſt per remotionem impedimenti. Ibidem.

Fides etiam minima aſſenſum præſtat revelatis ob teſtimonium primæ veritatis. p. 157. n. 38.

Fides, & opera juxta Apoſtolum Paulum non ex nobis, ſed dona Dei ſunt. p. 253. n. 8.

Ad credendum præter auxilium ſufficiens elevans intellectum, & piam voluntatis affectionem, requiritur eſſentialiter ſufficiens propoſitio Myſterii credendi. p. 255. n. 12.

G

Gentilium Philoſophorum quorumdam error fuit omnia per fatum accidere; quem errorem cum ſuis Auctoribus damnavit Concilium Bracarenſe. p.20. n.4.

Sub Gratia præveniente adhuc remanet indifferentia poteſtatis ad utrumlibet, licet deſtruatur indifferentia ſuſpenſionis. p. 33. n. 30.

Gratiæ effectus in nobis quinque ſunt, quorum primus eſt, ut anima ſanetur; ſecundus, ut bonum velit; tertius, ut bonum quod vult efficaciter operetur; quartus, ut in bono perſeveret; quintus, ut ad gloriam perveniat. p.98. n.5.

Gratia minima reſiſtere poteſt cuilibet tentationi, adeoque omnibus viribus concupiſcentiæ, omnique peccato ſuperior eſt. p.104. n.15.

Quarè, ut quis ſit liber à peccato, non debet habere vires æquales, ſeu proportionatas attractivo gratiæ, ei contrarias. ibidem.

Gratia non omnibus æqualiter datur. p.122. n.46.

Gratia ſufficiens apud omnes Catholicos potentiam tribuit vincendi concupiſcentiam, & implendi præcepta. p.148. n.21.

Gratia hominem infirmum illuminat, allicit, & terret. p.157. n.38.

Gratia etiam minima habitualis ſufficit ad meritum vitæ eternæ. ibidem.

Gratia actualis eſt per ſe proximè activa. p.158. n.39.

Gratia habitualis influit mediis potentiis, virtutibus, & auxiliis. ibidem.

Gratia actuali, etſi conſtituatur homo abſolutè potens ad victoriam tentationis, non tamen proximè, & expeditè. p.159. n.41.

Gratia magna, & parva in principiis Janſenii differunt ſicut parvus, & magnus, id eſt, non ſpecie, ſed ſolâ graduum intenſione. p.161. n.45.

Gratia minima quidem, ſe ipſa tamen efficax, ſecundùm Thomiſtas, non commenſuratur delectationi terrenæ, cui opponitur. p.163. n. 47.

Gratia parva ſufficiens Thomiſtarum dat ſufficientiſſimam poteſtatem ad non peccandum, etiam dum ſtimulat exuberans concupiſcentia carnis. ibidem.

Gratia poteſt conſiderari, vel ſecundùm potentiam, vel ſecundùm actum. p.174. n.1.

Gratiæ interiori ex Tridentino homo reſiſtere poteſt. ibidem.

Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur, *eſt propoſitio Janſenii ab Innocentio X. & Alexandro VIII. damnata*. p.175. n.2.

Gratiæ ſufficienti reſiſtebat Auguſtinus. p.178. n.5.

Præter Gratiam ſufficientem ad actualem converſionem, & bonum faciendum requiritur gratia efficax. p.179. n.7.

Gratia, ut formaliter efficax, eſt irreſiſtibilis. p.180. n.9.

Gratia efficax reduplicativè ut talis, etiam in ſententia Jeſuitarum, irreſiſtibilis eſt. ibidem.

Gratiæ efficaci, cùm non correſpondeat aſſenſus, nec liberè, nec neceſſariò ei aſſentimur. p.194. n.9.

Gratia adjuvans præveniens conſenſum eſt phyſicè prædeterminans ad conſenſum. p. 203. n.22.

Gratia excitans, vocans, illuminans, ſunt in nobis ſine nobis, id eſt, independenter ab exercitio libero noſtræ libertatis. p. 205. n. 26.

Se tenent ex parte actus primi conjungibilis cum quolibet extremo libertatis. ibidem.

In poteſtate noſtra eſt uſus iſtius gratiæ. ibidem.

Gratiam eſſe verſatilem, *non eſt idem*, ac *eſſe* æquè vertibilem ad bonum, & malum, & æquè ſervientem ad operandum, & non operandum. p.247. n.41.

Gratiæ concurſus nedum eſt effectivus, ſed etiam determinativus, p.256. n.12.

H

HAbitus ſupernaturales non conſtituunt poteſtatem ad peccandum. p.32. n.29.

Hæreſes occaſionem dederunt, ut ea quæ ſunt fidei majori circumſpectione traderentur. p.5. n.6.

P. Herrera Soc. Jeſu, malè interpretatur Canonem 4. *ſeſs*. 6. *Concilii Tridentini*. p.203. n.23.

Pro eodem accipit diſſentire, abjicere, & reſiſtere. p.204. n.24.

S.Hieronymus excuſat Eccleſiaſticos Scriptores, qui de Verbo Divino, antequam Arrius noſceretur, minùs cautè locuti ſunt. p.6. n.7.

Dum ait, Deum potentiam ſuam noſtro reliquiſſe arbitrio *effectum potentiæ pro ipſa potentia metonymicè accipit*. p.259. n.19.

Quæ Hieronymianæ ſententiæ expoſitio violenta non eſt, ut putat P. Araujo. ibidem.

Hominem eſſe liberi arbitrii, ut certiſſimum fidei dogma ſtatuit S. Auguſtinus. p.17. n.1.

Hominem liberrimum eſſe concors, eſt SS.PP. traditio, ac ſententia. p.19. n.3.

Homo niſi gratia Dei liberetur à ſervitute peccati, & adjuvetur, rectè, pièque vivere non poteſt. p.153. n.31.

Homo non poteſt abſtinere ab omni peccato veniali in hac vita mortali. p.173. n.62.

Hominis natura, ſecundùm D.Thomam, tripliciter eſt Deo ſubjecta. p.219. n.1.

Primam ſubjectionem nominat ſecundùm gradum bonitatis, quam habet à ſummo bono. Secundam dicit eſſe quantùm ad Dei poteſtatem, quatenùs humana natura ſubjacet operationi Divinæ diſpoſitionis. Tertiam denique, quantùm ad proprium actum, quatenùs propriâ voluntate obedit divinis mandatis. ibidem.

Honoratus Tournely conqueritur de injuria ſibi irrogata circa ſententiam æquilibrii. p.144. n.14.
Triplicem diſtinguit, & explicat æquilibrii ſpeciem, inclinationis, ſcilicet, potentiæ, ſeu facultatis, & actionis. p.145. n.15.
Aſſerit minimam gratiam voluntati tribuere vires tam perfectè æquales, & pares vincendæ concupiſcentiæ, ut ſolius voluntatis conſenſus alterutram ſtateræ partem determinet. p.146. n.16.
Hanc æquilibrii ſpeciem ad ſubſtantiam dogmatis Eccleſiæ pertinere docet. ibidem.
Affirmat neceſſe non eſſe, ut pares ſint, & æquales ex utraque parte gratiæ, & concupiſcentiæ gradus. ibidem.
Non requirit potentiam immediatam reſiſtendi, ſed ſufficere aſſerit mediatam, ſcilicet, impetrandi uberiorem gratiam. ibidem.
Merito diſtinguit æqualitatem virium à ſufficientia poteſtatis antecedentis. p.147. n.18.
Ultra gratiam conſtitutivam æquilibrii, aliam neceſſariam ad victoriam tentationis phyſicè prædeterminativam non admittit. ibidem.
Et ex hac parte diſplicet Thomiſtis hujus Auctoris ſententia. ibidem.
Diſplicet ulteriùs, quia in ejus principiis gratia illa ſufficiens non eſt verè talis juxta communem Eccleſiæ ſenſum. ibidem.
Quarè eâdem certitudine excludit neceſſitatem gratiæ efficacis, quâ aſſerit Eccleſiam per gratiam ſufficientem eam intelligere, quæ expeditam, & relativè proportionatam confert voluntati potentiam. p.148. n.20.
Si gratiam admitteret ſeipſa efficacem, ſyſtema ejus eſſet omninò gratum, eſſetque non minùs felix, quam facile. p.155. n.34.

I

Janſenius Iprenſis, iiſdem propè innixus principiis, ac Calvinus, defendit gratiam per ſe efficacem, eamque neceſſitantem. p.22. n.9.
Ejuſdem doctrina licèt Calvini, & Lutheri hæreſi ſit affinis, ab ea tamen in multis ſecernitur. ibid.
Plures ex Baii errores ſuſcepit Janſenius, quos auctoritate potiſſimum S. Auguſtini in pravum penitùs ſenſum detortâ munivit. p. 24. n. 16.
Solùm admiſit libertatem ad merendum, vel demerendum neceſſariam, quæ eſt excluſiva coactionis, & violentiæ, non tamen ſimplicis neceſſitatis. p.65. n.6.
Æquivocatione nominis liberi arbitrii fallitur, cùm prædicat liberum idem eſſe, ac voluntarium determinatum. p.84. n.37.
Janſenii dogma circa libertatem voluntatis multum diſtat à doctrina SS. Auguſtini, & Thomæ. ibidem.
Janſenius primus auctor, & inventor æquilibrii, quô remanet homo inter delectationes cæleſtes, & terreſtres ita in medio ſuſpenſus, ut alternante delectationum fluctu inter bonum, & malum fluctuet, donec alterutra delectatio alteram vincat, & ſuperet. p.138. n.1.
Ejuſdem æquilibrium minùs dignè ſentit de gratia Dei. p. 139. n. 4.
Injuſtè doctrinam S. Auguſtini calumniatur. p.141. n.8.
Affirmat impoſſibilia eſſe quædam

Dei mandata, etiam juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires. ibidem.
Tollit libertatem ab homine. p.145. n. 12.
Janſenii decantatum principium, ut omnis gratia ſpectata ſecundùm ſe, & cum voluntate Dei ſit ſemper efficax. p.143 n.13.
Propugnat etiam in ſenſu diviſo voluntatem à gratia motam non poſſe potentia relativa majori concupiſcentiæ reſiſtere. p.144. n.13.
Quinimmo hominem ejus motibus, veluti tot vinculis conſtrictum eſſe prædicat. ibidem.
Ex quo neceſſitatem abſolutam in actus humanos inducit. ibidem.
In Janſeniano ſyſtemate Deus non communicat gratias parvas reprobis ex ſincera intentione perficiendi bonum inchoatum per ipſas. p. 161. n. 45.
Quarè negat Janſenius in Deo reperiri ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines. ibidem.
Juxta ipſum ejuſque defenſores parva gratia actu, producit parvas, et imperfectas operationes. p.162. n. 45.
Poſſet tamen majores, & perfectiores producere ſi augeretur, quæ tamen numquam augebitur. ibidem.
Janſenius hallucinatus eſt credens verbis Concilii Tridentini Canonis 4. poſſe confundi liberum, & voluntarium. p.214. n.41.
Impotentia in homine, ſeu defectus virium ad ſuperandas tentationes cenſetur homini voluntaria, & libera. p.96. n.3.
Indifferentia rationis, ſeu judicii eſt radix libertatis. p.42. n.4.
Non tamen eſt ipſa formalis libertas. p.45. n.10.
Indulgentia, & neceſſitas ex terminis repugnat. p.239. n.33.
Influxus cauſæ primæ determinatur per cauſam proximam in genere cauſæ materialis, non verò in genere cauſæ efficientis. p.264. n.29.
Influxus Dei attingendo rationem entis ut ſic, attingit omnes rerum omnium differentias, etiam individuales, & omnes modos entis. p.266. n.30.
Innocentius VI. doctrinam Divi Thomæ ſummopere commendat. p.197. n.14.
Innocentius X. damnavit propoſitiones Janſenii. p.128. n.56.
Inter alias damnat hanc = Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem. p. 131. n. 61.
Idem Pontifex neutiquam hiſtoriis pro Dominicanis editis, omnem fidem, etiam hiſtoricam ademit. p. 201. n. 18.
Innocentius XI. has propoſitiones = Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum = Et, Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam = ut temerarias, & novas damnat. p.221. n.3.
Quas propoſitiones non damnavit, ut jacent, alias ut blaſphemas, & hæreticas proſcripſiſſet. p.223. n. 6.
Intellectus conſideratus, ut intellectus verſatur naturaliter circa prima principia, conſideratus, ut ratio verſatur circa concluſiones

ex principiis deductas. pag. 82. n. 35.

Involuntarium dicitur illud, quod eſt contra inclinationem elicitam voluntatis. p.63. n.1.

Omne involuntarium eſt coactum, ſed non omne coactum eſt involuntarium. ibidem.

S. Joannes Baptiſta ſi tentatus fuiſſet, ſicut Petrus, Chriſtum non negaſſet, quia fortioribus viribus inſtructus fuerat. p. 160. n. 44.

Judicium proponens objectum cum indifferentia, ſe habet per modum conditionis ad ſpecificandam voluntatem. p.42. n.5.

Judicium rationis non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam ipſius rationis. p.50. n.17.

Judicium Congregationis de auxiliis in Dominicanorum potiùs, quam Jeſuitarum ſententiam propendit. p.202. n.21.

Julianus Pelagianus aſſerit liberum arbitrium tam plenum eſſe poſt peccatum, quam ante peccatum. p. 120. n. 43.

Non requiſiviſſe videtur vires aritmethicè æquales, ſed ſolùm geometricè. p.135. n.68.

Admiſit cognitionem practicam allicientem ad conſenſum: non negavit concurſum ſimultaneum; admiſit gratiam intrinſecam moraliter excitantem entitativè ſupernaturalem; confitebatur gratiam interiorem dantem poſſibilitatem maximè in homine juſtificato. p.136. n.68.

Juſtis poſſibilia ſunt mandata Dei, ſecundùm præſentes, quas habent vires. p.128. n.56.

In juſtis datur perfectior libertas, quam in peccatoribus. p.108. n.22.

In juſtis volentibus, & conantibus ſæpiùs nonniſi minima reperitur gratia. p.156. n.35.

L

D. Laurentius Juſtinianus, ex Apoſtolo oſtendit hominem ad vincendam gravem tentationem indigere Dei munere ſanante, & roborante imbecillitatem naturæ. p. 170. n. 56.

P. Lemos oſtendit liberum arbitrium hominis motum, & excitatum non poſſe reſiſtere Deo efficaciter moventi, & excitanti. p.184. n.17.

Et hanc eſſe omnium Thomiſtarum ſententiam affirmat. ibidem.

Refert, quod in Congregationibus de auxiliis deciſum fuit voluntatem obedire, & reniti poſſe vocationi divinæ non tamen adjutorio, quod ad obediendum exigitur. p. 194. n. 8.

P. Levinus de Meyer S. J. in ſua de Congregationibus hiſtoria fatetur Conſultores, & Judices in illa famoſa diſputatione de Auxiliis inclinatos fuiſſe adjudicandæ liti Patribus Dominicanis. p.201. n. 20.

Libertas alia eſt à neceſſitate, alia à peccato, alia à miſeria. Prima communis eſt omnibus ſtatibus. Secunda communis eſt ſtatui innocentiæ, ſtatui qui eſt poſt reparationem gratiæ, & ſtatui gloriæ. Tertia communis eſt ſtatui tantùm innocentiæ, & gloriæ. p.25. n. 18.

Rurſus eſt, & alia libertas à coactione propriè dicta, quæ eſt exemptio à violento. ibidem.

Libertas à neceſſitate eſt vis electiva ad oppoſita; libertas à miſeriis in

in hoc, quod eſt dominari paſſionibus ſita eſt; & libertas à peccato eſt amor juſtitiæ. p.26. n.19.
Indifferentia ad malum non eſt de conceptu eſſentiali libertatis, ſed ſolùm indifferentia contradictionis. p.28. n.24.
Ut voluntas ſit libera ad actum non requiritur, quod ratione virtutis ſit potens ad actum, & ejus omiſſionem. p. 32. n. 29.
Libertatis ratio purè per accidens ſe habet ad diverſificandas vires appetitivas. ibidem.
Libertas formalis non conſiſtit in indifferentia objectiva. p.43. n.8.
Ad libertatem requiritur ex parte judicii indifferentia compoſita cum motione Dei efficaci. p. 59. n. 34.
Libertas voluntatis, qua formaliter eſt voluntas, vel liberum arbitrium eſſentialiter pugnat cum neceſſitate. p. 84. n. 36.
Libertas, quæ cum neceſſitate componitur non eſt juxta D.Thomam libertas arbitrii. ibidem.
Aliud eſt libertas, aliud vires arbitrii. p. 95. n. 1.
Aliud eſt libertas juſtè operandi, aliud libertas arbitrii. ibidem.
Vires liberi arbitrii conſiſtunt in robore addito voluntati ad intentionem veri ultimi finis. p.96.n.3.
Libertatem non minuit poſſe peccare, ſicut nec neceſſitas firmatæ voluntatis in bono. p.108. n.21.
Perfecta libertas filiorum Dei ex Divina gratia oritur. ibidem.
Libertas à juſtitia non eſt libertas ſimpliciter talis, ſed ſecundùm quid. p. 109. n. 24.
Libertas noſtra eò perfectior eſt, quo major gratiæ vis, & efficacia. p. 110. n. 27.
Libertas noſtra eſſentialiter includit ſubjectionem, & ſubordinationem. p. 248. n.1.
Idque ex Scripturis, ex S. Auguſtino, & rationibus oſtenditur. ibidem.
Liberum arbitrium definitur à Magiſtro Sententiarum facultas rationis, & voluntatis ad utrumlibet. p. 26. n. 20.
Liberum arbitrium exercetur per electionem. ibidem.
Liberum arbitrium non eſt habitus, ſed potentia. p. 27. n. 21.
Liberum arbitrium, & voluntas non ſunt duæ potentiæ, ſed una. ibidem.
Libertatem arbitrii conſiſtere in ſola indifferentia judicii, & non in voluntate falsò attribuitur Thomiſtis. p. 27. n. 22.
Liberum arbitrium ex ſe ad peccandum valet, non tamen ſine gratia ad benè ſalutariter operandum. p. 33. n. 30.
Nec gratiâ Dei ad bonum adjuta evacuatur, ſed potiùs per illam ſtatuitur. ibidem.
Liberum arbitrium eſt ipſa voluntas in ordine ad actum, qui eſt eligere. p. 47. n. 15.
Liberum arbitrium eſſe à coactione liberum fatentur, etiam Hæretici. p. 64 n. 3.
Poſt peccatum Adæ non eſt amiſſum, vel extinctum, viribus licet attenuatum, & infirmatum. p. 65. n. 6.
Libero arbitrio, nec Deus caret, nec Diabolus. p. 97. n. 4.
Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminatè ſe habeat ad bonum, vel malum. p.108. n.20.
Liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatur, nec in malum tendit, niſi propter aliquem defectum,

qui apprehenditur ut bonum. ibidem.
De ratione liberi arbitrii non eſt poſſe eligere malum, ſed hoc conſequitur liberum arbitrium, ſecundùm quod eſt defectibile in natura creata. p. 109. n. 24.
Non omnis locutio SS. Patrum, etſi probatiſſima in eodem gradu, & loco conſtituenda eſt. p. 6. n. 7.
Lovanienſis Academia damnat dogmata Lutheri, & Calvini. p. 142. n. 11.
Lucta duarum voluntatum inter ſe in Auguſtino. p. 177. n. 4.
Lumen etſi exiguum gloriæ intellectum creatum elevat ad Deum clarè videndum. p. 157. n. 38.
Lux etiam minima eſt oſtenſiva objecti motivi viſus corporei. ibid.
Lutherus liberum arbitrium hominis per peccatum extinctum omninò putavit; Deumque ad mala, ut ad bona homines impellere. p. 21. n. 6.
Putavit etiam ſolâ fide, & fiduciâ in Deum, ejuſque promiſſo ſecluſis bonis operibus homines juſtificari. ibidem.
Lutherani admittentes indifferentiam in judicio, & negantes libertatem in voluntate, non ſolùm negant vocem, ſed eſſentiam libertatis. p. 44. n. 9.
Prætendunt cum aliis Hæreticis libertatem in nobis poſt peccatum non eſſe niſi rem de ſolo titulo, vel titulum ſine re. ibidem.

M

M*Agiſter Sententiarum duplicem neceſſitatem libertati contrariam diſtinguit*. p. 85. n. 37.
Manichæus tollens liberum arbitrium, duplicem in homine ſtatuit naturam, alteram bonam, alteram malam; & bonam quidem à Deo, imò de Dei ſubſtantia conditam, eamque ſemper benè agere, malam verò à Principe tenebrarum, ſemper malè. p. 20. n. 5.
Quem errorem proſcripſit Eccleſia in Concilio Bracarenſi. ibidem.
Mardochæus ad Dominum Omnipotentem recurrit, cujus virtutem, & imperium confitetur, & cujus poteſtati nullus poteſt reſiſtere, ut Populum Judaicum liberet à periculo imminentis mortis. p. 249. n. 3.
P. Marin Soc. Jeſu, æquilibrii Patronus Primarius in Hiſpania. p. 120. n. 19.
Aſſerit, quod etſi ab indifferente indifferentiâ incomplectionis non ſit actio, benè tamen ab indifferenti indifferentiâ dominii. p. 241. n. 38.
Præterea aſſerit, quod indifferentia omnipotentiæ ſubjectiva determinatur à Deo per decretum, quo applicavit omnipotentiam. p. 242. n. 40.
SS. Martyres, magnam charitatem, magnamque voluntatem habuerunt ad terribiles, ſævaſque paſſiones tolerandas. p. 151. n. 28.
P. Maſſouliè defendit P. Gonet à cenſura R. P. Thyrſo. p. 182. n. 16.
Meritum datur juxta menſuram gratiæ, & charitatis. p. 112. n. 29.
Movere ſe non opponitur, imò componitur cum eo, quod moveatur ab alio. p. 262. n. 23.
Myſterium gratuitæ prædeſtinationis, & gratiæ ignorari non vult Apoſtolus Rom. 11. p. 3. n. 4.
Myſterium hoc nec ab homine, nec per hominem initiatum fuit, nec Scholæ Thomiſticæ induſtria, aut Diſcipulorum ſuorum diſcuſſione in-

Pp 2

inventum ; ſed doctrina Eccleſiæ ſemper fuit. ibidem.

N

N*Eceſſitas duplex antecedens, & conſequens*. p. 53. n.25.

Neceſſitas judicii determinati, à quo pendet electio, & neceſſitas phyſicè prædeterminationis, eſt tantùm conſequens. p. 55. n. 28.

Neceſſitas alia eſt objectiva, & hæc libertati non officit ; alia ſubjectiva, & hæc tollit potentiam ad aliud contrarium eligendum. p. 90. n. 43.

Neceſſitas, & libertas ſunt differentiæ entis, quæ ens inquantùm ens eſſentialiter dividunt. p. 274. n. 6.

Neceſſarium dicitur illud, quod ita eſt, ut non poſſit non eſſe. p. 63. n. 1.

O

O*Bjectum propoſitum cum indifferentia eſt ſpecificativum voluntatis*. p. 42. *n*. 5.

Omnipotentiam eſſe à libero arbitrio determinabilem, idem eſt, ac eſſe libero arbitrio ſubjectam. p. 227. n. 12.

Id quod repugnare ex Scripturis, Patribus, & rationibus oſtenditur. ibidem.

Omnipotentia nec objectivè, nec ſubjectivè determinabilis eſt. p. 240. n. 36.

Præcontinet, & cauſat omnem neceſſitatem, & libertatem in creatis. p. 275. n. 6.

Opinio aſſerens voluntatem ex neceſſitate moveri ad volendum, omnia principia Philoſophiæ moralis ſubvertit. p. 76. n. 24.

Opus meritorium, ſecundùm quod procedit ex gratia Spiritus Sancti eſt meritorium vitæ æternæ de condigno. p. 112. n. 29.

In opere meritorio ordinariè reperitur ea libertas, quâ poſſumus velle bonum, aut malum, ſed hæc libertas non eſt eſſentialiter requiſita ad meritum. p. 111. n. 28.

Orandi neceſſitas infirmitatis, & neceſſitatis maximum eſt argumentum. p. 150. n. 22.

Orandum eſt pro victoria gravis tentationis. p. 166. n. 52.

Origenes in materia gratiæ erravit nimio plus tribuens libero arbitrio. p. 4. n. 5.

Gratiam ſolùm voluntatis noſtræ pediſſequam ad ejuſque nutum compoſitam, & pro meritis à Deo in homines erogatam, non excitantem, non gratis datam admiſit. ibidem.

Ortizius Auctor Caducæi Theologici, falsò tribuit Auguſtino, quod juvari, & non juvari ſit in manu creaturæ. p. 245. *n*. 42.

Aſſerit æquè in poteſtate hominis eſſe facere vias ſuas bonas, ſicut & malas. ibidem.

Spontè fatetur, quod alibi in Auctore examinis Theologici reprehendit. p. 246. n. 44.

Negat gratiam Jeſuiticam eſſe verſatilem, *nec Jeſuitas talem propoſitionem tradere, quæ propoſitio ſi diceretur cenſura maleſonantis digna, & errori proxima ei apparet*. ibidem.

P

P*Ariſienſis Academia Lutheri dogma damnat*. p. 142. n. 11.

SS. Patres cùm dicunt coactionem libertati opponi loquuntur de liberta-

bertate voluntatis, etiam ut natura eſt, non tantùm de libertate liberi arbitrii. p. 84. n. 37.
Patres comparant liberum arbitrium ſtateræ. p. 96. n. 4.
Pauli illa verba: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum: *intellexerunt Patres de gratia dante victoriam in agone hujus vitæ*. p.127. n.53.
Patres reſiſtentiam formalem gratiæ ſufficienti prædicant. p. 176. n. 3.
Tradunt voluntatem creatam Deo perfectè ſubjici. p. 226. n. 10.
Accipiunt gratiam pro concurſu, & beneficio indebito, quod ſalvâ creatione perfectâ negari poteſt. p.238. n.34.
SS. Patres Nyſenus, & Damaſcenus negant præfinitionem, aut prædeterminationem imponentem noſtris electionibus neceſſitatem antecedentem, non verò conſequentem. p.260. n.21.
In Patria non relinquitur locus proficiendi per meritum, ſi tamen relinqueretur eſſet efficacius meritum propter majorem charitatem, ſecundùm D. Thomam. p.112. n.29.
S. Paulus pro victoria obtinenda, non ad induſtriam voluntatis recurrit, ſed ad gratiam Dei. p. 148. n. 21.
Peccatum eſt impeditivum, & corruptivum libertatis. p.108.n.22.
Qui per peccatum à Deo avertitur, licèt maneat liber ad bonum ex miſericordia Dei, ad malum ex defectibili natura, optimam tamen perdit rationem libertatis. p. 111. n. 27.
Ex peccato Adæ non ſequitur in nobis impotentia ad bonum. p. 78. n. 29.
Effluxit tamen naturæ deordinatio, lucta carnis, & ſpiritus. p. 133. n. 66.
Per peccatum liberum arbitrium etſi minimè extinctum, viribus tamen eſt attenuatum, & debilitatum. ibidem.
Pelagius eamdem peccandi, & non peccandi, poſſibilitatem libero arbitrio conceſſit. p.115. n.33.
Fatebatur varia adjutoria gratiæ, quibus excitabatur homo ad benè operandum. p.152. n.30.
Fatebatur ulteriùs, quòd gratia interiori adjuta voluntas facilis erat ad benè operandum. ibidem.
Ut aliqui exiſtimant nullam gratiam interiorem admiſit, vel ſi admiſit, eam ſolùm ad intellectum immediatè pertinere contendit. p.198. n.14.
Pelagius, teſte S. Hieronymo, Origenis ramuſculus eſt. p.4. n.5.
In principio ſuæ hæreſis ſolam naturam ſufficere dicebat ad omnia Dei mandata obſervanda, tentationes ſuperandas, & ad ipſam vitam æternam conſequendam. ibidem.
Liberum hominis arbitrium ſic profitebatur, ut diceret non indigere Dei auxilio; ex quo conſequenter negavit naturam humanam peccato depravatam, aut corruptam, ac ſine ullo vitio eſſe. p.21. n.8.
Pelagii error, vel hæreſis non eſt idem, ac ſententia Pelagii. p. 58. n. 31.
Pelagiani etiam pro ſtatu naturæ lapſæ neceſſarium crediderunt æquilibrium, nec aliam voluerunt admittere gratiam, niſi quæ compoſſibilis eſſet cum illo.p.115.n.33.
P. Petavius S. J. aſſerit, quòd cum de gratia, vel electione, vel præ-

deſtinatione diſputandum eſt, minor haberi ſolet antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam ortam hæreſim extiterunt, quam eorum, qui poſtea ſunt ſecuti. p. 7. n. 9.

Latinorum verò multo major, quàm Græcorum, etiam hæreſi illa poſteriorum: omnium verò Latinorum in hac Controverſia Princeps eſt conſensù Theologorum Auguſtinus. Ibidem.

S. Petrus oravit pro Fidei augmento. p. 114. n. 32.

Dum negavit Chriſtum, habuit vires ſufficientes; poſtea verò vires efficaciſſimas accepit, dum converſus flevit amare. p. 160. n. 44.

Potentia, quam gratia ſufficiens tribuit ad vincendas concupiſcentias apud varias Scholas variis modis explicatur expedita. p. 198. n. 21.

In potentia peccandi duo attenduntur, ſcilicet ipſa potentia, & defectus. p. 110. n. 25.

Potentiæ perfectiſſimæ numquam deficiunt ab eo, ad quod ordinatæ ſunt. Ibidem.

Unde quod potentia impediatur, vel retrahatur ab eo, ad quod naturaliter ordinata eſt, ex defectù ejus procedit. Ibidem.

Potentia peccandi non eſt à Deo, niſi ſecundùm id, quod potentiæ eſt. p. 110. n. 26.

Potentia peccandi ad meritum non pertinet, niſi quantum ad ejuſdem manifeſtationem. p. 113. n. 29.

Poteſtas ad malum non ſpectat ad conſtitutionem libertatis, vel ad ejus perfectionem, ſed potius illius imperfectio eſt. p. 92. n. 46.

Poteſtas proxima, & immediata ad orationem, eſt mediata ad victoriam Tentationis. p. 159. n. 42.

Poteſtas benè operandi eſt in nobis à Deo, etiamſi nec velimus, nec agamus. p. 205. n. 26.

Prædefinitio, præordinatio, & aliæ locutiones, quibus utitur S. Thomas, non decretum concomitans, ſed præcedens, prioritate cauſalitatis, executionem ſignificant. p. 277. n. 11.

Propoſitio iſta -- Prædeterminationibus poteſt arbitrium reſiſtere -- eſſentialiter eſt compoſita, adeoque eſt falſa. p. 185. n. 18.

Propoſitiones iſtæ diverſæ ſunt -- Voluntas cum gratia efficaci liberè aſſentitur -- Voluntas gratiæ efficaci liberè aſſentitur -- Prima eſt de Fide, ſecunda ex falſa ſuppoſitione procedit. p. 194. n. 9.

In hac propoſitione -- Liberum arbitrium motum, & excitatum poteſt diſſentire -- poteſtas diſſenſus componitur cum toto ſubjecto, ſcilicet libero arbitrio moto, & excitato, licèt actus diſſenſus conjugibilis ſit ſolùm cum gratia excitante, non cum gratia efficaciter movente. p. 195. n. 10.

Propoſitio hæc -- Omnis gratia, quæ de facto datur eſt talis, ut cum ea poſſit voluntas diſſentire, & reſiſtere -- eſt vera. p. 206. *n.* 26.

Iſta verò eſt omnino falſa -- Omnis gratia, quæ de facto datur eſt talis, ut ei poſſit voluntas noſtra diſſentire, & reſiſtere. Ibidem.

Hæc propoſitio -- Aliquod eſt auxilium, cui voluntas non poteſt diſſentiendo reſiſtere -- eſt vera. p. 211. n. 36.

Sed iſta -- omne gratiæ auxilium tale eſt, ut cum eo voluntas non habeat poteſtatem diſſentiendi -- eſt falſa. Ibidem.

Propoſitio illa Concilii Tridentini -- Liberum arbitrium à Deo motum, & ex-

& excitatum poteſt diſſentire -- licèt in aliquo ſensù debeat ly poteſt *ſumi compoſitè, abſolutè tamen, & ſimpliciter eſt modalis diviſa*. Ibidem.

Hæc autem -- Liberum arbitrium à Deo efficaciter motum, & excitatum diſſentit -- eſt ex terminis repugnans. Ibidem.

Q

Quæſtio inſcrutabilis, cur unus vocationi conſentiat, non item alter; cur unus in accepta juſtitia perſeveret, excidat alter. p. 1. n. 1.

Queſnellius novus Janſenii defenſor; cujus doctrina damnata à Clemente XI. in Bulla Unigenitus. p. 24. n. 17.

R

P. Ramirez S. J. contra communem ſenſum S. Auguſtini, aliorum Patrum, & Theologorum, contendit Apoſtolum in illis verbis, Infelix ego homo &c. *non loqui de gratia dante victoriam in agone hujus vitæ, ſed præciſè deſiderare gratiam reſurrectionis*. p. 126. n. 52.

Ratio non eſt indifferens formaliter in ſe ipſa, ſicut nec formaliter libera. p. 43. n. 8.

Reſiſtentia duplex, ſcilicet formalis, & materialis, ſeu ſtricta, & latè accepta. p. 183. n. 15.

Verbum reſiſto *ad vires liberi arbitrii explicandas non legitur in Tridentino*. p. 204. n. 24.

P. Ruiz p. 1. in ſuo æquilibrio aliquid amplius exigere videtur præ Juliano. p. 172. n. 69.

S.

Scriptura Sacra commendat excellentiam gratiæ, juſtitiæ, & virtutum patientiſſimi Job. p. 129. n. 58.

Aliorum Sanctorum etiam gratiæ excellentiam commendat, præſertim B. Virginis, Joannis Baptiſtæ &c. Ibidem.

Ex Sacra Scriptura oſtenditur repugnantia ſubordinationis concurſus divini Creaturæ. p. 226. n. 9.

Scripturæ Sacræ, & quotidianæ Orationes Eccleſiæ nos docent clamare ad Dominum, ut adjuvet, faciat, operetur in nobis velle, & perficere, numquam autem, ut ſubjiciat nobis omnipotentiam ſuam. p. 244. n. 42.

Satis declarant Divinæ Scripturæ ſupremum Dei dominium ſupra actiones liberas hominum. p. 248. n. 1.

Scriptum Apocryphum dicere, idem non eſt, ac ſuppoſititium declarare. p. 202. n. 21.

P. Suarez fatetur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 2. loqui de præmotione phyſica. p. 181. n. 14.

Subordinatio ex indulgentia, & neceſſitate ex terminis repugnat. p. 239, n. 33.

Subordinatio, & ſubjectio actualis non facit virtutem cauſæ ſecundæ eſſe naturaliter determinatam ad unum. p. 263. n. 24.

T

Tentatus quamtumvis exardeſcat concupiſcentia, poteſt in bono perſeverare. p. 156. n. 36.

Tentatio licèt aliquando ſuperet pote-

teſtatem actualem, ſemper tamen eſt paratum auxilium Dei. p. 165. n. 50.
Tentationi eſt ſubditus, quicumque eſt à Deo derelictus. p. 167. n. 52.
Tentatus, exardeſcente ſupra modum concupiſcentia, poteſt non conſentire, & reſiſtere tentationi, non tamen ſine gratia. p. 170. n. 55.
Theophilactus meritò dixit peccatum non eſſe potentiæ, ſed impotentiæ. p. 110. n. 25.
S. Thomas meritò poteſt nominari alter Auguſtinus: quare ea, quæ doctrinæ S. Auguſtini data ſunt encomia, eadem ipſa omninò doctrinæ Thomiſticæ competere poſſunt. p. 12. n. 18.
Idem S. Doctor probat majorem, & perfectiorem libertatem fuiſſe in Adamo, quam in poſteris ejus. p. 108. n. 22.
Diſtinguit in quantitate laboris, & opus, quod in ſe majus eſt, & opus, quod ob defectum propriæ voluntatis, & caritatis eſt magis laborioſum. Primo modo quantitas laboris pertinet ad meritum, non poſteriori modo. p. 114. n. 31.
Anathema dicit ei, qui aſſerit Deum aliquod præcepiſſe impoſſibile. p. 142. n. 11.
Cauſam aſſignat libertatis ſummam efficaciam Divinæ voluntatis. p. 271. n. 2.
Thomiſtæ admittunt hanc definitionem liberi arbitrii -- Liberum arbitrium eſt, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere -- & ſolùm rejiciunt ſiniſtram adverſariorum explicationem. p. 35. n. 34.
Hanc definitionem non in ſensù diviſo, ſed compoſito intellectam falſiſſimam, & penitus repugnantem libertati creatæ, & omnipotentiæ Dei judicant Thomiſtæ. Ibidem.
Docent voluntatem non poſſe potentia conſequente gratiæ reſiſtere. p. 143. n. 13.
Victoriam Tentationum ſperant à Deo mediante gratia efficaci. p. 155. n. 34.
Docent Deum communicare reprobis gratiam ſufficientem ex ſincera intentione perficiendi bonum per ipſam gratiam incohatum. p. ibi n. 45.
Quare ſi homo gratiæ ſufficienti non deſit, Deus etiam efficacem, imo ſalutem ei largietur. p. 162. n. 46.
Sicque gratiæ Thomiſticæ ſufficientes ſunt undequaque verè, non fictè, & verbotenus ſufficientes. Ibidem.
Et ex hac parte gratiæ Thomiſticæ ſufficientes diſtinguuntur à gratiis parvis Janſenii. Ibidem.
Quatenus verò requirunt ulterius auxilium efficax ad prorumpendum in operationem differunt à gratia ſufficiente Moliniſtica. Ibidem.
Thomiſtæ, qui dicunt hominem poſſe reſiſtere gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo, loquuntur de reſiſtentia materiali, & latè ſumta. p. 183. n. 15.
Qui verò negant hominem poſſe reſiſtere gratiæ ab intrinſeco efficaci loquuntur de reſiſtentia ſtricta, ſeu formali. Ibidem.
Ex Thomiſtis quidam probant libertatem creatam, etiamſi operaretur Deus ex neceſſitate naturæ. p. 272. n. 3.

Ver-

V

VErba iſta aſſentio, & diſſentio *important compoſitionem actus cum gratia vocante; & verbum iſtud* adjuvo *importat actum adjuvantis compoſitum cum alterius cooperatione*. p. 197. n. 13.

Ad victoriam tentationis, & rectè vivendum ultra gratiam habitualem requiritur actualis. p. 158. n. 39.

In B. Virgine vires gratiæ incomparabili virtute excedebant vires naturæ. p. 112. n. 28.

Violentum dicitur, quod eſt à principio extrinſeco paſſo non conferente vim. p. 62. n. 1.

Quæ ultima verba non ſunt intelligenda negativè, ſed poſitivè, & contrariè. Ibidem.

Voluntas quantùm ad actus imperatos pati poteſt violentiam, ſed quantùm ad proprium actum elicitum, non poteſt ei violentia inferri. p. 63. n. 2.

Vires parvæ divinæ gratiæ dant poſſe remotum, vires fortiores poſſe proximum. p. 160. n. 44.

Virtus definitur — Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè utitur. p. 232. n. 22.

Vocatio quoad ſui eſſentiam adæquatè conſiſtit in gratia excitante, & ſolùm denominatur efficax vi gratiæ prædeterminantis. p. 196. n. 12.

Vocatio efficax complectitur, & motionem ſufficientem, quæ eſt ipſa vocatio, & gratiam adjuvantem efficacem, qua redditur efficax. Ibidem.

Voluntas metaphyſice definitur — Appetitus rationalis, ſeu appetitus tendens in bonum apprehenſum per intellectum. p. 40. n. 1.

Voluntas, ut natura ſignificat eamdem potentiam in ordine ad actum, quem ex naturali inclinatione elicit, non ex electione. p. 48. n. 15.

Voluntas in ſuum objectum tendit ſecundùm ordinem rationis. p. 50. n. 17.

Voluntas viatoris quantum ad exercitium actus à nullo objecto ex neceſſitate movetur; quantùm verò ad ſpecificationem actus ab aliquo objecto ex neceſſitate movetur, ab aliquo autem non. p. 59. n. 34.

Voluntas præventa judicio proponente objectum ſine indifferentia, non poteſt tendere in illud amore libero. p. 60. n. 36.

Voluntas præventa judicio indifferente proponente objectum non poteſt in illud ferri amore neceſſario. Ibidem.

Voluntatem hominis lapſi eſſe à neceſſitate liberam de Fide eſt. p. 69. n. 14.

Voluntas Adami eſt quodammodo propria poſterorum. p. 79. n. 29.

In voluntate datur duplex conceptus, alter naturæ, alter voluntatis formalis. p. 82. n. 35.

Voluntas, ut natura, opponitur coactioni, & eſt compoſſibilis cum neceſſitate naturali: ut verò liberum arbitrium, excludit neceſſitatem. p. 84. n. 36.

Voluntas, vel electio non eſt niſi boni. p. 108. n. 20.

Voluntas ſecundùm D. Auguſtinum non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potius libertatem. p. 110. n. 27.

Voluntas, ut ſit potens ad victoriam tentationis, ſufficit minima gratia. p. 156. n. 35.

Vo-

Voluntas gratiæ ſufficienti reſiſtere poteſt in ſenſu compoſito. p. 179. n. 5.

Voluntas cum libertate conſentit, & non libertati. p. 194. n. 9.

Voluntas non ideo adjuvatur, quia vult, ſed ideo vult, quia adjuvatur. p. 206. n. 26.

Voluntatem creatam immutare ſolius Dei eſt. p. 258. n. 16.

Ut Voluntas habeat dominium ſuper ſuos actus, duo requiruntur, & quod virtus non ſit determinata ad unum in actu primo, & quod ab agente exterius violentiam non patiatur. p. 263. n. 24.

Voluntas creata ad peccandum ita eſt domina, ut ad peccatum, nec à Deo determinetur. p. 264. n. 28.

Voluntas Divina, ex quo efficaciſſima, cauſat effectum voluntatis creatæ juxta modum ipſius. p. 271. n. 2.

Ut Voluntas determinata ad actum maneat libera ad omiſſionem, ſufficit poteſtas ad illam abſolutè, quam minimè deſtruit prædeterminatio. p. 280. n. 14.

Voluntarium dicitur illud, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis. p. 62. n. 1.

FINIS.

ERRATA *ſic* CORRIGE.

Pagina 43. *linea*	12.	per illum	per illud
Ibid.	31.	indifferentiæ	indifferentia
57.	2.	poteſt *Molinam*	poſt *Molinam*
93.	27.	neceario	neceſſario
151.	17.	in noſtro	in noſtra
166.	24.	ajutorem	adjutorem
Ibid.	30.	graiæ	gratiæ
214.	10.	non velle ſi vellit	non velle ſi nolit
252.	22.	faccret	faceret
262.	21.	moveatar	moveatur

234.16
B 437
26584
BENITEZ DE LUGO, CAJETAN
AUTHOR Concursus Dei
Praevius et Efficax
TITLE Vera etiam Christi Gratia
Disputationes Theologicae

DATE LOANED	Tome I BORROWER'S NAME
	~~STORAGE - CBPL~~
OCT 20 1982	DEC 28 1982 Tech. Se
	012183
DEO 012783 Row	

26584